25 [illegible]

quel chi amma il segner
ais bio [illegible]
q quel chi

Anno 1671.

MCCCLX.

Multi Cardinales creârunt Leonem X.

HISTORIA MOTVVM, *ET* BELLORVM, postremis hisce annis *IN* RHÆTIA EXCITATORVM ET GESTORVM.

Auspiciis verò Christianissimi Galliarum Regis, LVDOVICI XIII. *Serenissimæ Reip. Venetæ*, & *Serenissimi item Ducis Sabaudiæ*, CAROLI EMANVELIS, *confectorum.*

AVTHORE
FORTVNATO SPRECHERO A BERNECK
I.V.D. Equite Aurato.



COLONIAE ALLOBROGVM.
Ex Typographia Petri Chouët.

CIↃ. IↃC. XXIX.

SERENISSIMO PRINCIPI AC Domino, Domino clementissimo,

CAROLO EMANVELI

DVCI SABAVDIÆ, PRINCIPI PEDEMONTIS, INTREPIDI cognomine dignissimo.

INTER *eminentissima omnis Dominatus encomia, hæc non postrema imò excellentissima sunt:*

Principatum à longis atauis iusto titulo tenere: virtute propria illum tueri: & progeniem Principatu dignissimam, à se in lucem editam videre.

Hæc omnia & singula Te quoque, Principum decus, lumen & columen splendididissimum, eximia laude, & felicitate beant.

Verè enim de inuicta dextra Celsitudinis Tuæ Serenissimæ dici potest, quòd, sicut ex Generosissimis

atauis vnus præconium in clypeo, FERT, hoc est, Fortitudo Eius Rhodum Tenuit, obtinuit:

Ita, cōmuni Italiæ consensu, et applausu, proprium facta ipsa heroica cognomentum, seu symbolum, in præteritis bellis Celsitud. T. Serenissimæ pepererint FECIT, hoc est, Fortitudo Eius Conseruauit Italiam Ter. Anni M.DC.XIII. M.DC.XVII. & M.DC.XXV. *testes: Asta, Verrucaq́ seruata.*

Ter ergò quaterq́ Beata, cur non ab omnibus bonis prædicabitur C.T. Seren^ma? Rhætia patria mea dulcissima recuperatæ libertatis plurimùm Sereniss^a C.T. etiam debere fatetur: & ego libens meritóque cum humillima animi deuoti significatione, Historiæ patriæ exemplar Seren^æ C.T. reuerenter offero, dedicóque. EMANVEL *exercituum S.C.T. cum Serenissima heroica sobole æternùm* VICTOREM, AMANTEMQVE DEVM *seruet incolumem.*

Ita ex animo voueo, meq́

Serenissime Princeps T.C. deuoueo,

FORTVNATVS SPRECHERVS
à Berneck.

Ad Clarissimum Virum,

D. FORTVNATVM SPRECHERVM, à Berneck, Equitem auratum, ac I.V. Doctorem, Dominum & Compatrem amicissimum,

IOANNES GVLERVS A VEINECK, Eques auratus.

QVVM heri ex te, vir clarissime, Domine, ac compater suauissime, intellexissem, lucubrationum tuarum editionem in procinctu esse, & elogiolum in eas te à me expectare: facere non potui, quin ad Musas meas Boreales, iam senescentes, hac nocte diuerterem: quæ dum Rhætiæ nostræ collapsæ, ac modò non penitus extinctę, gratulantur, de vita illi doctissimis vigiliis tuis restituta, sequens Epigramma nobis indulsere: id si minus placebit, (est enim extemporaneum) aliud tentabimus. Tu, quæ tua est humanitas, studium in te nostrum æqui boni que consules.

ACcipis à patria vitales luminis auras,
Dum fortunatis nasceris ominibus.
Quod capis, hoc rursus generosa mente rependis,
Rhætia dum calamo fit rediuiua tuo.

CARMEN

Fortunati à Iuualta, Præsidis Iuriſdictionis Furſtenouianæ in Tomiliaſca.

RHætia plaude: repercuſſus tibi plauſibus æther
Perſonet, ac geminent cum ſiluis flumina plauſus.
Seditionibus & turbis lacerata iacebas,
Mox telis peritura tuis, cum viſcera ferrum
In tua vibrares, ciuilibus acta procellis.
Tellini tibi ſeruierant, nunc cardine verſo
Arma vltrò intentant, tua iam populantur, habenis
Excuſſis. Aquila en rutilans impreſſerat vngues
Jam tibi, iura tuis dans imperioſa colonis.
Languida vix animam libertas priſca trahebas:
Et miſera inuerſis lugebas Rhætia fatis,
Cùm ſubitò lætis melior ſpes aduolat alis.
Magnanimi quoniam proles generoſa parentis
Francorum LVDOVICVS ab alto ſanguine Regum,
Regia ſceptra gerens, ſuperans virtutibus annos,
Hactenus inuictum properans anteire parentem
Laudibus, & recolens antiqui iura fidemque
Fœderis, aggreditur noſtras fulcire ruinas.
Et ſociæ gentis ſortem miſeratus iniquam,
Subleuat oppreſſos infeſto Marte, repoſcens
Vi rapta, & pacem componit legibus æquis.
Sed quia nulla fides pactis, nec iuribus vllus
Eſt locus, arma parat, vim iuſto Marte repellens.
Læſa diu tandem patientia vincitur, & tum
Fortius exardet, iuſtas & ſurgit in iras.
Hinc Leo magnanimus, (quem gentis ſemper amicæ
Damna mouent, meritoque aliena iniuria tangit)
Ne vicina trahant metuens incendia tandem
Vicinos, pariter generoſas ſuſcipit iras,
Intrepidè & ſociis Francis ſocia agmina iungit:
Hoſtili auſurus reſtinguere ſanguine flammas:
Accedit Dux Allobrogum, ſublimis auorum
Stemmate, ſed propriis longè fulgentior actis.
Fortior vnita eſt virtus concordibus armis
Talibus auſpiciis, Cœuvræus duxque caputque
Marchio deligitur, cui Mars fauet, almaque Pallas:

Conſilij

Consilij cui vis ingens, fortissima bello
Est manus, intrepidi rara & fiducia cordis.
Ingreditur tandem is Rhætorum fortiter oras,
Et Martem ostentat, si se ferat obuius hostis.
Protinus erigitur moribunda, animosque resumit
Libertas, & læta Ducem simul excipit, illum
Ceu seruatorem celebrans seruata benignum.
Fœdera mox renouant, scindunt contraria Rhæti.
Agmen agit Dux Cœuvræus, validasque cateruas,
Aerias superans Alpes, atque inuia saxa,
Et per inaccessas rupes contendit ad hostes;
Claustraque (mirandum dictu) citò fulminis instar
Perrumpens, tanto molimine disiicit hostes
Tellinos, animosque feros contundit, inausum
Nil linquens, donec tumidos exterreat armis.
Inuia virtuti nulla est via: promouet arma,
Excelsasque arces, & propugnacula (tantùm
Queis hostes fidunt) expugnat Marte secundo.
Et precibus victos docet implorare salutem.
Obuia victoris fuit hinc clementia cunctis,
Et quem Marte trucem, placidum reperere precanti.
Insignique Ducem victoria laude coronat.
Gesta Ducis, fœlix SPRÆCHERI buccina late
Sparget, & egregiè veniens diffundet in æuum,
Rhætica cui Pallas famam auxit, Palladis ille
Muneribus pollens, duri certamina Martis
Dicet, & insigni virtutem laude rependet.
Quod superest, tu deuota cole Lilia mente
Libertas, columenque tuæ venerare salutis.
Ille salutiferum tibi flos afflauit odorem:
Ille tibi nuper reuocatæ à faucibus Orci,
Pristina restituet decora, antiquumque nitorem.
Reddet cuique suum Rex seruantissimus æqui,
Fœdera respiciet, iustisque ea sanciet armis,
Exsoluetque fidem, promissaque præmia Rhætis,
Restituens Vallem Baccho Cererique dicatam,
Clauennæ & claues, Burmique minacia claustra.
Rhætia perpetuo tantos celebrabit honore
Patronos, memori semper sub pectore seruans;
Dum gelidos fundent latices & Rhenus & Oenus.

CARMEN HENRICI MALO Parisiensis, ad Palladem Rhæticam Sprecheri.

TE Ioue prognatam iactat Permessia pubes,
Armorum studiis, consilioq; parem.
Vana refert. Sed quam Rhætæo vertice constat
SPRECHERI *cerebro Pallada progenitam:*
Marte furens Bellona videre, atque arte Minerua:
Quis tibi SPRECHERVM *non capit esse Patrem?*

In Rhætiam à Gallo liberatam Clariss. viri Fortunati Sprecheri.

RHætia quod Gallo debet, debere fatetur
Hoc SPRECHERE, *ipsum Gallia iure tibi;*
Nam seruat Gallus Rhætos, victricia Galli
Arma SPRECHERVS *seruat ab interitu.*

DAVID CLERICVS, Ebræarum literarum Professor.

HISTO-

HISTORIA RHÆTICA.

RHÆTIA nomen ſuum à RHÆTO, Thuſcorum Duce, ſortita eſt. Hic enim in Patria, vt ætate, ſic quoque generoſitate, gloria, & imperio, pro cæteris clarus erat.

Anno autem ante Natiuitatem Dn. noſtri Jeſu Chriſti, circiter IↃ. LXXXVIII. Bellouiſius, Sigouiſij frater, Ambigati verò Sennonis, qui Galliæ Celticæ præerat, ex ſorore nepos, cum ſelecta turba, ex Sennonibus, Biturigibus, Auernis, Heduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis; & proculdubio, non exiguo numero ex Heluetiis, itineris auctoribus & ductoribus, in Italiam venit: & Thuſcos, quorum potentia præ Romanis, & cæteris Italiæ populis, eminens erat, ex Agro, intra Alpes & Padum jacente, pepulit. Hoc aduerſo fato moti, Generoſiores quique & Illuſtres, vtpote Barbarorum jugo minimè aſſueti, aſſumptis ſuis mobilibus & ſuppellectili, ad quæ quidem ipſi viri, cum vxoribus, liberis, clientibus, & ſeruis dominorum fata ſequentibus, perferenda apti erant, primæ Patriæ valedicunt, & de tuta ſede prouidere volentes, Duce Rhæto, ad altiſſimos montes, populoſq; Alpinos Tauriſcos ſe conferunt. Tauriſcorum verò nomen omnibus montanis, ab origine voculæ Celticæ, Tauren, quæ montem ſignificat, commune erat. Inter hos Lepontij, Cotvantij, (aliis Corvantij) Rucantij, Rheguſci, & alij, iuxta Rheni, Rhodani, & Oeni fontes, numerantur: qui, quòd itinera aperta &

peruia tenerent, alta libertate fruebantur. His iam asso-ciati Thusci, in valle Tumiliasca, (quæ,à pago Tumilio tumuloque eminenti propè castrum Ottenstein sic dicta est) oppidum, cui nomen indunt amissæ & derelictæ Patriæ, Tuscia (Tussana) vti etiam tria castra, in honorem Ducis Rheti, Rhætiam altam, Rhætiam imam,& Rhætium,nec non arces multas alias,condunt.

Alpium porrò Imperium adeptos, Rempubl. suam in hac ciuitate, vbi mœnia,diuina, non humana manu,structa sunt,eadem forma,qua in amisso Imperio(vbi duodecim erant præeminentes, Lucumones Græco vocabulo dicti, quibus decimustertius Laërtes, vti Præses, addebatur) administrasse vt statuamus, non leuibus coniecturis adducimur: prout hodiéque, recuperata pristina libertate,in plerisque Jurisdictionibus,duodecim,aut quatuordecim Jusdicentes sunt, quibus decimustertius, aut quintus,Ministerio præcipuo fungens,indeque Ministralis,quasi Magistratus dictus,præsidet.

Rhætorum posteri mox,asperitate aëris, & montium, acriores facti, subtilitatem ingenij Thusci cum fortitudine Celticâ coniungere, nullam dilatandorum finium occasionem negligere, ac primo quidem scaturiginem & cursum Athesis cum Vennonibus,(hi hodie Vallis Venostæ incolæ sunt,) vti etiam Abduæ cum Vennonetibus (iam Volturenos dicimus) sui iuris & dominij facere:mox secundæ fortunæ aura elatiores,vlteriùs progredi,atque ad vtrumque Lacum Acronium (hodie,Bodanicum) & Ripanum,seu Walenstadiensem,ab vno latere; ab altero etiam versus Comum,Tridentum,& Veronam,fines suos extendere. Sic factum, vt caput Rhæticæ Gentis Tridentum fuerit; vti post Vindelicorum, Augusta. Quinimò,vt ex probatissimis auctoribus compertum est,habitatio ipsorum fuit à Rheni fontibus ad ortus vsque Draui amnis, vtrique Alpium lateri latè affixa. Limites itaque Rhætorum propriè dictorum, (nam Vindelici diuersi generis populi sunt; etsi sub eadem Prouincia postea comprehensi fuerint, & Claudius quoque Ptolomæus, qui vixit sub Adriano & Marco Antonino Impp. describens

bens Rhætiam, ſub hac totam etiam comprehenderit Vindeliciam, & bonam partem Heluetiæ, vtpote, ſuperiorem & inferiorem Turegiam) fuêre, ab occaſu, mons Adula, & Rhenus amnis,ad lacum vſque Brigandinum: quo termino ab Heluetiis diſterminabantur. A Septentrione,qua parte Vindelicis iungebantur,Brigantius amnis,apud oppidum eiuſdem nominis in dictum lacum delabens: vt & à fonte eiuſdem, montium iuga,quæ iuxta læuam Æni ripam ad oppidum Schuaz,extenduntur. Ab Oriente porrò,inter eos & Noricos,termini fuere,primò, Iugum montium à dicto oppido ad fontem Aichæ fluuij protenſum: inde, ipſa Aicha ad confluentem, vſque in Aiſacum amnem: tum Aiſacus ipſe ad ſuum vſq; fontem: vnde montium iugo,quod læuæ Plauis amnis adiacet, ad ripam, à Carnis & Venetis ſubmouebantur ad regionem vſque Beluni oppidi, ibidémque vlteriùs ipſo Plaui ad regionem vſque Aſuli oppidi. Ab Aſulo autem oppido eos, linea per Baſſanum & Bregantiam ad Delgæ fontem ducta, de hinc ipſo Delga ad Atheſim vſque ab eiſdem Venetis diſterminabat: vbi rurſus, ab occaſu, Atheſis ab Euganeis eos ſeiungebat, ad oppidum vſque Salurnum ſuprà Tridentum ſitum. Denique à Meridie ab eiſdem populis ſeparabantur, cùm montium iugo iuxta ſiniſtram Noſij ripam aſſurgente, ad ſummos vſque Alpium vertices; tùm verò ipſis Alpium ſummis iugis, ad Ortus vſque Rheni: quo tractu etiam Lepontios habuêre finitimos. Tam vaſtum igitur incoluêre Rhæti terrarum ſpatium; cuius longitudo, inter Rheni & Plauis amnium fontes, milliaria complectitur circiter ducenta: latitudo, inter Schuazium oppidum & Veronam, ad centum viginti Italica.

Sed vti fortunæ comes ſemper inuidia eſt; ita etiam Rhæti à vicinis ſuis apud Imperium Romanum, vt crudeles & populabundi accuſabantur. Auguſtus ergò Imperator ad dilatandum Imperium ſemper intentus,occaſionem arripit, & contrà Camunos (Val-Camonicos) & Vennonetes (Volturenos) Alpinas gentes exercitum, ſub Pub.Silio præmittit,anno Urb.cond. IↃCCXXXVIII. qui

annus ante natum Christum fortean fuerit decimus sextus. Hi, Rhætis dominis suis fidi, se opponunt; sed multitudine superati, vincuntur ac subiguntur. Mox idem Imperator vtrumque Priuignum, Drusum ad vias aperiendas, Tiberium autem cum valido exercitu, contra Rhætos emittit. Ac in montibus quidem Drusus contra dispersa agmina nonnihil profecit; imò nauali quoq; pugnâ hi Duces eos fatigarunt: nihilominus reliquiæ ex nauali & alpinis cladibus, Romanos victores & exercitum coniunctum habentes, directa acie, in planitie ipsa, quæ nihil ad tegendas insidias latebrarum haberet, testandæ virtuti delecta, aggredi ausæ, euentu minùs læto extremam fortunam tentarunt. Rhæticarum mulierum ingentia facinora hic narrare cogimur, quæ, Amazonum instar, à quibus originem ducunt, sicuti auctores graues scribunt, proprios filios, deficientibus telis, humi afflictos, tormenti loco, in ora hostium contorsisse dicuntur. Vbi neque Patriæ, libertatísque amor satis laudari, neque teterrima in liberos sæuitia, quam nulla belluarum feritas imitetur, satis vituperari potest. Una æstate debellati sunt. Inalpini autem Rhæti, ad originem Rheni & Oeni considentes non omninò victi; sed tantùm hinc inde palantes repressi fuere. Hinc Lucanus indomitum Rheni caput prædicat; & Claudianus in Panegyrico Honorij

-----Rhenumq; minacem
Cornibus infractis-----

canit. Mitiùs hi ob linguæ affinitatem, antiquamque ex Thuscia originem, & vt montium itinera per eos conseruarentur aperta, tractabantur. Cæterùm in Prouinciam vnam Rhætia & Vindelicia redacta est, quam sibi ipsi Augustus, vti Barbaris finitimam, regendam sumpsit, & Præsides eò misit. Ita ab Impp. Romanis gubernata fuit, grauissimis Allemannorum incursionibus sæpiùs afflicta: quantumuis subinde quoque vltricibus armis strenuè par pari retulerit. Atque hic, sub Impp. Romanis, tùm Rhætiæ, prisca historia teste, status fuit. Doctissimus vir Carolus Paschalius, Regis Christianissimi apud Rhætos Legatus,

gatus, libro edito ſub titulo Legationis Rhæticæ, decennalem hiſtoriam ab anno 1604. ad 1614. conſignauit: in cuius præambulo ait, ſtationes militis præſidiarij Romani (contrà opinionem Welſeri, qui in Rhætia nulli præſidio militari firmum locum dat; ſed ſubinde migraſſe ſcribit) caſtellatim fuiſſe diſpoſitas; vt gentem obſequij inſuetam compeſcerent, & per loca priùs inuia, aut latrociniis infeſta, ſecuritatem viatoribus præſtarent. Tandem verò, cùm nec ſe Roma conſiliis regeret, nec Prouincias armis tegeret, ac veriùs, vnâ cum virtute, omnis priſtina eius fœlicitas propemodum diffiueret; hic Alpium tranſitus, qui nihil molienti, nulli prorſus vſui eſſet, ſenſim exolevit. Huic occaſioni, vt ſuæ, non defuit inops miles, qui ibi neceſſitudinibus, & propinquitatib. mixtus, inueteràſſet. Cum enim nullus in iis locis Dux reliquus eſſet, qui ab ipſo ſacramenti fidem exigeret, credibile eſt, eum, tanquam religione ſolutum, quam antea Romano Principi, eandem ſibi poſthac operam dediſſe: certè vnde armis pelli non poſſet, has ſibi ſedes fato monſtrari crediſſe: ad poſtremum ibi conſediſſe, vt in ſuo. nec tamen omnes pari ſorte; ſed caſtellorum præfectos id ſibi è priſtina fortuna ſepoſuiſſe, vt è præfectis domini euaderent, circumiecta prædia ſibi vectigalia facerent; ea, vt vacantia, & colenda & fruenda in milites diuiderent. Hæc ille.

Anno à Natiuitate Dn. N. Jeſu Chriſti CLXXVI. vel, vt alij habent, CLXXIX. Lucius Britannicus Rex, Coilli filius, Mannij nepos, Aruiragri pronepos, ardenti zelo propagandæ fidei Chriſtianæ excitatus, regnum Britanniæ reliquit, & magna terrarum ſpatia obiit: tandem in Rhætiam cum ſorore Emerita venit; vbi, cùm in annuntiando Euangelio ſolliciti eſſent, à Procuratore Romano comprehenſi, D. Lucius in caſtro Martiola; Emerita verò Trimontij, martyrij corona donati ſunt: quumque Martyrum ſanguis irriget Eccleſiam; etiam horum ſanguis vberrimos fructus produxit: ab eo enim tempore Nomen Jeſu Chriſti in his locis ſemper cum gloriâ intonuit.

Anno CCCLIV. Constantius Imp. in campos Caninos Rhætiæ contra Alemannos Lentiensis pagi, cum exercitu progressus est,& eos repressit: quo tempore magna incrementa ciuitas Curiensis procul dubio sumpsit.

Annus CCCC. Gotthorũ, Alarico Duce, in Italiam irruptione memorabilis, Rhætiæ etiam bellorum motibus infestus fuit, consuetis hostibus Alemannis se jam Vandalis etiam coniungentibus. Stilico tunc per Rhætiam ad pacificandos Alemannos iter habuit.

Anno CCCCL. Asimonem Episcopum Curiensem fuisse, historia Ecclesiastica testatur. Nam congregatio aliquorum Episcoporum Mediolani habita fuit; cui, inter alios, interfuêre Eusebius Episcopus Mediolanensis, & Abundius (alij Abundantius) Episcopus Comensis, qui pro se, & Episcopo Curiensi, Asimone, subscripsit. Et anno sequenti Concilium Oecumenicum Chalcedonense celebratum fuit.

Huius autem Episcopatus circuitus, cum descriptione Rhætiæ, à Strabone Amasino, qui tempore Christi, & Augusti in viuis fuit, facta conuenit. Nam diuersis locis, vbi de Rhætis agit, eorumque cultu, limites eius summatim ita complexus est, vt ab Oriente Veronam & Noricos, & partim Vindelicos, qui eosdem ad Septentrionem quoq; separant, posuerit: versus Meridiem, Comum & Insubres: ad Occidentem demum, Helvetios & Lepontios. Sic quoque Episcopatus Curiensis ab Oriente habet Episcopatum Augustanum, & Brixanonensem: deinceps, ad Meridiem declinando, Tridentinum & Veronensem: & rectà ad Meridiem, Insubres Comenses, Clavennates & Vennonetes, seu Valtellinos (qui etsi sub Rhætorum jurisdictione sint; tamen, propter commoditatem, Diœcesi Comensi annumerantur) item Biltionenses Helueticæ ditionis, & prædictæ Diœceseos: ab Occidente, in summis Alpibus Lepontinos, Uranios, Constantiensis, & Viberos Sedunensis Episcopatus. A plagâ Septentrionali, hinc ferè vsque ad Acronium lacum ab vtroque Rheni latere; illinc ad Castra Rhætica pertingit.

Anno CCCCLXXVI. Odoacer Rugus, Turcilingorum,

Scyro-

Scyrorum, Herulorumque instructus copiis, Momyllum Augustulum potestate exuit, ipse primus Italiæ Rex appellatus: quem tum proin Rhætias quoque, quæ Romanis adhuc paruerant, rexisse intelligimus. Nam Theodoricus Ostro-Gotthus, Theodemiro ex Amala gente Patre, & Matre Erelieua natus, eius postmodum successor, harum etiam possessionem adiit.

Bello inter Justinianum Imperatorem & Theodatum Ostro-Gotthorum Regẽ, exardescente, vterq; Frãcorum Regis auxilia implorat. Franci ad omnem prolatandi Imperij occasionẽ parati adsunt, Theodeberto, Theoderici filio, Clodovei Magni nepote, Francorum Rege, Anno IↃXLIX. Italiam ingenti cum exercitu petente. Ita, hoc rerum statu Rhætia etiam Francico Imperio subjecta, & Ducatui Alemanniæ annexa, ac instar cæterorum eius membrorum gubernata fuit. Dux nempe præficiebatur; quem sequebatur Præses: sub quo Comites, qui eo tempore Judices tantùm, ob venerandam ætatem, & aspectum *Graven* à canitie dicti, ad beneplacitum Principis erant; non autem hæreditario iure invicem succedebant. Ex Rhætiæ Inalpinæ Præsidibus primis, quos Francorum Reges dedere, in monumentis & Antiquitatibus Ecclesiæ Curiensis inuenitur Victor, vir Illustris, ex Antiqua Nobilitate Hetrusca oriundus. Huic deinde successêre filij, nepotes, pronepotes, abnepotes, qui etiam Episcopatum Curiensem adepti, in temporalibus & spiritualibus rexere. Capricornum in insignibus habuere, quem postea, & Episcopatus, & fœdus Cathedrale, pro insigni retinuere. Ultimi ex hac familia, quæ ad tempora vsque Caroli Magni durauerat, fuere quatuor filij Victoris Præsidis, & Theusidæ vxoris nobilissimæ, Jactatus secundus Brigantiæ Comes; Zacco secundus, Rhætiæ Curiensis Præses; Tello, decimusseptimus Episcopus Curiensis; & Vigilius Tribunus, qui post mortem fratrum sub Martello Francorum Equitum Magistro Tribunum egit: omnes sine prole extincti. Eorum propinqui & consanguinei ad gubernationem Reip. promoti fuere, qui postea longo temporis successu magistratum gesserunt, Comi-

tes videlicet ab Alta Rhætia, Amaſij, Montfortij, Brigantij, Sarunetij, Verdenbergici, Tockenburgici: Barones Rhætij, Belmontij, Vatij, Saxenſes, de Flumine, & alij infiniti præcipuæ nobilitatis Rhæticæ.

Anno IↃLXVIII. Longobardi ex Pannonia, Duce Alboino, à Narſete accerſiti, Italiam inuadunt, Mediolanum, Bergomum, Comum, & alia vicina Rhætiæ loca, occupant.

Anno IↃCLXX. regnãte Childerico Francorum Rege, Hunni, multas regiones, & inter has Rhætiam quoque vſque ad Diſertinum Monaſterium, miſerè ferro & igne depopulati, ibique tandem à collecto Rhætico exercitu fuſi fuerunt.

Anno IↃCCCCL. temporibus Hurtperti Epiſcopi Curienſis, Rhætia propter irruptiones Sarracenorum grauibus damnis affecta fuit: proinde Imperator Otho Saxo (ad hanc enim gentem iam à Caroli Magni linea Imperium deuenerat) Epiſcopatui Curienſi, compenſationis ergò, quædam prædia in pago Zizers, & in Alſatia, dedit. Sicut & pluribus priuilegiis, à ſubſequentibus Imperatoribus, Epiſcopatus, & Rhætia condecorata fuit: quæ, vti etiam diuerſa prælia intra fines Rhætiæ commiſſa, ſuis locis in Pallade noſtra videre eſt.

Cùm inter ſtatus, & Reſpublicas, Fœdera præcipuè ad conſeruandam αὐτονομίαν, liberamque iuris & Juſtitiæ adminiſtrationem; & propellendam omnem iniuriam Συμμαχία, & mutuorum auxiliorũ ſtipulatio, introducta ſint: gens quoque Rhætica diuerſa cum diuerſis, ſecundùm occaſiones temporis, fœdera ſanxit. Antiquiorum aliquorum memoriam hîc apponimus: ſingula autem, in Pallade Rhætica breuiter videre eſt.

Anno CIↃCCLXXXII. Fridericus, è Comitum Montfortiorum familia, Epiſcopus Curienſis, fœdus cum Petro Epiſcopo Sedunenſi inijt.

Anno CIↃCCCC. die Dominica poſt feſtum Urbani, Joannes Abbas Diſertinenſis, cum Capitulo, & Communitatibus Abbatiæ: Uldericus Brunus, Baro Rhætij, cum filijs Joanne, Henrico, & Hul
dericho; Albertus à Saxo,

Joannes

Joannes & Donatus fratres, Barones Misauci, Leguntinæ Vallis, & Foueæ, pro se & suis hominibus, & homines de Valle-Rheni: cum Ministrali, & hominibus de Glarona, perpetuum fœdus stabiliunt: quod & post septennium cum Glarona & Urania, pacta inita ampliando, confirmarunt.

Anno CIↃ. CCCCII. Pax & vnio inter Episcopum Curiensem Hartmannum, eiusq; Cathedrales; & Glaronam, Suitiam, Entlibuoch, & Agriam, stabilita fuit.

Anno CIↃ CCCCXIX. Joannes Abundius Naso, Episcopus Curiensis, cum Capitulo suo, fœdus & ciuitatis jus, apud Tigurinos per annos quinquaginta vnum inijt.

Cùm Rhætiæ status, propter diuersorum Regulorum violentum dominatum, miserè vexaretur: prouectiores aliqui, quotidianis deprædationibus prouidere volentes, tantum obtinent, vt perpetuum fœdus, quod Grysæum ab illo vsque tempore dictum, inter se pangerent, in pago Troni, medio mense Martio anno CIↃ CCCCXXIV. vtpote, Petrus Pultingerus, Abbas Disertinus, cum Disertinensi & Vortiensi iurisdictione; Joannes Henricus & Uldericus Brunij, fratres, Domini à Rhætio, cùm suis iurisdictionibus Rhætiensi, Supersaxensi, Stussaria & Tenna; Comes Joannes à Sacco, natus è Misauco, & eius jurisdictiones, (Vallem tamen Misaucinam non inclusit; vt quæ fœdus anno demùm CIↃ CCCC XCVI. sub Joanne Jacobo Triuultio ingressa est) Ilantium nempe oppidum, & Fouea tota, Vallis Leguntina, Vallis S. Petri, & Flemium: Hugo Comes à Verdenberg, & eius iurisdictiones, Trimontium altum, cum Taminio, Levuenberg, & Schlevenio, Liberi de Laxio: ex Henrici verò Verdenbergici Comitis Jurisdictionibus, Domino non consentiente, Ministralis & Communitas in Valle Rheni, Sexamnio, Thusciensi, Montana, & Cepinensi iurisdictione.

Henricus Verdenbergicus, auxilio Episcopi Curiensis, contra suas iurisdictiones, à Pontifice Romano, & Imperatore, excommunicationem & proscriptionem obtinet; sed illæ in fœdere persistunt. Brunios fratres, Rhætij Dominos, fœderis initi etiam pœnituerat: qui proin aliud, quod

nigram Ligam (vestes enim nobiles gerebant plerumque nigras) vocabant, faciunt,& ductore Joanne à Rechberg Genero Verdenbergici.

Anno CIↃ CCCCL. per montem Gongelium,cum exercitu,noctu venientes,Sexamnium,ad occupādum castrum Berenburg tendunt: sed, insidiis detectis, Rechenbergici cæduntur,& fugantur; & Henricus, Rhætij Dominus,doli conscius, in castro suo capitur, & Valendaunum deducitur: iamque communi iudicio, vti fœdifragus, morti adiudicatur: verùm populi,iam vino exhilarati,in genua procidens,gratiam obtinet.

Cathedrales aliquæ Communitates circa annum CIↃ CCCC. & postea anno CIↃ CCCCXIX. se certâ formulâ inuicem obstrinxerunt.

Anno CIↃ CCCCXXV. aliquæ Communitates ex Cathedralibus,nempe Suprasaxum,Vatium,Auersa,Biuium,Bergunium,Furstenouium Grisæo Fœderi se iungunt.

Anno CIↃ CCCCXL. vigilia Ascensionis Jesu Christi,fœdus Grisæum se coniunxit nexu fœderali cum ciuitate Curiensi,& Quatuorpagicis.

Decem Jurisdictionum homines,vt magis tuti viuerent, & tamen liberam suam αὐτονομίαν conseruarent,sub limitato & moderato Vatiensium Baronum (qui ipsorum conterranei erant, & proinde in ipsorum patrocinium consenserunt) & Comitum Tockenburgicorum dominio, vniti, in possessione iurium & priuilegiorum suorum vixere.

Extincto autem Friderico Tockenburgico,huius prosapiæ vltimo, cum hæreditas eius variè distrahi videretur, anno CIↃ CCCCXXXVI. die Veneris,ante Festum Corporis Domini,fœdus perpetuum iniuêre.

Subsequenter X Jurisdictiones cum Cathedralibus, anno CIↃ CCCCL. Curiæ: & paulò post, cum Grysæis anno CIↃ CCCCLXXI. die Jouis, ante festum Conceptionis D. Virginis,mense Martio se iunxere.

Eodem anno CIↃ CCCCLXXI. omnia tria Fœdera indissolubili nodo, ex vigore liberæ αὐτονομίας, & administrationis Reipublicæ,in perpetuum se colligauere,in loco Bellofortensis iurisdictionis,Vazerolo dicto.

Vallis-

Vallis-Tellina, comitatus Clauennæ, & Dominium Bormij, Rhætis (vt aliâs diximus) primo paruere, cum fines suos versus Comum, Tridentum, & Veronam, extenderent: &, anno ante Christum natum decimosexto, à Publio Silio ab Augusto Imp. contra Alpinos misso, subacti fuere, cùm se ipsi, vt fidi Dominis suis Rhætis, opposuissent. Post variæ Imperij Romani, vti etiam Rhætiæ, inuasiones fuere: sed Rhæti, etsi minùs potentes essent; tamen iurium suorum super dicta valle, comitatu, & dominio, non obliuiscebantur: quæ donatione Mastini, Barnabæ Vice-comitis Mediolani filij, aucta fuere. Et res sic se habet:

Joannes Galeatius, Galeatij secundi filius, Vicecomes, patruum suum Barnabam carceribus addixit, & eius dominia occupauit. Barnabæ filius natu minimus, Mastinus, (cui Pater, anno CIↃ CCCLXXIX. Brixiam, Ripam Salodij, Vallem Camonicam, Vallem Tellinam, Comitatum Clauennæ, & Bormium, ante captiuitatem suam, cùm partem dominiorum inter filios distribueret, dederat) Curiæ Rhætorum in exilio se apud Episcopum Hartmannum continuit. Anno itaque CIↃ CCCCIV. die penultimo mensis Julij, in ciuitate Curiensi donabat Mastinus Vicecomes, Mediolani, gratitudinis ergò, Ecclesiæ D. Virginis Mariæ, quæ Curiæ est, & eiusdem Episcopo Hartmanno, Vallemtellinæ (ita verba habēt) Commune de Bormio, Commune de Pesclauio, castrum, oppidum & vallem Clauennæ, & Plurij, cum omnibus suis hominibus, rebus, dominiis, iuribus, &c.

Possessionem autem, quamuis omnibus iuris remediis adhibitis, Episcopus & Rhæti Confœderati, ob potentiam Joannis Galeatij, & successorum, obtinere non valebant: frustrà etiam re eadem armis, anno CIↃ CCCCLXXXVI. exhortante eos Innocentio octauo Pontifice Maximo, & aliis vicibus tentata. Bormium quidem Episcopus Curiensis aliquandiu tenuerat; sed anno CIↃ CCCCL. ex imprudentia Ulderici Comitis ab Amacia; qui se Aduocatum Episcopatus Curiensis vocabat, iterum amissum fuerat.

Tandem anno CIↃ IↃ XII. bello inter Pontificem Romanum Julium secundum, & Ludouicum duodecimum, Regem Francorum, incalescente; Pontifex, quos potest

contra excommunicatum Regem ad arma vocat: cui tùm operam addicunt, inter alios, Heluetij, & Rhæti; quos vexillis donat, Ecclesiæque Defensores, & Principum Domitores, cognominat. Gallorum militum insolentia in Volturena, Clauennæ, & Bormij, tum crescebat: hi namque ex castris regionis, in strictissimis ostiis constitutis, equisones & viatores transitu prohibebant, eosque captiuitate & bonorum ablatione mulctabant. Hortatu itaque Summi Pontificis, & iniuriis ac vexationibus lacessiti; insuper iuribus suis antiquis, & legitimis titulis, ac prætensionibus, confisi, (magna enim pecuniæ summa nostris propter stipendia militaria à Galliæ Rege, & Mediolani Ducibus, debebatur) Paulus Episcopus Curiensis, cum Rhætis Trium Fœderum, (Fœderis Grysæi exercitum ducebat Hercules, seu, Hartvuicus à Capaulo: Fœderis Cathedralis, & Episcopi, Cunradus à Planta, proauus meus, qui postea etiam primus Vallitellinæ Capitaneus & Gubernator datus est; & X. Jurisdictionum, Cunradus Belinus) per montem Berninam, anno M. D. XII. die Jouis, XXIV. Junij, ditionem fœliciter sunt ingressi. Castra mox duo fortissima, Plattamala in confinibus Pesclauij, cui Bastardus Straxe, Gallus, præerat; & Tiranense, cuius Castellanus Stephanus Bastierus erat; interuentu Aloysij Quadrij, se dedũt. Die Dominico XXVII. prædicti mensis & anni, Tilij Rhætis iurata est fidelitas, præeunte eis, nomine Rhætorum, Hartvuico à Capaulo. atque ita etiam Bormium, Comitatus Clauennæ, & Tres plebes, Larij lacus accolæ, vtpote, Soricum, Domasium, Grabedona, & Aduncum, Mussium vsque, vniuerso populo congratulante *(Viua Grisoni)* capta & recuperata; tantùm in castro Clauennæ occupando sex menses insumpti. Præsidiarij, Duce Jacobo Fayet, Gallo, commeatu destituti, se dedidere, & per Heluetiam Gallias repetiere.

Anno M. D. XIII. sequenti, Maximilianus Sfortia, Ludouici Mauri filius, Dux Mediolani, ab Heluetiis & Rhætis in Ducatum restitutus, pro parte stipendiorum, & bene meritis, sponte sua, & liberè, omnes illas regiones, quas in Ducatu Mediolani ceperant, ipsis cedit: cuius rei litteræ eodem anno datæ extant. Identidem frater ipsius Franciscus secundus,

cundus, Dux Mediolani, anno M. D. XXXIX. pactis cum Rhætis ad pellendum Jo Jacobum Medicæum initis, Fratris acta circa Vallemtellinam, Clauennæ comitatum, & Bormium, confirmat.

Anno M. D. XVI. die XXIX. Nouembris, Friburgi Auenticorum, pax perpetua inter Franciſcum primum Gallorum Regem, ex vnâ; & Heluetios, atque Rhætos, ex altera parte, initur. Rex Heluetiis ſuas præfecturas, cis montes; & Rhætis Volturenam, comitatum Clauennæ & Bormium perpetuò liberè poſſidenda dimittit. Et anno M. D. XXIII. cum Cathedrale & X. Juriſdictionum fœdus, Gallicum fœdus etiam acceptarent; (Gryſæi enim illud, anno M. D. XXI. ingreſſi erant) idem Rex prætenſioni ſuæ ſuper Tribus Plebibus, à Rhætis tunc poſſeſſis, renunciauit.

Anno M. D. XVIII. Maximilianus Imp. Rom. in fœdere perpetuo hæreditario, cum Rhætis trium fœderum inito, promiſit inter alia, nullum tranſitum contra Vallemtellinam, & comitatum Clauennæ, dum in Rhætorum manu ſint, vnquam ſe concedere velle. Et ſpoponderunt ſibi mutuam regionem ſuarum defenſionem: nempe; Imperator, totius Rhætiæ trium Fœderum, & ipſorum ſubditorum: & Rhæti viciſſim; comitatus Tyrolis, & quatuor Dominiorum cis montẽ Arulam, circa lacum Conſtãtienſem.

Anno M. D. XXX. die Lunæ ante feſtum Purificationis D. Mariæ, cum tria Fœdera Rhætiæ graues expenſas & iacturam rerum, cum internecione multorum fortium virorum, in oppugnatione ciuitatis Clauennenſis, præſertim autem obſidione caſtri ibidem; vt & bello Dubinenſi à Jo. Jacobo Medicæo, & eius ſocio Comite Gerardo de Arco; anno M. D. XXV. geſto, paſſa fuiſſent: Epiſcopus verò Curienſis (cui antea quarti cuiuſque Volturenæ Capitanei & Gubernatoris electio, per pacta anno M. D. XIV. inita, competebat) nec militem, nec comeatum, aut quicquam de ſuo cõtribuiſſet; ad certa pacta (quæ ſub ſigillo Jo. Ebli, Landtammanni apud Glaronẽſes, Arbitri, deſcripta ſunt) deuentum fuit: vt nempe Epiſcopus ius ſuum, quod in Volturena, comitatu Clauennæ, & Bormio, habebat, tribus Fœderibus liberè renuntiaret: viciſſim illi certam pecuniæ ſummam,

nempe, quolibet anno, mille libras Imperiales darent. Singulis bienniis ex telonio Clauennæ ipsi D. LXXIII. florenos, & sex bacenos pendunt. Anno M. D. LXXXIV. inter Episcopum Curiensem, & Rhætos, pactio, vt ex telonio Clauennensi prædicta summa pendatur, renouata fuit.

Cæterum huius regionis (Volturenæ) amœnitatem, & fertilitatem, penicillum hoc meum depingere non valet. Palmam inter omnes Europæ valles, scriptorum consensu, iamdudum obtinuit. Ex antiquis, elegantissimâ breuitate eam describit Enodius, Episcopus Ticinensis, in vita B. Antonij, Monachi Lirinensis, his verbis: Antonium nostrum famuli ad Italiæ partes, Christo duce, perducunt. Principe loco Vallemtellinam ingreditur, quam montium ex vtroq; latere brachiis fabricata ditat amœnitas: & de verticibus fœcundis animum plebis locupletat: at vber solum, quod auaris respondet, iuxta desideria immoderata, cultoribus, non tamen ita aristis prægrauidum, aut dotatum pascuis, aut arbustis compositum, aut fluminibus lætum; vt non plus superuenientis personæ gratia præstaret, quàm ipsius regionis variata & distincta formositas.

Situs eius secundùm longitudinem ad pedem summorum Rhætiæ montium est: vnde flumina Italiam petentia scaturiunt: ex quibus Abdua Bormiense dominium, & Vallemtellinam totam, transfluit, & mediam intersecat. Ab Oriēte, sunt Rhæti Vallis Monasterij, Vallis Stiluia, Tyrolensis Comitatus, & Vallis Solis incolæ: à Meridie, Camuni & Bergomates, Venetæ ditionis: Occidentem versus, Larij lacus accolæ: ad Septentrionem, Pesclauienses, Engadini, & Prægalli Rhæti. Longitudo eius iuxta Abduam, est sexaginta milliarium Italicorum; quæ decem Germanica efficiunt. Latitudo incerta: nam iuxta S. Britium in Bormiensi; ad S. Jacobum in Tiliensi; ad S. Mariam ad Saxellam, in Sondriensi: & ad S. Gregorium in Morbeniensi, & Trahonensi iurisdictione, in ostia satis angusta restringitur.

Dominium, Bormij, in summitate, iuxta fontem Abduæ situm (Dominium inquam, non Comitatus est, vt quidam perperam scribunt) diuiditur in quinque vicinias, seu communitates minores.

Prima;

Prima; Bormium oppidum ipſum, vnde regioni nomen: ſecunda; Vallis Forba: tertia; Vallis Interior, vbi Primadium, & Vallis Pedenucis: quarta; Vallis Inferior, vbi Cepina: quinta; Vallis Luuinium.

In Valletellina tria tertiaria ſunt, & communitas Tilium (vnde valli nomen) quæ nulli tertiario inſerta.

Tertiarium ſuperius vndecim habet cõmunitates. I. Tiranum; deinde, ratione ſitus, quem obſeruamus in enumeratione, Bormio conterminum Sondalum. III. Groſium. IV. Groſſubtum. V. Veruium. VI. Matium. VII. Touum. VIII. Luuerum. IX. Sernium. X. Villa & Stazona. XI. Blanzonum.

Sequitur communitas Tilij, quæ in trigintaſex Contratulas diuidi ſolet.

Medium Tertiarium ſeptemdecim cõmunitates habet. I. Sondrium. II. Pontum. III. Clurium. IV. Trixiuium. V. Mons aquæ. VI. Montanea. VII. Caſtionum. VIII. Poſtaleſium. IX. Berbennum. X. Buffettum. XI. Plateda. XII. Faëdum. XIII. Alboſagia. XIV. Cajolum. XV. Cidraſcum. XVI. Fuſinæ. XVII. Colorina.

In Tertiario inferiori duæ Squadræ, Abdua terminum ſtatuente, ſunt, Morbenienſis, & Trahonenſis.

Morbenienſis duodecim communitatibus ſubdiuiſa eſt. I. Morbennium. II. Communitas Furcula. III. Talamona. IV. Bema. V. Albaredũ. VI. Gerola. VII. Pedeſina. VIII. Raſura. IX. Coſium. X. Rogolũ. XI. Alebium. XII. Plantedium.

Trahonenſi vndecim quoque ſunt diſtinctæ communitates. I. Trahona. II. Bulium. III. Ardennum. IV. Datium. V. Cliuium. VI. Mellum. VII. Cercunum. VIII. Ciuum. IX. Campus vicus. X. Mantellum. XI. Dubinum.

Clauennenſis Comitatus, quem amnis Maira ſecat, longitudinem quindecim milliarium Italicorum complet, trium nempe Germanicorum. Latitudo incerta: nam longè, iuxta Lirum amnem, in vallem Jacobi ſe extendit. Vallis ſatis anguſta. Orientales habet vicinos Prægallos; Occidentales, Miſaucos, & Larij lacus accolas: à Meridie; Boccam Coſtium, Abduæ finitimos: à Septentrione; Vallis Rhenanos & Auerſenſes, Rhætos.

Diuitur totus Comitatus in quatuor partes. I. Clauenna oppidum. II. Plurium oppidum: quod perijt, anno M.DC.XVIII. ſed viciniæ eò pertinentes ſunt Villa, & aliæ. III. Vallis S. Jacobi; quæ in duodecim quartarios ſubdiuiditur. Et IV. Communitates Exteriores quinque. I. Nouatum. II. Prada. III. Meſe. IV. Gordona. V. Samolicum.

Rhæti Griſones Trium Fœderum, iam pacati poſſeſſores harum regionum facti, anno M.D.XXIII. in feſto D. Matthæi, Fœdus ſuum perpetuum, ampliori formâ comprehendunt; ſanctione additâ, vt ſingulis duodecim annis Juramento renouetur.

Rhætiæ itaque Inalpinæ Confœderatæ, Subditarumque ei terrarum termini, ſunt hi: ab Oriente habitant Vennones: *(Vallis Venoſta)* ibi inter Monaſterium *(Munſter)* pagum & Tuberium *(Taufers)* crux terminalis eſt. Juriſdictio tamen ciuilis Rhætica, cum ſuis pertinentiis, vlteriùs patet, multis Confœderatis Rhætis extra dictum terminum habitantibus: vt in Pallade noſtra videre eſt. Prætcrea, ab eadem plaga Ænanos *(Inthaler)* vicinos habent; quo loco Rhætia, à ſiniſtro latere, vſque ad Pontem Martini extenditur; à dextero autem latere ea patet vſque ad riuum, *Schergenbach* dictum, qui communis terminus eſt. A Solis denique Ortu vicinas quoque agnoſcit Vallem Stiluiam, & Vallem Solis: vbi ſummi montium vertices ſunt terminales. Ab Occidente porrò Rhætiæ Confœderatæ adiacet Comitatus Biltionenſis: vbi riuulus de Lumino, & ſummitates Grainæ & Lucumonis (qui nunc Sanctorum Mariæ & Barnabæ nominibus notus eſt) & denique Criſpaltæ, Vepchæ, Mærchæ, terminum ponunt. A Meridie Rhætis Confœderatis contermini ſunt primò, Larij, lacus accolæ. In planitie, à Vallis Tellinæ parte, infra pagum Plantedium locus eſt, *Il Sanchietto* dictus, qui per rectam lineam crepidinem montis in cacumen ſecat: hinc Abduas: à parte Comitatus Clauennæ, in continenti quidem, locus ad lacum Mezolæ eſt, *La Porta*, vocatus: in lacu verò ipſo Mezolæ, ſeu, Clauennæ; ſaxum ſuprà Datium, *Il Saſſo d' Olciaſco* dictum: Præterea, cacumina montium Vallis Saxeæ, Mediolanenſis Ducatus: & iugum montium, verticeſque Vallis Brembanæ, Serianæ, &

Scaluiæ,

Scaluiæ, Bergomatum; & Vallis Camonicæ, Brixiensium; Venetæ ditionis populorum. Septentrionale latus ab vna parte claudunt cacumina Rhæticonis montis, à cuius tergo Montefuniani, Austriacæ ditionis, habitant: in planitie verò Fons S. Catharinæ, infra Cliuum S. Lucij, ab Estionibus Valledulcianis, Comiti ab Alto Amisio parentibus, Rhætiam Confœderatam intersecat. A parte verò altera, cùm exigua rupe aliquãtum infra pontem Rheni regiæ viæ imminente, sursumque in summitatem montis S. Margarethæ tendente; tùm inferiùs, ipso Rheno flumine à vicino Comitatu Sarunetum, terminatur eadem. Atque horum limitum vbique certi termini positi extant.

Longitudo ergo hodiernæ nostræ Dominantis & Subditæ Rhætiæ fuerit, si ab Oriente æstiuo in Occidentem hybernum sumatur, circiter milliarium Italicorum nonaginta trium: seu, Heluetico-Germanicorum quindecim cum dimidio: latitudo; octuaginta quatuor Italicorum, quæ sunt quatuordecim Heluetico-Germanica.

Figura Rhætiæ similis est formæ piscis soleæ, seu passeris marini extensi, Germani *Platteisli* vocant. Mons est situs inter Amisium, Scheidium, & Umbilicum, in cuius cacumine Tria Fœdera collimant.

Fœdus Grysæum, quod etiam, ratione situs, superius vocant, octo Conuẽtus magnos habet. Jurisdictiones minores olim erant viginti duæ; nunc verò numerantur viginti tres, postquam videlicet Alto-Trinum à Taminio separatum est. Ac totidem etiam sunt Ministrales. Ordinem in Comitiis Trium Fœderum, quoad præeminentiam, hunc seruant: Disertinum, Vallis Leguntina, *(Longonczza)* Fouea. (Ilantij & Dauosij, in Comitiis, Foueani Leguntinos; Troni verò, & Curiæ, Leguntini Foueanos præcedunt) Flemium, Vurtium, Rhætium, Supersaxum Fœderis Grysæi, Laaxium, Vallis Rheni, Sexamnium, Thuscia; Montana, Scleuenium, Altum Trinum, seu Trimontium, Taminium, Vallis S. Petri, Stussauia, Cepina, Tenna, Misaucum, Rogoretum & Calaucha.

Fœderis Cathedralis, seu Domus Dei, vt appellant, vndecim Conuentus magni sunt; Jurisdictiones verò viginti

& vna. Ordo in Comitiis generalibus hic est: Curia ciuitas, quæ Præsidem Fœderis habet, Vallis Prægallia, Furstenouiensis, Jurisdictio in Tomiliasca, Suprasaxum cum Imo castro, Engadina Superior, Ortensteniana Jurisdictio in Tomiliasca, Engadina Inferior, Bergunium, Vallium Superius, Quatuorpagici, seu, viciniæ, Pesclauium, Eremusium, Biuium, Auersa, & Vallis Monasterij.

Decem Jurisdictionum Fœdus ita dictum est, quòd, cùm septem tantùm Conuentus Magni sint, tamen trium posteriorum quilibet in duas minores Jurisdictiones diuidatur; quarum vna, Aluonouana, hodie in duas quoque alias subdiuisa est; ità, vt sint vndecim Jurisdictiones. Ordo in Comitiis talis: Dauosium, quod Præsidem Fœderis habet; Vallis Rhetigoia, vbi tres Conuentus magni, Cœnobianus, Castellensis, & Acceriensis, cum Lacupratensi: Dominium Maiævillæ, *(Maienfeldt)* sub quo Malansium, & Maiævilla: Aluanouum, quod in Lantianam, & Aluonouanam Jurisdictionem diuisum est: *Churvalden*, seu Coruantium: Vallis Scanauicana ad ædem S. Petri, & Pratum longum.

In publicis generalibus Trium Fœderum Comitiis, ex Grysæis, Oratores viginti octo: ex Cathedralibus, viginti quatuor; ex Decem Jurisdictionibus, quindecim sunt. Sed quæ concernunt Dominia acquisita, aut acquirenda, cum omnibus suis iuribus, accessoriis & emolumentis, iis æqualibus portionibus Tria Fœdera (ex tenore litterarum fœderis) fruuntur, & interueniunt.

Sed reflectamus aliquantum iterum ad Confœderatos Rhætorum.

Anno M. CCCC. XCVII. die Mercurij ante festum Joan. Baptistæ, Tiguri, cum septem pagis Veteribus Heluetiæ, Tiguro, Lucerna, Urania, Suitia, Underualdia, Tugio, & Glarona, se fœdus Grysæum perpetuò iungit.

Anno M. CCCC. XCVIII. die Jouis ante festum Luciæ, Tiguri, Fœdus Cathedrale cum iisdem septem pagis, seu, Cantonibus, perpetuum fœdus init. Et ab eo tempore omnia Tria Fœdera Confœderati, & Socij Heluetiorum vocati sunt.

Prout anno quoque M. D. LXVII. die XXII. Junij Badenæ in Helue-

Heluetiis, in publicis Comitiis, ſeptẽ Cantones veteres, ſub ſigillo Simonis Vurſtenbergeri Præfecti, ad petitionem Legatorum Decem Juriſdictionum Fœderis, vt etiam in Fœdus reciperentur, reſcripſerunt; Etſi fœdus cum eis hoc tempore non pangant; tamen promittere, vbi dicto X Jurictionum Fœderi, corpore ipſo & bonis *(Leib vnd gut)* amicam voluntatem, & ſeruitia præſtare poſſint, nullo vnquam tempore ſe defuturos: & quando ad Tria Fœdera coniunctim, vel etiam ad X Juriſdict. Fœdus ſeparatim, litteras mittere, vel eos oretenus interpellare neceſſe habuerint, ſemper Titulo Confœderatorum condecoraturos.

Anno M. D. XC. die VIII. Septembris Decem Juriſdictionum Fœdus cum Tigurinis & Glaronenſibus (vti cætera duo Fœdera iuncta erant) amplo & perpetuo fœdere ſe iungit.

Anno M. DC. die quinta menſis Auguſti, tria Rhætorum Fœdera cum vicinis Valeſianis perpetuum fœdus feriunt.

Anno M. DC. II. cum ampliſſima Republica Bernenſi eadem Tria Fœdera æternum fœdus pangunt.

Heluetij cum Pontifice Romano Sixto quarto, anno M. CCCC. LXXVIII. fœdus inierunt: qui & Rhætorum amicitiam magni fecit, in qua ſucceſſores ad Julium ſecundum perſeuerarunt. Hic anno M. D. X. opera Matthæi Schineri, Epiſcopi Sedunenſis, cum Heluetiis & Rhætis ad certum tempus fœdus pepigit, & eorum, vti dictum in Pallade Rhætica, opera vſus eſt. Cum ſucceſſore Leone X. fœdus continuatum fuit: quo extincto, cum reliquis in Pontificatu ſucceſſoribus, nulla Rhætorum fœdera extant.

Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum primus fuit Carolus ſeptimus, qui ſe Heluetiis Cantonibus, vtpote, octo pagis veteribus, fœdere iunxit, Pariſiis, anno M. CCCC. LIII. die quarto Aprilis: quod ipſum cum regni ſucceſſoribus ſæpius renouatum.

Anno M. D. VIII. die vigeſimoquarto Junij, Cremonæ in Italia, Rex Chriſtianiſſimus Ludouicus XII. amplum fœdus, de conceſſione militum, & tranſitus, ac aliis, cum ſolis Rhætis Trium Fœderum pepigit.

Poſtea, cum vniuerſæ Reipubl. Helueticæ & Rheticæ

corpore anno M. D. XVI. Friburgi pacem perpetuam sanciuit. Et anno M. D. XXI. & XXIII. fœdera Gallica renouata fuere: quæ adhuc hodierno die, cum laude & fructu, perdurant: Regibus Galliæ, singulis Heluetiorum pagis, & Rhætis Fœderibus, seu ex vigore pacis perpetuæ, seu ex vigore confederationis, ter mille libras Francicas pendentibus quotannis.

Inter Serenissimam Domum Austriacam, vt quæ à multis annis Comitatum Tirolis possedit, & Episcopum Curiensem, eiusque Cathedrales, sicuti diuersa dissidia, & bella; sic quoque contra, multi pacis tractatus fuere: qui subinde paullùm durauere.

Eiusmodi sunt conuentiones, anno M. CCC. LVIII. Raperschuilæ factæ, inter Serenissimam Domum Austriacam, Ducem nempe Albertum, & Petrum Episcopũ Curiensem.

Anno M. CCC. XCII. in festo S. Johannis Curiæ Rhætorum, Albertus, & eius nepotes, Vilhelmus, Leopoldus, horumque fratres, Duces Austriæ, Comites Tirolis, &c. fœdus ineunt cum Hartmanno, Episcopo Curiensi, & Cathedralibus.

Anno M. CCCC. V. in festo Osualdi, dictum fœdus inter partes confirmatum fuit.

Anno M. CCCC. XV. die S. Mariæ sacro, Curiæ, nouæ litteræ (cùm paulò ante bello se inuicem vexassent) pacis, inter Fridericum Archiducem Austriæ, & Hartmannum, eiusq; Cathedrales, sunt confectæ.

Mox dissidium, propter castrum Taraspum, & alia, subsecutum est: quod anno M. CCCC. LXV. interpositione Confœderatorum Rhætorum, compositum fuit.

Sic, alia quoque pacta inter Archiducem Sigismundum, & Ortliebum Episcopum Curiensem, & Cathedrales, tractata.

Anno M. CCCC. LXXV. idem Archidux, instinctu Castellani Schlanderbergensis & Enudriensis, bellum eidem Episcopo, & Cathedralibus, infert: in quo Engadini strenuè se gessere. Tandem, interuentu Episcoporum Tridentini, & Brixanonensis, sedatum fuit.

Sed anno M. CCCC. XCIX. bellum crudelissimum inter Maxi-

Maximilianum Rom. Imp. & Heluetios, Rhætosque, exarsit: vbi Heluetij & Rhæti intra quinque menses in octo prœliis campestribus victores extitere.

Secuta mox pax inter partes Basileæ est, die XXII. Septembris eiusdem anni, interuentu Galeatij Vicecomitis, Ludouici Mariæ Sfortiæ, Ducis Mediolani, Oratoris.

Optimus ergò Imperator virtutem Rhætorum expertus, nouum Fœdus, quod Hæreditarium vocatur, cum Paulo Episcopo Curiensi, & tribus Fœderibus Rhætis, ad viginti annos iniit.

Anno M.D.XVIII. die XV. Decembris, illud fœdus nōdum finitum, ad perpetuam posteritatem propagādum prudentissimus Imperator (qui se iam ætate prouectum sentiebat, & successorib. pacem perpetuam cum his populis cordi esse volebat) renouauit: quo ex Dominiis Serenissimæ Domus Austriacæ, Comitatus Tirolis, & quatuor Dominia cis montem Arelam; nempe, Velcurianum, Brigantinum, Hocheneck, & Pludonense: ex altera parte, Episcopus Curienriensis, & Rhæti trium Fœderum, cum suis Ditionibus, comprehenduntur. Inter alia pacta, etiam hoc est: Quòd cuilibet Fœderi ducenti floreni Rhenenses quotannis dari debent. Subinde aliquæ dissensiones, præsertim inter Engadinos Inferiores, & proximos Austriacæ ditionis subditos, natæ sunt; quæ per Commissarios hinc inde nominatos compositæ; vti anno M.D.XXXIV. Glorij & Damalij: anno M.D.LXXXV. Damalij: item anno M.D.XCII. & anno M.D.XCIII. Damalij & Oenotrij, & aliis etiam temporibus Æniponti, & alibi, factum fuit.

Inter Serenissimam Rempublicam Venetam, & Rhæticam, semper, tum propter vicinitatem, &, quòd vtraque libertatis aureæ conseruandæ maximè studiosa esset: tùm etiam, quòd Rhæti aliquando eorum auspiciis militassent, syncera amicitia viguit: proindeque etiam certæ conditiones inter eos sunt tractatæ, vti anno M.D.LXXIX. mense Augusto, Venetiis, certæ capitulationes propter bannitos & commercia publica, ac mercatorum Rhæticorum, qui eò armenta ducebant, exemptionem à teloniis, sancitæ fuere.

Anno M. D. LXXXII. consimiles, quibus armorum non specialiter prohibitorum in Dominio Veneto liberè gestandorum licentia, vt & telonij ac portorij in domo Germanica Venetiis, cum certa moderatione persoluendi, leges definiuntur, initæ fuere.

Et postea anno M.D.XCI. per Joannem à Salis, Rhætum, qui Venetiis in legatione fuerat, etiam inter primores Rhætiæ fœderis mentio facta est.

Anno M.D.XCVIII. & sequenti, in Rhætia, nomine Venetorum fœdus ambijt Eques Alexander Aiardus. Articuli fuere propositi; sed tunc, ob aliqua impedimenta, fœdus non initum fuit.

Anno verò M. DC. III. mense Augusto, Dauosij in Comitiis publicis fœdus ad decennium, procurante Jo. Baptista Padauino, Secretario Veneto, inter Serenissimam Rempublicam, & Rhætos Trium Fœderum, pactum fuit: quo, præter alia, Veneti cuilibet Rhætorum Fœderi quotannis mille ducentos coronatos Venetos (Ducatones vocant) & Tribus Fœderibus communiter, sexaginta sclopeta (moschetas nominant) contribuerunt.

Possessoribus Ducatus Mediolani iam olim cum aliquibus Communitatibus Fœderis Grysæi, & Cathedralibus, tanquam vicinis, certæ capitulationes, vti vocant, fuere. Primò cum Vicecomitibus: postea,

Anno M. CCCC. LXVI. die X. Octobris Blanca Maria, Ducissa Mediolani, Domina Cremonæ; & Galeatius Maria Sfortia, eius filius, Dux Mediolani, pacta & conuentiones, quæ inter Franciscum Sfortiam maritum, & patrem respectiuè Ducem Mediolani; & Henricum de Sacco, Comitem de Misauco, etiam nomine Joannis fratris, & cæterorum nobilium de Sacco, tractatæ fuerant anno M. CCCC. L. in ciuitate Laudi Pompeiæ confirmarunt.

Anno M. CCCC. LXVII. tertio Idus Martij, Mediolani, Blanca Maria Vicecomes, Ducissa Mediolani, eiusq; filius Galeatius Maria Sfortia, Dux Mediolani, cum hominibus de Valle Prægallia, Valle Engadina, Sexamni, Valle Suprasaxo, & Aurea, pacta & conuentiones ineunt: quæ anno M. CCCC. LXVII. inter partes confirmata fuere.

Et alia,

Et alia, eadem Ducissa, & Dux filius, cum solis hominibus Vallis Rheni anno M CCCC. LXXXIV. stabiliuerunt.

Cùm Jo. Jacobus Medicæus (Medichinum vocauêre) Anno M. D. XXV. (dum Rhætorum sex millia cum Rege Christianissimo in obsidione Papiæ essent) per fraudem & dolum castrum & vrbem Clauennæ occupasset, & Vallem-tellinam etiam inuasisset: Dubini, sicut etiam versus Ripam Mezolæ, eius exercitus cæsus fuit.

Anno verò M. D. XXXI. bellum compositum renouauit, & per proditionem oppidum Morbennium occupauit. Rhæti tùm Heluetiorum auxilia implorauere; quorum maior pars præstò fuit. Anno eodem cum Francisco secundo, Mediolani Duce, conuentiones & pacta de pellendo Medicæo iniere. Et verò etiam, hoste communibus viribus tandem profligato, castrum Mussium, & Turris Olonia, cum pactis, nec has ipsas arces, nec simile quicquam vnquam in his confiniis reparandi, & ædificādi, destruxerunt.

Anno autem M. D. XXXV. Dux Franciscus vitam cum morte, sine prole legitima, commutauit. Imperator itaque Carolus V. Ducatu Mediolani potitus est: cuius Gubernatores & Ministri in dicto Ducatu ad Fœdus aliquod cum Rhætis feriendum de transitu, milite, & aliis, propensissimi fuere: astutè, modò tectè, modò apertè (prout temporum occasionibus inuitabantur) negotium vrgentes. Rhæti verò, quòd cum Rege Christianissimo confœderati essent, ab hoc alieni fuere.

Nihilo secius Hispani suos in Rhætia fautores aluere, qui, quauis data occasione, partes suas tueri conati, variis turbis ansam dedere.

Anno etenim M. D. XLII. Pensionarij Regis Christianissimi, instinctu præcipuè Capitanei Bartholomæi à Stampa, Austriacis partibus addicti, mulctati fuere, & viginti quinque ex eis per quinquennium accessu Senatus Rhætici priuati.

Anno M. D. L. Dauosij X Jurisdictionum Fœderis homines (tacitè sollicitante, vt dicebatur, Petro Finero, Præfecto Austriaco Castrensi) conuenerunt, & Pensionarios Gallicos in suo Fœdere grauiter mulctarunt.

Eodem anno M.D.L. Carolus quintus Imperator, vti Dux Mediolani, per Secretarium ſuum Hieronymum Razonum, Rhætos etiam de fœdere ſollicitauit.

Anno M.D.LII. Imperator Carolus, per Jo. Angelum Ritium, Secretarium ſuum, cum Heluetiis, quoad horum Præfecturas trans montes, nonnulla contentionum capita, præcipuè commeatum concernentia, tractauit. Quod ipſum cum Rhætis quoque, ampliorib. adhuc conditionibus propoſitis, tentatum quidem; ſed, inuigilante Legato Gallico in Rhætia, effectui neutiquam datum fuit: ne hac capitulatione ad fœdus totaliter allicerentur.

Anno M.D.LVII. à Chriſtophoro Cardinali Madruccio, Gubernatore Ducatus Mediolani, Bartholomæus Boſſius in Rhætiam miſſus fuit, & articulos fœderis etiam propoſuit, qui tamen non fuerunt acceptati.

Anno M.D.LXI. idem Ritius (alij Bartholomæū Boſſium ponunt) à Gubernatore Mediolani, Bernardino Blanco, Præpoſito Scalæ S Mariæ Mediolani, Legato Pij quarti Pontificis, adiunctus, diuerſa, in Comitiis Ilantinis, petiit; præſertim; vt ad Concilium Tridentinum ſuos mitterent Legatos Catholicos, non Proteſtantium Eccleſiarum Paſtores: Epiſcopo Comenſi Juriſdictio Eccleſiaſtica in Valletellina, &c. plenariè concederetur: Typographia Peſclauij ſupprimeretur: apoſtatas profugos ex Italia (ſic Religionem Reformatam profitentes exules nominabat) hoſpitio ne exciperent: aliaque conſimilia. Riccius interim animos Rhætorum, qua mente erga Regem ſuum eſſent, expiſcari non neglexit: ſed nihil perfecit.

Anno M.D.LXIV. cùm Fœdus cum Carolo nono Galliarum Rege, in Rhætia, per Pomponium Bellevreum Legatum, renouandum eſſet; Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex, Joannem Comitem Anguiſciolam, Comi Præfectum, in Rhætiam miſit: qui petijt, vt Regi quoque ſuo ſe fœdere iungerent. Cùm fruſtrà diu laboraſſet; tandem ſollicitè petijt, vt neutri ſe coniungerent. Iſti duo Legati Curiæ in aula Epiſcopali, feſta quadam die, propter præcedentiam, ferè ad arma venerunt. Pomponius enim gladium ſtrinxit, & locum obtinuit; alter mox ex Rhætia diſceſſit.

Sed

Sed tantùm operatus erat, vt, anno ſequenti M. D. LXV. Zuzij, in Engadina Superiori, Engadini omnes cōuenirent, & Penſionarios Gallicos, alioſque, grauiter mulctarent.

Anno M. D. LXXIX. Antonius Calmana, Miniſter Hiſpanicus, Regis ſui negotium in Rhætia ſollicitè promouit: ſed nihil obtinuit.

Anno M. D. LXXXV. Rinaldus Tectonus aliquid aperto Marte tentare conatus fuit contra Vallemtellinam: ſed, cum Rhæti in armis eſſent, concidit eius conatus: & Gubernator Mediolani, Dux Terrænouæ, quòd res minus feliciter ceſſiſſet, ſub alio prætextu eum bāno pòſt mulctauit.

Anno M. D. LXXXVII. Capitaneus Pompeius de Cruce, cum ſex pagis Heluetiis Catholicis, nomine Regis Hiſpaniæ, fœdus percutiens; idem in Rhætia, ſed fruſtrà, tentat.

Anno M. D. XC. Capitaneus Antonius Ardoinus, Ilantij in Comitiis diligentia ſumma fœdus Hiſpanicum vrget. Negotium, præſertim in Fœdere Griſæo, iam videbatur progredi; ſed ſubitanea eius mors vitam & fœdus abrupit.

Anno M. D. XCI. Comes Scipio Gambara, Brixienſis bannitus, proditionem in Valletellina molitus eſt: ſed detecta ea fuit, ipſeque meritas pœnas luit.

Hiſpanicas partes poſt, anno M. D. XCV. & ſequentibus, ſubijt Capitaneus Gabriel Aſcenſus Camera, qui ſe Gleræ ad lacum Larium plerumque continebat: ſed eodem euentu. Nam Colonellus Hartmannus de Hartmannis, Eques Auratus, Hiſpanorum conatibus, præ aliis ſe gnauiter oppoſuit.

Anno ineunte M. DC. III. Jo. Baptiſta Saccus, Secretarius Senatus Mediolani, Curiæ fuit, vbi tum congregatio pro reformanda Republica inſtituta erat; quæ tamen, magna ſui parte, in deformationem poſtea deſijt. Hic exponi ſibi petijt, quibus pactis, & quomodo fœdus Gallicum anno antecedenti renouatum eſſet: addens, Regem Galliæ nulla dominia iam nunc in Italia poſſidere, & proinde nullum tranſitum iure petere poſſe. Et iam tum, inter familiares, de aliqua nouitate, pro ſecuritate Ducatus Mediolani, inchoanda, vti aiebat, ſermones miſcuiſſe dicitur.

Eodem anno poſt ſecutum eſt fœdus Venetum.

Et mense Octobri, die Simonis & Judæ, prima fundamenta fortalitij illius à Gubernatore Ducatus Mediolani, Fontano, *Fuentes*, dicti, posita fuere, loco *Montecchio* dicto, vix lapidem vnum aut alterum à Turre Olonia distante: quem locum ante Brocardus Borronus, Placentinus, ex Rhætia profugus, delineauerat. Hæc verò Turris Olonia, vigore tractatus anno M. D. XXXI. cum Francisco Duce Mediolani initi, vti etiam castrum Mussium, diruta; cautumq; fuit, vt nullis vnquam temporibus erigeretur: ac proin minus, loco magis propinquo, hostile quid extrui per leges poterat.

Missus mox Mediolanum fuit Joannes Baptista à Præpositis, dictus Zambra: itemque ter eò delegatus Georgius Belinus, Præfectus Castrensis; qui, Episcopi Curiensis nomine, vetera diplomata, quoad transitum mercium, produxit, & alia quædam libertati patriæ aduersa, sollicitauit. Rhætorum quinetiam Trium Fœderum Legati bis Mediolanum; cum quibus etiam Heluetij vltima vice miserunt suos, profecti sunt. Sed in opere continuando Hispani semper perrexerunt, & omni comeatu Rhætis interdixerunt.

Anno M. DC. IV. mense Junio, in Rhætiam venit Alphonsus Casatus, Legatus Hispanicus, & cum aliquibus Communitatibus capitulationes quasdam, (Mediolanenses vulgò dicebantur) quarum iam antè, mense Januario, tractatio cum Legatis Rhætorum Mediolani, reseruato Communitatum beneplacito, instituta erat, conclusit. Huius actionibus se fortiter opposuit Mericus de Vico, Legatus Gallicus, vtpote, quas fœderi Regis sui aduersari, & libertati Rhæticæ insidiari diceret. Sic eædem capitulationes conciderunt.

Sed & Ilantij, contra Legatos Fœderis Grisæi, qui Mediolani fuerant; & Dauosij, contra Jurisdictionem Aluonouanam, vt quæ capitulationes contra Fœderalium Decem Jurisdictionum litterarum tenorem, acceptauerat, Judicium censorium habitum. Decem Jurisdictiones torques aureos, quibus Legati ipsorum Mediolani donati erant, Comiti Fontano remiserunt.

Cùm controuersia inter Pontificem & Venetos exorta augere-

augeretur, resque iam ad bellum apertum ſpectare videretur: eodemque tempore Comes Fontanus in viciniis militem ſcriberet, & præſidium Fontanæ arcis numeroſius quotidie euaderet: indeque paucis ante diebus, violatis conlimitiis Rhæticæ Juriſdictionis, milites præſidiarij excurrentes, quatuor Hiſpanos profugos, in Comitatu Clauennæ (ſicuti anno M. DC. V. cum duobus aliis in eodem ferè loco actum fuerat) deprehenſos, in arcem Fontanam retraherent: Rhæti quoq; (vt ratio ſtatus requirebat) Vallemtellinam & Clauennam, ſubditas ſuas ditiones, milite firmare ſtatuerunt.

Proinde, anno M. DC. VII. menſe ineunte Februario, ſex Cohortes (mille octingenti milites erãt) eò mittunt: quibus Joan. Gulerus à Weineck, Eques Auratus, Tribunus datus. Sed, cùm ſtipendia militaria, ob retardata aliquantùm ſubſidia pecuniaria Principum Confœderatorum, non promptè numerari poſſent, Venetique etiam ſex cohortes pro ſe conducere vellent: Hiſpanica factio, hac occaſione vſa, excitauit ſigna Trium Fœderum, quæ, præter Valles Miſaucinam & Monaſterienſem, quæ in confiniis ſunt, Curiæ atque in vicinis locis conuenerunt: vbi, inſtinctu Hiſpanizantium, fauorem, ſeu potiùs furorem populi ſectantium, fœdera Gallicum & Venetum, ſubdolis articulis, ſeu codicillis, conditis, præſertim quoad tranſitum, per maiora vota, imminuta fuere: & mox Tribunal Cenſorium erectum, quod quadraginta octo Judicibus; tercentis & ſexaginta quatuor ſatellitibus; reliquis domum repetentibus; conſtabat. Primores multi Rhæti, Hiſpanis plerique inuiſi, qui Patriâ exceſſerant, Gulerus nempè, exilio perpetuo; alij honoribus, dignitatibus, & bonis mulctati. Heluetij Legationibus rem componere: poſt de duabus legionibus Heluecticis pro compeſcendo tumultu in Rhætiam mittendis, deliberare. Illi, his omnibus ſuſque deque habitis, de furore nil quicquam remittere: poſt verò, conuerſa aura populari, cognitoque à multis errore, in violatione fœderum commiſſo, in quo oſtendendo, præter alios, ſtrenuè ſe gerebat Carolus Paſchalius, Legatus Gallicus apud Rhætos ordinarius; Curiam cum ſignis militaribus populus reuerti, fœ-

deraque Gallicum & Venetum suo vero vigori restituere. Georgius Belinus à Belloforti, Præfectus Castrensis, & Capitaneus Caspar Baselga, qui custodiæ antè dati erant, & facilè, si voluissent, absente maiori turba populi, euadere potuissent, post rigidum in quæstionibus examen, vti incentores & fautores Hispanismi, muneraque inde accepta, & aliis etiam distributa, mense Julio, capite plexi: multiq; alij solum vertere coacti sunt. Tandem, detumescente furore, iam aures etiam Heluetiis moderata suadentibus datæ: locus Tribunalis mutatus: Judicum numerus imminutus: Ilantium oppidum pro Tribunali electum: absentibusque publica fide cautum; qui Patriæ, honoribus, dignitatibus, non sine mulctatitia persoluta pecunia, quòd Patria ad hunc modum concussa graues expensas passa esset, magno haud discrimine cuncti restituti; Joannes etiam Episcopus Curiensis, anno sequenti, sub conditione tamen articulorum quorundam, suo priùs interposito iuramento, acceptandorum, & mille ducentorum coronatorum persoluendorum, ad pristinam dignitatem admissus.

Scitè tum à quibusdam:

------*Fugere maliq; boniq;.*

Modò

------*Redeuntq; boniq; maliq;.*

Libuit integram historiam septem annorum proximè elapsorum, sequentibus versiculis comprehensam, auctore Jacobo Antonio Vulpio, Rhæto, inserere:

Fœdere iunguntur: consurgunt mœnia: frustrà	1602. 3. 4.
Tentatur cum Fonte reconciliatio: miles	5. 6.
Præsidio valli datur. Expetiere cohortes	1607.
Rhætaas Veneti. Hinc Hispanica factio signa	mense Febr.
Excitat, & coëunt furiosa mente coloni.	Martio.
Belinus capitur: franguntur fœdera: vexat	April.
Hinc censura Patres: fugere maliq; boniq;.	
Rustica turba redit: tunc vires fracta resumunt	Junio.
Fœdera. Cum socio medius cadit ense Belinus.	Julio.
Rhætia tota fremit: magnatibus vltima quæq;	
Intentat vulgus. Mutatur mox locus, & mens:	
Iúsq; datum est alibi: redeúntq; boniq; maliq;:	

Mul-

Mulctantúrque simul magno haud discrimine cuncti.
Plebs luit impensas, pretiúmque ob stulta reportat
Facta suum. Inficiare malum hoc generale fuisse?

Et eiusdem alios bis binos versus, quibus tumultus annum complexus est:

I. ConsVrgVnt VeXILLa, trVCe & CaDIt ense beLInVs:
DIffVgIVnt proCeres: RhætIa tota fVrIt.
II. RVstICa tVrba fVrit: Magnates RhætIa peLLit:
EXposVItque ensI tVnc CoLLa BeLInVs aVaro.

Anno

DeMentIa RVstICa.

Anno M. DC. VIII. & duobus sequentibus, in Valle Misaucina Rhætiæ, quæ Italiæ contermina est, aliqui motus fuere. Protestantes enim aliqui Concionatorem (sicuti & ante annos vigintiquinque plures ibi fuerant) permissu potioris partis Senatus Rhætici, libertatem vtriusque Religionis per totam Rhætiam secundùm leges sancitas asserentis, vocauerunt Misaucum. Sed iuuenes aliqui feroces, calidam subministrantibus vicinis, noctu campanam ex campanili deturbant, in terram defodiunt, scopas in locum suspendunt, templum conspurcant, sedilia in cineres redigunt. Ast interpositione Caroli Paschalij, Legati Gallici, & Rhætiæ magnatum, post multa, animi reconciliati fuere.

Anno M. DC. IX. quarto Octobris, Ulysses Parauicinus Capellus, ex ditione Bergomatum per Larium lacum in oppidum Trahonam Vallistellinæ, concubia nocte, venit cum viginti sicariis, & Petrum Plantam nobilem Rhætum, tum pro Republica Rhætica in Valletellina rerum bellicarum Præfectum, priusque Trahonensium Prætorem, vna cum Francisco Parauicino, militiæ ibidem Capitaneo, & Prætoris Cancellario: atque famulo Georgio Schier, in ædibus trucidauit, ædibus expilatis. Hic idem Ulysses ante aliquot annos proprium quoque socerum Frilium Parauicinum, huiusque fratrem Franciscum, qui Petri Plantæ, & Francisci Parauicini, quorũ modò mentionem fecimus, socer erat; vti etiam Jo. Petrum Malacridam, nefaria morte occiderat. Rhæti, atrocitate criminis commoti, vt in

complices exemplare aliquid ſtatueretur, nouem Commiſſarios, cum ſexaginta ſatellitibus, ad formãdum proceſſum vna cum Prætore Trahonæ delegant. Hi verò Judices rigidè ſatis procedere dicebantur. Communitatem enim Trahonenſium vniuerſam, vti immanitatis non inſciam, quæque ſicarium, cum percuſſorum manu, non comprehẽdiſſet, nec ad ſonum tintinnabuli Prætorij, cæteras campanas, tanquam ad claſſicum, more ſolito, pulſaſſet; denique planè non conſurrexiſſet; graui cenſuræ ſubiiciebant. Trahonenſes contra ad Subcomitia Curiæ habita ſuos deputatos mittebant, atque his plebeios nonnullos admiſcebant, vt magis animos commouerent: qui de rigore Commiſſariorum querelam inſtituerent. Porrò Legatus quoq; Gallicus ad lenitatem Oratores congregatos hortabatur. Judices è contrario facti ſui rationem adducebãt, & hoſce defectionem tacitè meditari regerebant. Atque hæc Fontanus, Mediolani Gubernator, arrectis auribus excepiſſe dicitur. Tandem alij Judices lecti, qui acta, cum illis qui iam rem cognouerant, de integro recognoſcerent, & coniunctim omnes de æquo & bono ſuper hoc negotio ſententiam ferrent.

Anno M DC. X. Henricus quartus, Galliæ & Nauarræ Rex, Magnus digno cognomine dictus, cum Heluetiis tres etiam cohortes Rhæticas in Galliam euocat. Capitanei harũ erant Joachimus à Jochberg, Eques Auratus (in demortui locum Jodocus Hungarus) Audreas à Salis, & Joannes Lucius Gugelbergerus, à Mooſ, Eques Auratus. Rege deinde nefariè & proditoriè (heu facinus!) perempto, illæ cohortes, cum reliquis, in Ducatum Juliacenſem, in gratiam Brandeburgici & Neoburgici Principum deinde mittuntur; Juliaque vrbs, cum reliquo toto Ducatu, capitur.

Anno M.DC.X. decurrente, milites tercenti in Vallem Saxeam, contiguam Valli Bitti, ab Hiſpanis miſſi fuere: quumque inde quondam Rhætorum ditioni damna illata fuerint; mihi, tum rerum bellicarum Præfecto, à Magiſtratu Rhætico in mandatis datum, vt Præſidium ad ædem D. Petri infra Coſium, & ad Pontem Mantelli, vbi vtrobique agger cum foſſa ductus erat, augerem. Sexaginta ergo milites

lites cùm priùs essent, centum imposui; &, qua potuit fieri diligentia, rei militari prospexi.

Anno M. DC. XI. (etsi Paschalius ad antecedentem annum in sua legatione Rhætica referat) demolitio Arcis Fontanæ, & Fœdus Hispanicum tractata, parario Joanne Georgio, Ministrali apud Vallis Rhenanos, qui Mediolani propter quædam vectigalia à Triuultiis redimenda, fuerat, cum Jo. Ferdinando Velasco, Comitestabuli Castiliæ, Gubernatore Mediolani; rem promouente Alphonso Casato, Legato Hispanico in Heluetiis, qui Presbytero de Amicis, amico olim, dum Misauci esset, dicti Joannis Georgij, vtebatur. Paschalius refert, se totum negotium Joanni Lucio Gugelbergero à Moos, & Alberto Salicæo, Rhætis, communicasse, (quamuis in quadam epistola ad amicum M.DC. XVIII. scripta, solius Salicei faciat mentionem) necnon Reginæ tum Regenti rem aperuisse.

Certum autem est, Joannem Georgium bis Mediolanum profectum, & capita fœderis fuisse proposita; quæ Paschalius se respuisse, solisque pactis anni M.D.XXXI. adhærendum esse, constanter asseruisse, ait. Qui actiones Paschalij postremas in Rhætia improbant, aiunt, Paschalium duos hic citare testes mortuos: præterea, cùm in hoc negotio de summa quasi rerum Rhæticarum ageretur, debuisse ipsum Legatum hæc etiam Magistratui Rhætico ordinario communicare; nec ita rectè agere.

Addunt etiam; quòd, dum se feruentiùs Venetis opponeret, hoc ipso actu amicitiam Hispanizantium quæsiuerit, & Regis sui rebus minùs benè consuluerit. Judicium esto aliorum: absit, vt in defuncti tanti viri manes calamo meo sim iniurius.

Anno decurrente M. DC. XI. iam de renunciando fœderi Veneto, ex scripto à Triumviris emisso, & (vt fama certa & constans erat) instigatu Caroli Paschalij, Legati Gallici, qui rem callidè & tectè satis agebat, in Communitatibus deliberatur. Triumviri præmaturam hanc renuntiationem pestilenti lue excusare studebant: quæ tamen in Rhætia iam cessauerat.

Anno M. DC. XII. mense Februario, Comitia Curiæ ce-

lebrata : vbi lecta & numerata , de fœdere Veneto antiquando, ſuffragia. Ac maiori quidem parti, ne fœdus illud vltra decennium produceretur, viſum. Litteræ ad Venetorum Principem (has Paſchalium compoſuiſſe ex eius autographo poſt inuento apparuiſſe, multi, qui illud viderunt, affirmant) datæ, & miſſæ per Thomam Molinarium Pragellum; qui etiam ex pecuniis à Paſchalio ſubminiſtratis viaticum accepit. Tenor illarum ; Etſi fœdus finiretur, tamen amicitiam, & omnia viciniæ iura, fore perpetua, vt inter maiores vtrinq; fuerint, & vti inter bonos fieri par eſt. Hoc ſe Senatui cupere perſuaſum eſſe : à quo mutuum ſperent. Sex mille aureos Paſchalium, pro abdicando fœdere Veneto, elargitum eſſe, ex ſcriptis Capitanei Rudolphi Plantæ, poſt apparuit. Aſt Paſchalius in Legatione ſua hoc præfractè negat ; & pernegat, in Rhætia quicquam ope ſua factum, quo minui Venetæ Reipublicæ dignitas, aut iura, fœdúſve poſſit; conquerens, nonniſi ab hominibus mendacibus, & impudentiæ mancipatis, prouenire; qui audaciſſimè affirmare auſint, aliquem Rhætũ, Regij Legati hortatu pollicitationibus, & donis, ad Venetum fœdus deſtituendum conductum, ſollicitatum, traductumq; fuiſſe. Litteræ Ducales, ante abdicationem, Senatui Rhætico præſentatæ fuere, quibus ſpes Legati mox affuturi facta, rogatumque, ne properarent. Sed iam negotium apud Communitates confectum erat.

Anno eodem, die decimo Junij, Deputati Communitatum Fœderis Cathedralis (Curienſes tantùm poſt conſenſere : Subportani verò Prægalli nunquam in hanc ſententiam conceſſerunt; etſi Thomas Molinarius, ex Miniſtralis iuſſu, vt dicebat, ſubſcripſerit) Zuzij, ſollicitãte Paſchalio, conuenere; ibidemque, vnione facta, (contra tenorem codicillorum Trium Fœderum, quo nonniſi per maiora de fœdere, & de tranſitu, ſtatuere licet) ſua armis tueri conſtituunt aduerſus quoſcunque, qui ſuarum Alpium clauſtra Venetis reſerare tentauerint. Sed & fœdus per quadraginta annos continuos ſe cum nemine alio, præterquam Gallorum Rege, ſi caſus ferat, ferire velle, concludunt. Vallis Rhenanos, cum bonis, capita quoque ſacrauiſſe, qui ibi

fœderis

fœderis Veneti integrandi, vel mentionem facerent, ait Paſchalius: qui tamen anno M.D.XVII. illud acceptarunt. Curiæ deinde Antonius Maria Vincentius, Secretarius Venetus, appulit; atq; in Subcomitiis de continuando fœdere verba fecit. Res ad Communitates delata: potiora vota fœdus prolongare nolunt; alij Secretarium audire, ſi quid tractare vellet, non abnuunt: aſt ipſe Venetus, cum cerneret Paſchalium ita aduerſari, reuertitur. Veneti tamen, vſque ad exſpirationem Fœderis, in perſoluenda annua ordinaria penſione, & moſcheris, ſemper continuarunt.

Anno eodem M.DC.XII. in Comitiis publicis Curiæ, die XXV. Junij, Ordo Jeſuitarum, qui in Valletellina, Clauennæ, & Bormij, ſedem figere volebat, in perpetuum proſcriptus fuit. Priſtinis nimirum Decretis Reſpublica noſtra inhærebat, anni M.D.LXI. quæ poſtea anno quoque M.DC. iterata fuere. Idque factum citra vllam libertatis Religionis Catholicæ, cum Miſſæ exercitio, derogationem: eo ſolùm fine, ne ſtatus Politicus turbaretur. Et mihi quidem, tunc Prouiſoris generalis munere apud Subditos Tranſalpinos fungenti, vna cum Officialibus Rhætis ibidem, prouincia executionis data fuit. In iiſdem Comitiis donatio (ſeu potius venditio) quædam iurium ad ædem D. Virginis Tirani, Monachis S. Georgij Maioris, qui Venetiis ſunt, facta, reſciſſa fuit. Ibi enim eos Monaſterium nouum erigere, & exteris Monachis replere velle, dicebatur: quod Decretis Dominicalibus vt vocant, aduerſabatur.

Cùm Decretum de Jeſuitis in Valletellina die XXIV. Auguſti publicatum; & eidem Decreto inſertum etiam eſſet, ne filios ſuos Jeſuitis inſtituendos traderent: (quod tamen mox remiſſum fuit) murmur ingens inter Primates aliquos Vallistellinæ natum, Conſiliumq; loco inſolito, conuocatum fuit: vbi Cancellarius Vallis, Paulus Quadrius, quædam præfatus, dixit, Aliquos ſibi conſuluiſſe, vt Confœderatos Griſæos Catholicos in auxilium & conſilium adhiberent: ſi nihil auxilij inde; ad Principes exteros refugerent: alij alia verba ſeditioſa protulere. Cancellarius, Sondrij detentus, ſe excuſabat, per Principes exteros, nonniſi Rhætorum Confœderatos ſe intellexiſſe. Tribunal Curiæ hac

de re constitutum. Interim Cancellarius fuga ex Palatio Sondrij euasit: qui proinde proscriptus; aliis, venia petita, condonatum fuit.

Anno eodem duodecimo ineunte, Religio Protestantium Undervatij apud Quatuorpagicos introducta. Pueri quidam, & mulieres, aduersantes, Joanni à Porta Prædicanti, barbam euulserant, eumque aliis ludibriis exposuerant. Hinc Judicum Tribunal Curiæ constitutum, & pro executione iudicatorum, octingenti armati, sub Joanne Lucio Gugelbergio à Moos, nominati: sed, graui interpositione Paschalij, ad pactiones tandem deuentum, quas ipse, cum aliis, qui de re tota iudicauerant, rogatu vtriusque partis, subscripsit.

Anno M. DC. XIII. Cicerij; necnon, anno M. DC. XIV. Trimontij, res Religionis effecit, vt Rhætia maiori metu conterrita, quàm concussa fuerit. Templa Protestantes vtrisque volebant esse communia: cùm vtrisque communes Maiores, sibi & posteris, illa ædificauerint: ad vota nuncupanda, nullo huius aut illius Religionis facto discrimine. Catholici Romani contra in iisdem tantùm Catholicos ritus celebrari volebant.

Trimontij die VII. Maij ferè ad arma ventum fuit. Res tandem etiam per pactiones in ædibus Legati Paschalij, ipso præsente, sedata fuit.

Sub exitum anni M. DC. XIII. in Rhætiam venit Gregorius Barbadicus, nobilis Venetus, qui antè apud Ducem Sabaudiæ Legatus fuerat: & aliquot post dies Petrus Contarenus, Legatus in Galliam destinatus, qui biduum tantùm Curiæ commoratus, Paschalio etiam de proposito negotio locutus est. Barbadicus primò, cùm in Angliam proficisci velle diceretur, à Paschalio comiter exceptus fuit. Paschalius, in colloquiis priuatis se Barbadico aperuisse scribit; In manu Regis Galliæ esse, Rhæticarum Alpium claustra Venetis patefacere, duplici ratione: nempe, ex capite fœderis, cuius beneficio, transitus copiam amicis quoque suis impertiri possit: tùm ipsa Regis gratia, & auctoritate, apud Rhætos plusquam seculo perspecta. Adiunxisse præterea: Si Regem deprecatorem adhibituri sint; huic negotio

gotio nullam se rem præuertere velle. Barbadicus, gratiis humanissimè actis, per Tabellarium de hisce Venetos instruit; responsumq; Paschalio refert, Rempublicā maiorem in modum petere, vt fœdus adiuuare velit. Verùm Rhæti multi Barbadico rotundè dicebant, Si Respublica Veneta quid vellet, ipsa hoc, tanquam independens, peteret.

Senatus Rhæticus ipsi Curiæ datus; vbi egregia oratione de fructu coniunctionis Rerumpublicarum perorauit; suique itineris in Angliam mentionem iniecit, quod hyeme adulta tamen retardet.

Triumviri, cum aliis, instinctu Legati Paschalij, ipsi conuiuia prohibere volunt: die XXI. Januarij M.DC.XIV. eum proinde adeunt, &, si quid sinistri accidat, sibi hoc totum imputet, monent. Ast ipse intrepidè, Ædes suis amicis apertas: cæterùm, se fide publica niti, nemini iniurium esse; denique aliquot millia Rhætorum in dominio Veneto tutò habitare. Paschalius gloriatur, se, Barbadicum in Heluetiam euntem, grauiter obiurgasse: sed & Barbadicum respondisse non diffitetur, Rempublicam Venetam lenta & cauta consilia semper antehabere subitis. Impotèntem Paschalij, in oppugnando fœdere Veneto, zelum, proculdubio taxare volebat.

Porrò in Heluetia Barbadicus fœdus Venetum cum Tigurinis & Bernatibus promouet. Heluetij hac occasione, à Rhætis per Legàtos suos Jo. Rudolphum Rhonium, Consulem; Conradum Grebelium, & Salomonem Hirzelium, Tigurinos: Antonium Graffenriedt, Franciscum Ludouicum ab Erlach, Dominum in Spiez, & Claudium Viermannum, Bernates; cum quibus frequens erat Christophorus Surianus, Secretarius Venetus; transitum pro Heluetica legione per Rhætiam petunt.

Communitatum aliquæ, quas hi inuiserant, annuunt: aliæ, Heluetios emolumenta fœderis habere, Rhætis onus & incommodum transitus relinquere velle, regerunt. Paschalius, mense Junio M.DC.XIV. in Galliam proficiscitur. Redit mox Barbadicus, & Ilantij aliquādiu subsistens, multum diuque cum Rhætorum Deputatis de articulis fœderis renouandi, agit. Rhæti namque iam certam & expres-

ſam pecuniæ ſummam, quam ipſi etiam, ſuo modo, exprimere volebant, pro alendo milite in caſu neceſſitatis, efflagitabant. Articulus autem decimus ſextus primi fœderis ſic habebat: *Veneta Reſpublica Rhætis adeſſe, eisq́, neceſſariam opem ferre tenetur aduerſus eum, qui eos aperto bello laceſſiuerit: dummodò Rhæti, vt ſibi ſubueniatur, petant.* Hinc factum, vt fœderis renouatio omiſſa, ipſeque Barbadicus, menſe Auguſto M. DC. XV. ex Rhætia in Angliam profectus fuerit.

Anno M. DC. XIV. Ludouicus decimus tertius Galliæ & Nauarræ Rex, cum matre Maria Regente, exercitum ex Confœderatis Heluetiis & Rhætis conſcribit: tres erant Cohortes Rhæticæ; quorum Capitanei, Joannes de Georgiis, (in cuius demortui locum ſucceſſit Joannes à Monte) Rudolphus Planta Eques Auratus, & Joannes Lucius Gugelberg à Mooſs, Eques Auratus; cui mortuo ſuffectus fuit Andreas Bruggerus.

Anno eodem M. DC. XIV. menſe Septembri, Agentes Philippi Archinti, Epiſcopi Comenſis, in Comitiis Dauoſij celebratis, potioribus ſuffragiis Senatus Rhætici, obtinuerunt (nam aliqui, cùm ante vigintiquinque annos poſt viſitationem Feliciani Ninguardæ Morbenienſis, Epiſcopi Comenſis, decretum inhibitionis emanaſſet, conſentire noluerunt) vt Epiſcopus Archintus Diœceſim ſuam in Valletellina, Comitatib. Clauennæ, & Bormij, viſitare, circumſcriptis tamen iuriſdictionis terminis, poſſet: cùm verò deinde præſcriptũ modum exceſſiſſe diceretur; magnæ murmurationes apud Communitates Rhætiæ pleraſque, vti ſummum Magiſtratum, ortæ, quòd, ipſis inconſultis, decretum anno M. D. XC. violatum fuiſſet; & Senatoribus, qui licentiam Epiſcopo conceſſerant, anno M. DC. XVIII. Thuſciæ pecuniaria multa fuit irrogata.

Et hæc pleraque breuiter, ex Pallade noſtra Rhætica armata & togata, per ἀνακεφαλαίωσιν, ad clariorem tredecim annorum Hiſtoriæ Rhæticæ, quam porro, per compēdium, σιὼ Χειςῷ, conſcribere conſtitui, intelligentiam, adducere operæpretium duxi.

Tu, Beneuole Lector, ſtylum minùs cultum, hiſtoriamque, militari calamo, in caſtris ipſis maiorem partem craſſiuſculè

ſiuſculè exaratam, boni æquiq́ue conſule: dictionis næuis, ſi qui occurrant, ne offenditor. Neq; enim inter armorum ſtrepitum dicendi nitorem milites venari, aut exquiſitas delicias ſectari: ſed horridiori vitæ aſſueti, aſperiori quoq; ſermone, idiotiſmis variis inter ſe veluti commiſſis, vti ſolent; prout iidem quoque, aliorum lucubrationes lecturi, ſolam breuitatem claram, nuda veritate & ſincera παῤῥησίᾳ amictam, vnicè deſiderant. Atque has ego quoque; Deum teſtor; pro operis mei cynoſura cum primis elegi: procul ab odio & gratia. Nam, vt Senecæ illa mea ſint, Malo veris offendere; quàm placere adulando.

Stylum Gregorianum, nouum, cùm Confœderati, Rex, & Principes, qui in reſtituenda Rhætia deſudarunt, eo vſi ſint; & ego in hoc Compendio ſum ſecutus.

Uterque Legatus, Paſchalius, & Barbadicus, (vt diximus) ex Rhætia diſceſſerant: ac varij tunc ſermones de vtroque. Paſchalium ab anno M. DC. X. ad M. DC. XIV. planè mutatum: Barbadicum nimis ſtricta mandata habuiſſe, aiebant: alij halcyonia, quòd nullus Legatus in Rhætia eſſet, ſibi perſuadebant.

Sed repentè fama in Rhætiam tulit, Stephanum Gueffferium, qui Romæ Legationi Gallicæ à Secretis, in Sabaudia Agens Regis Chriſtianiſſimi fuerat: modò Rhæticæ Legationi deſtinatum. Appulit Curiam die quinto Nouemb. M. DC. XV. Qui Paſchalij vltimis diebus intimi, hi iidem ſtatim apud hunc ſe inſinuant.

Ecce autem, iam bellum inter Rempublicam Venetam, & Uſcoccos, motũ, (hi ſunt antiquæ Liburniæ populi, Hungariæ Regno adiuncti: modoq́ue Ferdinando Archiduci Auſtriæ parebant, ex rapto viuere ſoliti. Veneti autem hanc ipſorum pyraticam coërcere volebant) Rhæti tres: Conradinus Planta, Volphgangus à Juualta, Engadini; Carolus à Marca, Miſaucienſis, ab amicis commendati, Bergomum profecti ſunt, ibiq́ue cum Comite Franciſco Martinengo, nomine Venetorum, tractant de conſcribendo milite Rhætico; atque in opere minimè ſegnes ſtatim manipulatim ſuos eò mittunt. Marca primus non exiguum numerum eò deſtinauit.

Triumviri autem Rhætiæ Curiæ conueniunt, & mandatum publicant, ne quis, ſub grauiſſima pœna, militem ſcribere, aut in militiam, ſine publica venia, in animum inducat proficiſci. Gueſſerius, cuius hortatu hoc actum dicebatur, diligentiam magiſtratus laudat: Auſtriaci etiam applaudunt: aſt iuuentus Rhætica, multiq; Heluetij, inſtante iam hyeme, in manſueto aëre, quàm in niue, verſari ſatius arbitrati, magno numero ad proximas vrbes Venetæ ditionis in Italia concurrunt.

In Rhætiam tunc venit Joannes Baptiſta Padauinus, Secretarius Decemuirûm, qui ante anno M. DC. III. fœdus, nomine Venetorum, cum Rhætis pepigerat: vir, propter eximias virtutes, quibus ornatus eſt, multis quàm maximè acceptus. Hic militem & tranſitum petit: de fœdere autem pangendo publicè nullam mentionem facit. Ab amicis admonitus, vt fœdus potiùs pangi peteret, quò res cum exiſtimatione vtriuſque Reipublicæ fieret, reſpondiſſe fertur, Venetos, inuito Galliæ Rege, nunc temporis nihil tentare velle.

Imperator Romanus interim, primò Paulum Tſchitſcherum, redituum Auſtriacorum Velcurij exactorem; poſt, Caſparum, Comitem ab Alto-Amiſio, Curiam mittit; qui, interpolatis vicibus, Rhætię Senatum exhortati ſunt, ne tranſitum, ac militem Venetis in hac occaſione permitterent: hoc enim fœderi hæreditario ac perpetuo aduerſari: cum tamen hoc fœdus ex Auſtriacis ditionibus tantùm Comitatum Tyrolis, & quatuor Dominia cis montem Arelam, comprehendat. Quinetiam Mediolano per Rhætiam iter faciens Alphonſus Caſatus, Legatus Hiſpanicus, ad Heluetios, Curiæ in Subcomitiis Rhæticis, ſuis expenſis habitis, Rhætos ab amicitia Venetorum, conceſſione tranſitus, & militis, dehortatur.

Padauinum paulo poſt ſubſequitur alius Venetorum Secretarius, Auguſtinus Dulus, à Veneta Republica ad Heluetios Proteſtantes etiam deſtinatus; quò poſtmodum profectus eſt. Hic cum Padauino in conſeſſu Rhætici Senatus comparuit, vbi tum Padauinus ampliſſimis verbis de toto negotio perorauit: militem, tranſitumque petens: explicánſque,

cánſque, Rempublicam Venetam ab hoſte laceſſitam, & inuaſam eſſe; & Rhætos ſic etiam populares ſuos, quorum plus minus decem mille in dominio Veneto ſint tueri. Nec tamen, ſolito obſtaculo appoſito, hoc obtinere potuere. Padauinus poſt etiam Tigurum profectus; ſed mox reuerſus eſt.

Numerus militum, tam indigenarum, quàm exterorum, quotidie Dominium Venetum petentium, creſcebat. Rhæti fautores eos per varios montium anfractus, viáſque ante ferè inuias deducebant, cuſtodiáſque diſpoſitas ſic fallebant.

Menſe Septembri M. DC. XVI. Judicium, ſeu, Tribunal Cenſorium, quindecim virorum, quorum Præſes Gregorius Meyerus, Prætor Curienſis, erat, contra tranſgreſſores mandatorum publicorum inſtitutum: quod in menſem Nouembrem dilatum, tuncque Capitanei, & Officiales citati: imò curſor etiam ordinarius Fœderis Griſæi, cum amictu, & inſigni fœderis, diplomate publico, Bergomum vſque à Magiſtratu proficiſci iuſſus, milites reuocauit. Cùm compareret nullus; pœna pecuniaria eis impoſita fuit.

Cæterùm, durante hoc bello, præter tres illos Capitaneos, quorum nomina ſupra appoſuimus, omnes hi Rhæti ſequentes ſtipendia ſub Venetis meruere: Ulyſſes à Salis, quem aliquæ cohortes pro Colonello expetere voluere. Ex Griſæis porrò Georgius Marciaga, Chriſtophorus à Montalta iunior, Chriſtianus Ioderus à Caſutto, Gregor. à Cabalzaro; omnes quatuor Ilantini: Martinus à Camenis, & filius ipſius eiuſdem nominis, Jacobus Florinus, Syluester Roſerollus, Riſius Hungarus, Joannes Stecherus, Gallus in Riedt, Joannes Antonius à Marca, Eques Auratus, Iacobus Togniola, Valens Raguzinus, Lazarus Righettus, Jacobus Pedroſius: omnes quinque ex Valle Miſaucina. Ex Cathedrali: Georgius Planta, Carolus Gugelberg à Moos, Joannes Wyſſius; Curienſes; Antonius à Salis, à Riedtberg, Antonius à Salis de Solio, Jacobus à Præpoſitis, Jacobus à Ruinellis, Theodoricus Ieklinus ab alta Rhætia, Bernhardus Tiengaet, Caſparus Friſchius, Joannes Marigninus, Gregoriis, Andreas Mengus, Stephanus Thyſi, Joannes Dorta.

Ex Decem Jurisdictionibus; Paulus Buolius, & Rudophus Matthias Ruotschius. Ex Subditis; Joannes Antonius, & Jo. Baptista Buttiutrochi fratres, Plurienses.

Mense Ianuario M. DC. XVII. Tribunali constituto Curiæ, Jacobus lundt, Basiliensis, qui ante Ilantij mẽse Augusto M. DC. XVI. iuramentum solemne præstiterat de non amplius traducendo milite, in facto iterùm comprehensus, aliorum præterea scelerum manifestus, capite pœnas luit.

Post multa tandem, Veneti deliberant fœdus Rhætorum publicè ambire. Vt autem hoc faciliori via procedat, ciuitas Tigurina, quæ iam, vti & Berna, cum Venetis fœdere iuncta erat, Ioannem Henricum Holzhalbium, & Henricum Bremium, duos ex Senatu suo, in Rhætiam mittit, qui Ilantij in Sub-Comitiis, mense Decembris, comparentes, causas, quare se Venetis, & aliis iunxerint, adducunt: & quàm necessarium vt Respublicæ se inuicem adiuuẽt, gnauiter exponunt; Rhætósque, modestâ tamen Oratione, ad fœdus Venetum exhortantur. Padauinus etiam graui oratione Reipublicæ suæ mandata exprimit, petitque veniam sibi concedi, Communitates Rhætiæ, ceu summum Magistratum, adeundi. In calce, oratione iam finita, Galliam se non oppositurã addit. Oratores Trium Fœderum, quòd ibi ad confirmandos Officiales in Vallemtellinam mittendos, congregati essent, plerique se excusant, hac de re nihil in mandatis se habere. Ita adeundi Communitates potestas nec concessa, nec denegata fuit.

Comparet ergò cum adiunctis duobus Tigurinis, primò in Conuentu magno Foueano: vbi, vti deinceps in multis aliis Communitatibus, vota assentientia habuit.

Legatus Gallicus Guefferius, ægrè ferens, vt aiebat, quòd Galliam assentire dixisset, se per Antonium à Molina, & Ioannem Paulum, Interpretes Regios, in aliquibus Communitatibus opponit: exhortans, ne nimis in hoc negotio festinent.

Articuli autem magis fauorabiles nunc pro Rhætis erant: pro Venetis autem iidem qui in priori fœdere, (prout tantùm continuatio & renouatio fœderis vocabatur.)

Nunc annua generalis pensio cuique fœderi promissa ad

mille

mille octingentos aureos (antea mille ducenti erant) extendebatur: item numerus moſchettarum erat iam centum quinquaginta; ante, tantum ſexaginta. Præterea iam Rhætis, in caſu neceſſitatis, ſi ita Senatus Rhætici maior pars iudicauerit, decem, quindecim, vel octodecim etiam cohortes militum alere; denique vlteriùs etiam Reſpublica Veneta auxiliari promittebat. Fœdus ad viginti annos extendebatur. Cuilibet Communitati contingens pars pecuniæ, acſi fœderi nunquam renuntiatum fuiſſet, additis quoque aliis honorariis, iam promptè numerabatur.

In fœdere Griſæo omnes iam, præter Diſertinum, Supraſaxum, Scleuenium, Dominium Rhætij, & Vallem Miſaucinam inferiorem, conſenſerant, ita vt ex vigintiſeptem ſuffragiis Padauinus nouemdecim libera haberet. Præſidis autem fœderis viceſimum octauum eſt ſuffragium. In Cathedrali etiam fœdere quinque vota numerabat; Prægalliam inferiorem, Furſtenouium in Tumiliaſca, Imum Caſtrum, Bergunium, & Auerſam: Quumque Triumviri tres Deputatos ad ipſum Clauennam mitterent, vt à viſitatione Communitatum deſiſteret, Prægalli inferiores, eodem momento ad ipſum Capitaneum Antonium à Salis miſere, vt ad ipſorum Communitatem veniret.

Hiſpanicus Legatus, per Secretarium, Maximilianum Morum, fœdus tectè diu ſollicitauerat. Tandem verò ille ipſe Alphonſus Caſatus, menſe Martio, M. DC. XVII. Curiam venit, & Senatu impetrato, cũ Deputatis Rhætorum, die decimanona eiuſdem menſis, fœderis articulos condit: quorum ſumma hæc erat: Perpetua amicitia & fœdus inter Regem Hiſpaniæ, & Tria Fœdera Rhætiæ, eſto: Tranſitum, eo modo & conditione, quo per Heluetiorum quinque pagos, per Rhætiam habeto: Militum Rhæticorum numerus ſex mille nec excedat, neq; infra duo millia ſubſiſtat: Commercia libera ſint: Rhætis Hiſpanus, ſi caſus requiret, ipſiq; petant, bis millenos milites; aut, ſi malint, pecuniam pro eis conducendis ſpondet: præterea tormenta bellica campeſtria, ad ripam Mezolæ conſignanda, commodatò, durante bello, offert: cuilibet fœderi mille quingentos annuos Ducatones Mediolanenſes dare promittit; denique, arcem

Fontanam funditùs se demoliturum spondet; Rhæti vicissim à fœdere Veneto, transituque illis permittendo, in perpetuum abstinento. Sed & aliquos iuuenes Sudiosos Rhætos, Mediolani, vel Papiæ, alere Hispanus offert. Gallicus Legatus etiam per Interpretes Regios, & voce, & scriptis, per Communitates se huic fœderi opponit. Undecim solùm suffragia Hispanus in tota Rhætia fauẽtia obtinuit. Legatus Venetus in Galliam, antè interpretem suum Jacobum Ruinellam, Rhætum, miserat: qui ibi in rixa priuata vulnus in capite acceperat. Legatus Hispanicus modò Jacobum Montium I. V. Doctorem, Rhætum, in Galliam ablegat, qui in Lotharingia in flumine perijt. Res ominosa vtrique fœderi.

Per hos dies Maximilianus Morus, cùm frustrà fœdus sollicitatum esset, per Vallemtellinam Zernezium, & inde Taraspum, ad fratrem profectus est, vbi multus cum Equite Rudolpho Planta ipsi sermo fuit. (Planta, & à Gallico, & ab Hispanico Legato cùm in pretio habebatur; tùm etiam sollicitabatur) Jam die xxv. Aprilis, Curiam quinquaginta Engadini inferiores (cùm in itinere alios etiam suscitare tentassent) appellunt: vbique dira Venetizantibus imprecantes. Mox se his totidem ex Dominio Maiævillano, & aliqui ex Quatuorpagicis, & ex Coruãtiis, & quinquaginta Curienses à Senatu lecti, iungunt. Hi primò, Legatum Padauinum, qui iam Thusciæ, seu Thussanæ, in Tumiliasca, se continebat, per delectos aliquos hortantur, vt ex Rhætia discedat, & à fœdere ambiendo desistat: nam Suprasaxenses Cathedrales iam etiam nomen fœderi Veneto dare volebant: at verò, cùm eis non vt sperabant, respondisset, Furstenouium, & ad proximum Rheni Pontem, se conferunt. Thuscienses pontem, à sua parte, custodiis muniunt. Congregati verò isti Padauinum iterum ad maturandum discessum monent. Ipse, diebus aliquot elapsis, ad proximos Sexamnienses proficiscitur. Decem Jurisdictionum fœdus Comitia super his motibus, quinta Junij Dauosij celebrat: quò Grisæi Joannem Gaudentium Schmidt à Grueneck, & Matthiam Mattlium misere, auxilia fœderis debita petitum, si armis vexarentur. nam & quietè se agere, & fœdus, vt Com-

vt Communitates liberas iniisse, dicebant: & eos vt idem ineant, exhortantur. Sed, procurante Legato Gallico, conclusum; Modò, Veneto oratori, fœdus sollicitanti, aures se præbere nolle: in reliquis, quietè domi agere, & codicillos Trium Fœderum obseruare, constituisse. Tunc Padauinus exclamasse fertur, Fœdus Venetum à Decem Jurisdictionum fœdere augmentum sperauit; iam, hac ordinatione, vulnus ipsi infligitur mortale.

Planta interim etiam apud suos Engadinos effecerat, vt explicatis signis militaribus, Curiam peterent. Eremusiani primi VII. Junij; altera post die, Zerneziani, & Scoltienses, appulere: & sic omnia signa Cathedralis Fœderis (solo Prægalliensi Subportano excepto) conuenere. Vallis quoque Monasterienses, (mirum) qui ab anno M. CCCC. XCIX. nunquam vexilla explicuerant, iam cum signo suo aduolant. Articuli nonnulli, more consueto, cuduntur: qui ad stabiliendam vnionem Zuziensem, anno M.D.XII. initam, vti diximus, & Venetum Legatum pellendum, tendebant. Trangressores quoque Vnionis huius per Judices Deputatos punire constituunt.

Padauinus Sexamnium relinquens, decima Junij, Morbenium petit, vbi iam Præturam ingrediebatur Jo. Antonius Gioerius, Calanchensis, Venetis infensus. Cathedrales, Curiæ congregati, milites aliquos in Prægalliam mittunt, qui captiuum facerent Thomam Molinarium, quem dixi Venetias, anno M.DC.XII. cum litteris renunciatoriis fœderis missum, quique modò Venetæ parti se addixerat, & totum Paschalij procedendi modum, quoad scire poterat, aperuerat. Gioerius iam apud Legatum Padauinum instat, vt ex Rhætico Dominio discedat; dicitque, se ea de re mandata, præsertim à fœdere Cathedrali, habere. Legatus itaque, post aliquot dies, in Venetam ditionem abit, ibidemque in confiniis aliquandiu subsistit.

Tribunal Cathedralium Curiæ constitutum, cuius Præsidem agebat Georgius Gambserus, Prætor Curiensis, suas citationes per Fœdus Cathedrale emittit. Communitates huius Fœderis, quòd fœdus Venetum iniissent, satis magna pecuniæ summa mulctat. (Prægalli inferiores septem mille

floreni puniti) Primos quinetiam illos Capitaneos duos, Conradum Plantam, & Volphgangum à Juualta, ſingulos quinque millium florenorum pœna, afficiunt. Sed & Baptiſtam à Salis, Equitem Venetum, cùm quingentis aureis multare anniterentur; criminationes tamen, aut falſæ, aut nullius momenti, erant. Arguebatur, quòd Ilantij contra voluntatem Communitatis Padauino Communitates inuiſere, voto ſuo, conceſſerit. Atqui per teſtes, ſe tale quid non permiſiſſe, aſſeruit. Siniſtrè quoque acceptum, quòd viam regiam, qua Padauinus Solium venit, purgare curauiſſet, eumq; hoſpitio excepiſſet. Denique, Hartmannum Plantam, vti fautorem & promotorem fœderis Veneti, in mille florenos damnauerant: quumque nihil ſolidi contra ipſum in proceſſu haberent, hoc quoque inter alia ipſi vitio vertebatur, quòd Barbadicum Tigurum comitatus fuerat. Hi duo nobiles huic cenſuræ fortiter ſe oppoſuerunt.

Fundamentum autem, & norma Iudicij erat Sanctio, ſeu, vnio illa Zuzienſis, anno M. DC. XII. ſtabilita: quæ tamen contra tenorem litterarum fœderalium Trium Fœderum inita erat. Corporis tamen pœna, aut banno, nemo affectus fuit. Inſtitere quidam, vt etiam contrà Joannem Fluogium, Epiſcopum Curienſem, procederent. Octo articulos contra ipſum iam formauerant, ac cumprimis vrſerant, Quòd iuramentum, quod ipſi per Ilantinam ſententiam impoſitum erat, non præſtitiſſet. Sed cùm iam actio inſtituenda eſſet; aliqui ex Judicibus abire voluere, quòd, ceu feudatarij Epiſcopi, Judicio ſe intereſſe non poſſe dicerent: alij, quamuis Proteſtantes, ſe Epiſcopum armis tueri velle publicè profeſſi ſunt. Sic actio euanuit.

Populi maxima pars, ex abrupto cum ſignis militaribus domum remeat. Epiſcopus etiam, aſſumpta pretioſiori ſuppellectile, Furſtenburgum, in Vallem Venoſtam, ſe confert. Legatus Guefferius, à quo partem ſumptuum petiiſſe ſigna iſta militaria dicebantur, ſe in Galliam vocatum dicit, & ex improuiſo eò proficiſcitur. Soluitur iudicium: ſed non ſoluuntur expenſæ, quæ quadraginta mille florenos excedere dicebantur.

Menſe Auguſto, Dauoſij, ordinaria Trium Fœderum Comitia,

Comitia, propter administrationem terrarum ſubditarum, celebrantur. Tentatur recōciliatio inter duos fratres germanos, Auguſtinum, & Jo. Antonium Trauerſios, propter Magiſtratum, (Miniſtralatum vocant) ſic ſibi inuicem aduerſos, vt tota quoque Engadina ſuperior diſſideret. Auguſtinus à factione Rudolphi Plantæ, qui ſororem vtriuſque vxorem habebat, (quam factionem Hiſpanicā, Gallico tegumento palliatam, dicebant) Joannes Antonius ab altera, Herculis à Salis, quam Venetam vocabant, fouebatur. Commiſſarij deliguntur, qui vota numerent. Auguſtiniani, potiores votis, ſecundùm ſtatuta regionis, iuxta quæ tantùm is, qui familiam habet, & caput familiæ eſt, ſuffragari potis eſt: alteri, multitudine populi, præualere prædicabantur. Cathedrales etiam illi, à Tribunali Curiæ puniti, reuiſionem ſententiarum, & vt interim ab omni executione ceſſaretur, petiere. Hi ad Communitates remiſſi, & executio dilata fuit. Ad hæc, Joannes à Porta Miniſter Proteſtantium, ſuo, Miniſtrorumque aliorum, nomine, quoque comparuit, qui Principes exteros magnis prenſationibus libertatem patriæ impetere, præfatus, Senatum Rhæticum, vt maturè huic malo obuiam iret, rogauit: præterea conqueſtus eſt, eſſe aliquos, qui diriſſima quæque Paſtoribus Proteſtantibus minitentur. (Rudolphum, eiuſque nepotem Danielem Plantas, alioſque horum aſſeclas, innuebat) Senatus cenſuit; Si quid grauaminis habeant, Communitatibus, via tamen ordinaria, tanquam ſummo Magiſtratui, proponerent. In his porrò Comitiis, de querelis Volturenorum Proteſtantium tractatum fuit. Proteſtantium Paſtores aiebant, poſt viſitationem Vallistellinæ, à Philippo Archinto, Epiſcopo Comenſi, anno M. DC. XIV. peractam, Catholicos tam aſperos & truces factos eſſe, vt preſbyteri aliqui famulos etiam non verecundentur dehortari, ne poſthac Proteſtantibus ſeruiant. Prætere a diu controuerſia Sondrij fuerat: Proteſtantes templum ſuum, quòd hoc nimis anguſtum eſſet, aliquantùm verſùs vineam, quæ ab Archipreſbytero poſſidetur (nam propè Canonicam, ſeu domum reſidentiæ Archipreſbyteri eſt) extendere

volebant: Archipresbyter autem se opponebat, & fundum illud, tanquam bonum Ecclesiasticum, alienari haud posse aiebat. Cùm autem Catholici non citatos se dicerent, Comitia, motu proprio, & ex plenitudine potestatis, antiqua Decreta, concernentia libertatem vtriusque Religionis, confirmarunt; Jubilæa verò, & Indulgentias, quæ, anno M. D. LXXXI. die x. Januarij etiam, sine publica venia, promulgare inhibitum fuerat, eadem lege prohibuerunt.

Denique Gymnasij, Sondrij instituendi, negotium ventilatum. Præcipuè pro addiscenda lingua Italica, & studiis humanitatis, desideratum fuit. Sed alij, cum Jesuitis ludum litterarium ibi aperire non indultum; & anno M. D. LXXXIV. tumultus propterea excitatus fuerit; abstinendum esse aiebant. Alij contrà, hîc Ludimoderatores vtriusque Religionis assumi posse excipiebant: prout etiam Scholarchæ, ac Curatores, vtriusque Religionis, electi fuere. Maiori tandem parti visum, vt Gymnasium, siue dispendio redituum publicorum, institueretur: cæterùm, Officiales Rhæti in Valletellina, & Comitatu Clauennæ, certam pecuniæ summam Magistris Scholæ ex suo pendere tenerentur.

Cùm Rescriptum confirmatorium Decretorum antiquorum in Valletellina præsentatum fuisset, Catholici non pauci exclamauerunt, Subreptitium id esse, &c., parte non citata, obtentum. Cancellarius Vallistellinæ, Doctor Antonius Maria Parauicinus, Consilium Vallis (quod tamen non Consilium, sed Congregationem vocant. nam Sondrij Consilia Vallis, in præsentia Gubernatoris Vallistellinæ, aut eius Vicem gerentis, celebrari solita) quòd Gubernator Protestanti Religioni addictus esset, Morbenium vocat, vbi Prætor, dictus Gioerius, Catholicus erat. Deliberant de oppositionibus, Decretis & Gymnasio, faciendis. Post Cancellarius, prætextu negotiorum familiarium vsus, Romam proficiscitur, vt Pontificem de re tota informet. Jam tum de Laniena, & Rhætorum iugo, vt aiebãt, excutiendo, cum fautoribus sermones misti. Pontifex tamen, rem subodoratus, respondit, vti à fide dignis Catholicis Pontifici familiaribus, relatum, & ipse Cancellarius non inficias it: Catholicam

tholicam Religionem semper defendam: cæterùm, alia cogitate: nolumus enim incendium in Italia excitari. Viuite in pace, & patientia.

Cathedrales illi conquerẽtes de Tribunali, Curiæ habito, duorũ Fœderum Communitates iam inuiserant, sententiarúmq; reuisionem, per Deputatos duorũ fœderum Judices, obtinuerant. Hi ergo Iudices Ilantij, mense Decẽbri, cõueniunt. (Disertini, Leguntini, & Rhætienses, primò suos Iudices non misere) Citatur Tribunal Curiense. Nemine comparente, absoluuntur qui Curiæ puniti fuerant omnes: Capitaneis Venetis exceptis, qui leui pecuniaria mulcta plectuntur. Congregatur quoque denuo primum illud Tribunal Curiæ: quod Ilantinum Judicium inane, & nullum esse dicit, eosque qui Communitates inuiserant, vti Joan. Trauersium, Hartmannum à Plãta, & Jacobum Curtabattum, vnumquemque mille aureis damnat. Hi verò sententiæ latæ se subiicere nolunt. Caupones interea pro solutione instant.

Hispanizantes ergò quum nec concursu populi, qui varius est, & subinde propriis motoribus non parcit, nec Judiciis censoriis, quicquam se efficere, clarè viderent: aliam viam tentarunt.

Transitum omnium mercium Don Petro de Toledo, Gubernator Mediolani, publico Programmate excuso, ex improuiso die v. Febr. M. DC. XVIII. ex Ducatu Mediolani in Rhætiam, & ex Rhætia in Ducatum Mediolani, tollit: sicuti anno quoque M. DC. XVI. cùm aliqui Engadini Superiores militiam Venetam secuti essent, prohibuerat, ne caseus Engadinensis Ducatui Mediolani importaretur: quod tamen mox remissum fuit. Nempe, spe certa Hispanizãtes lactabantur, fore vt equisones, & caupones, quique lucrum ex mercium deportatione percipiunt, insurgerent, & Venetizantibus extrema quæque intentarent. Curiæ autem iam Subcomitia erant, in quibus omnibus Vallistellinæ, & Clauennæ Officialibus, iniunctum, mandatis publicis editis, Talionis legem erga Ducatum Mediolani seruari, præciperent. Spargebant nonnulli, Gubernatorem Mediolani sinistrè de re Rhætica informatum esse; quòd si Legati ad eum

mitterentur, facilè omnia conciliari posse. Sed Rhæticus Senatus nec scribere,nec mittere voluit.

Dum hæc aguntur, Archidux Austrię, Leopoldus, Italiam petens, per Rhætiam iter, incognitus (nobilem Polonum se vocabat) tenet. Zernezij in Engadina Rudolphus Planta in hospitio ipsum conuenit.

In Engadina Superiori, die D. Matthiæ sacro, magistratus eligi debebat. Cæterùm simultates magis magísque creuerant: (ante Scamfij, propter hanc discordiam, in tumultu N. Duschius & N. Puldt interfecti fuerant) Iam ergò ad arma capessenda omnes se parant. Joannis Antonij Trauersij factio, populo, vt antea dixi, potentior fuit. Armati Zuzij (cum sæpius in loco solito, *Ad Angias*, deputati frustrà conuenissent) mense Martio conueniunt: Augustiniani, vti numero inferiores, in paucis ædibus se communiunt. Die Veneris, qui XXIII. Martij erat, cùm quidam ex Augustini ædibus egressus aquam fontanam petere vellet, atque tum cum quodam ex aduersariis à verborum contumeliis ad verbera deueniret, statim hinc & inde ex proximis ædibus res sclopettis agi cæpta; duo ex Joan. Antonianis, Dominicus Syluetus, & Nuttus Squeder, dictus Goraunus, Samudenenses, occisi fuere. Die sequenti crebris tormentorum ictibus (Antoniani tria tormenta minora campestria quoque habebant) certatum. Iamque Engadini Inferiores, qui supra Vallem Tasnam sunt, vbi Rudolphus Planta Judex Criminalis erat, ducentos & quinquaginta armatos, ab altera parte Oeni (viam regiam Antoniani insederant) in subsidium miserant, qui in vicinia supra Oenum consederant. Antoniani, dum Oenum ipsi quoque petere vellent, Joannes Valinus ab Augustinianis ex oppido occisus, Joannes Scattus Beuerensis, dum fortè ex ædibus prospicit, globo tormentario ab Augustinianis in frontem acto, etiam mortuus prosternitur; & tres alij grauiter sauciati fuere. Vxores, quorum mariti in angustiis erant, anxiæ hinc inde discurrere, pacísque conditiones primæ proponere: inter quas nobilis matrona Anna à Iuualta, coniunx Ministralis Laurentij Viezelij, Augustinianis partibus addicti, prima germanum Augustini, & Jo. Antonij fratrem,

Joannem

Joannem adiit. Compoſitio huiuſcemodi erat: Joannes Antonius proximo biennio Miniſtralis; futuro, Auguſtinus eſto: In reliquis paritas obſeruetur: Cancellarius autem hoc biennio ex Auguſtinianis eligatur.

Prægalli ſub-Portani centum quinquaginta Caſacciam vſque Antonianis auxilio venerãt. Engadini Inferiores Zuzij pernoctauere, ab vtraque parte amicè excepti. Triumuiri Rhætiæ ex Volturena Clauennam iam venerant, litteríſque ſeriis miſſis ad mutuam concordiam ipſos hortati fuerant.

Sub hoc tempore Blaſius Alexander, & Bonauentura Toutſchius, Proteſtantium in Valletellina paſtores, Engadinam Inferiorem, patriam, adeunt. Toutſchius, Zernezij, loco patris, ſuggeſtum ſemel conſcendens, acerrimè in Hiſpaniſmum inuehitur, Plantámque, qui in concione erat, clarè innuit: qui, vbi Templo egreſſus eſſet, Toutſchium, qui ei ſanguine iunctus erat, & pecunias in Academiis ab ipſo mutuas acceperat, acerrimè increpuit in ædes vocatum, eiúſque in fauces irruens, ex eo ſcire voluit, quo inſtigante (in ſuſpicione autem Blaſius erat) hanc concionem habuiſſet. Fama huius actus hinc inde ſparſa.

Interea Synodus nationalis Paſtorum proteſtantium, Bergunij celebranda, accelerata fuit: quo loco, ineunte menſe Majo, conuenere. Ordinarius Præſes, quem Miniſtrum Synodalem vocant, antehac fuerat Georgius Salutius, Concionator Curienſis, vir maturi iudicij, qui feruidis aliquorum ingeniis minus gratus, inſimulabatur quaſi amicus Rodolphi Plantæ eſſet. Jam ergò Præſidis munere in hac Synodo functus eſt Caſparus Alexius: qui Geneua Sondrium in Vallemtellinam vocatus erat. Tractata, quæ Eccleſias concernunt; cenſuræ inſtitutæ: aliqui, vti Hiſpaniſmi inſimulati, Synodo excluſi. Lex enim Synodi eſt, Hiſpanicis machinationibus, vt ſe Paſtores opponant. Cúmque nonnullis, Rhætiam nulla ſui parte Hiſpanizare: quæque aduerſus Hiſpaniſmum dicerentur, ab irrequietis Venetizantium ſtudiis fingi, perſuaſum eſſet: quæſtio, magna partium contentione, agitata fuit: An Hiſpaniſmus ſit, quo Patriæ libertas in periculum adducatur: proindeque omnes

G

aperire iussi, si quid contra Patriæ libertatem commissum scirent. Ac à variis varia Hispanismi serpentis indicia prolata. Inter alios, Jacobus à Palude, Engadinus, Concionator in Valle Sexamniensi, indicarat, se à Ministrali Joanne à Capaulo audiuisse, Pompeium Plantam aliquando minitatum fuisse, si iterum seditio aliqua in Rhætia excitetur, se, vti etiam fratrem Rodolphum, non amplius ex Rhætia aufugere; sed in Valletellina se communire velle. Huius rei fama iam antè ad Pompeium delata: qui tantum potuit, vt Joannes à Capaulo Synodum Bergunij adiret, ibidemque, Pompeium non ita locutum esse, assereret. Verùm in ipsa infitiatione rem aliquo modo prodidit. Sed & epistola quædam in eorum manus deuenerat à Jacobo Tuscano Misaucino, Presbytero, & Canonico Curiensi, scripta ad amicum quendam, qua mentio Maximiliani Mori, & pecuniarum quarundam fieri, dicebatur: sed quos præ cæteris Hispanismi suspicione grauabant, eorum nulla in litteris certa mentio erat.

Porrò Synodo huic destinatum fuit, Hispanismi indiciis cognitis, cùm Hispanismum ipsum, tùm in vniuersum, dorophagiam omnem, exterorumq; Principum corruptelas, ipsis Communitatibus scripto proponere. Nam iam in Comitiis Dauosianis, vti diximus, facultatem Communitates certiores de toto negotio reddendi, obtinuerant. Scripto autem comprehensam querelam populo, post finitam concionem, prælegere; petereque decreuerunt, vt Communitates certum numerum virorum proborum, qui à muneribus Principum exterorum immunes sint, deligerent, coram quibus ingentem quorundam popularium suorum perfidiam certis indiciis profiteri possent. Et huic malo, vt in tempore occurratur, necessarium dixere, hac lege, vt tamen ab omni seditione, & commotione populi, abstineatur. Cæterùm, donec à Communitatibus virorum horum delectus esset impetratus, sacri silentij fides in Synodo ab omnibus exacta: vt nonnisi generatim Hispanismum oppugnare liceret, atque ab omni rerum personarumque speciali explicatione abstinendum esset.

Jam scriptum de suggestis recitatur: aliquæ Communita-

tes,

tes, viros circiter 18. quæque, ad informationem habendam, deligunt; aliæ surdis, vt aiunt, auribus prætereunt. Blasius Alexander, & Bonauentura Toutschius in Rhetigoiam veniunt; vbi fertur eos dixisse, Rodolphum Plantam semel circiter mille octingentos duplones Hispanicos à ministris Hispanicis accepisse. In Engadina quoque inferiori, Protestantium Ministri, inter quos præcipuus Jacobus Antonius Vulpius Vettaniensis, pro concione Hispanismum perstringunt: priuatimque, non tamen nominatim, sed inuolucris quibusdam, Plantam indicare videntur. Aliquos tamen Planta, vt Andream Stupanum, Ardetiensem; Conradum Toutschium, Louiniensem; à suis partibus habebat. Vettani ergo, pro more, Judicium Actionum Criminalium habitum: vbi illorum locorum Pastores, si quos Patriæ proditores, aut Hispanicorum munerum captatores, nossent, aperire iussi. Cùm, vel quòd, Decreti vltimi Synodalis memores, non possent; vel, quòd illis in locis demonstratiua fundamenta contra nullos adhuc haberent, nullos prorsus indicarent; silentium de istis rebus pro suggestu illis impositum fuit. Et verò maior pars in Engadina Inferiori Plantanas partes adhuc defendere videbatur. Accessere his omnibus litteræ, quas scripserat Rodolphus Planta ad Prędicantem amicum, dum Bergunij in Synodo erant; in quibus, inter alia, Vtinam, inquiebat, nec Politici, nec Prędicantes essent in Rhætia, qui pecunias ab exteris Principibus habuerint! Hoc aliqui ex Pastoribus isto modo interpretabantur; eum scire qui sint, & proinde prodere debere.

Mense ergo ineunte Julio, populus omnis Infra Vallem Tasnam consurgit. Primi sunt Vettanienses, & Eremusiani. Horum Nicolaus Vulpius, Jacobi Antonij Vulpij frater, concionator erat. Cum his Georgius Jenatius, de Samadeno, Blasius, & Bonauentura, fuere: qui semper primi in agmine fuisse, & obsides se constituisse, prensationes, & artes Hispanicas se aperturos, dicebantur. Anno præterito Vallismonasterienses ad vota Plantæ excitati erant: hoc anno Josephus Porta, à Vulpera, pastor ipsorum, cum eis ad Engadinos Infratasnanos venit. Cæterùm statim litteras monitorias ad omnes Trium Fœderum Communita-

tes populus congregatus misit; atque, inter alia, de ingenti quoque tyrannide in ipsorum Valle exercita, conquestus, vota sua in Comitiis adulterari, leges & statuta Patriæ immutari, omnem potestatem ad paucos redigi, immò ad vnum, qui eos, iustitiæ exercendæ prætextu, omnibus bonis spoliet, sermone multo exposuit: his malis remedium adhiberi, & tribunal Censorium contra delinquentes institui, flagitans. Cùm Engadini supra Vallem Tasnam adhuc à Planta dimoueri (nam contrà omnem vim eum tueri iuramento promiserant) non possent; illi, explicitis signis militaribus, ad Engadinos superiores progressi sunt. Triumuiri autem Rhætiæ, Julius Meissen, Lucius Belinus, & Joannes Sprecherus, cùm rumor harum turbarum ad hos peruenisset, se confestim in Engadinam contulerunt; & populum, Plantamque, qui se in ædib. suis, & turri contigua, *Vildenberg*, qua poterat festinatione, cum aliquos Engadinos superiores penes se haberet, communiebat, audiuerunt. Atque Planta tum iuri stare, & fideiubere se offerens, cum Infratasnanis, & sub eorum signis esse solùm nolebat: aiebat, ipsos incentores, &, qui eos mouissent, latronum eorum, quos ante biennium subdi iusserit, proximos agnatos esse, nec securè cum eis se migrare posse; quin potiùs sub quouis alio signo ire non recusare. Triumuiri etiam, obsides se pro ipso stitere, quòd iudicio staturus esset. Populus contra, cùm communem secum patriam, & iurisdictionemagnoscat, vt secum veniret poposcit: nec vim vllam illaturum se dixit. Triumuiri, re infecta, celeriter Curiam reuersi, Subcomitia indicant; eoque deputantur aliqui Politici, & Protestantium Pastores, inter quos Georgius Salutius, & Stephanus Gabriel, qui Engadinam petant, & populum à seditione ad quietem reuocent.

Sed hi tantùm post Festum, vt dicitur, in Engadinam Zuzium venire potuerant. Engadini enim superiores se iam cum illis coniunxerant. Sed & Prægalli Infraportani, Pesclauienses, Furstenouiani, & Bergunienses socias manus iunxerant. Qui supra Vallem Tasnam Engadini sunt, iam maior pars vacillabant: cumque denuò iuramentum, Plan-

tæ de-

tæ defendendi, præſtare admonerentur; Albertus Ser' Erhardus, qui ex Iusdicentibus erat, ſe propter ætatem, cùm ferè octogenarius eſſet, excuſauit. Cæteroquin iam antè ad Plantam peruenerat Eques Jacobus Robuſtellus, Volturenus, qui neptem ex ſorore vxoris Plantæ, coniugem habuerat: exſpectabant quoq; Carolum Beſtam, Volturenum, eiuſdem vxoris nepotem, qui Bormium vſque, cum manipulo bannitorum, & aliorum, venerat: vbi poſt, rixa inter eos orta, vnus ex illis occiſus fuit. Robuſtellus Plantam, vt furori cederet, hortatus fuiſſe dicitur: atque ipſe, prætextu comitandi vxorem Plantæ, primus abijt.

Die XVIII. Julij, ex Engadina ſuperiori omnes Zernezium verſus currunt, &, die iam declinante, ingenti excito clamore, Zernezium aggrediuntur. Planta, cùm ſe deſertum à ſuis ſupra-Valtaſnanis etiam videret: celeri fuga (pileum, & alterum calcar oblitus eſſe dicitur) cum Auguſtino Trauerſio, Fabio à Præpoſitis, Daniele à Planta, & aliis, verſus montem Valderam, inde Damalium, Auſtriacæ ditionis, tendit. Facilè autem ipſi omnem aditum, & abitum, occludere potuiſſent; ſed potior in ſpolianda domo, quàm in cuſtodiis diſponendis, cura illis fuiſſe dicitur. Epiſtolas aliquas, quarum quædam in locis abiectis inuentæ, non indiligenter conquiſiuerunt.

Zuzium reuerſi, numerum militum in Vallemtellinam, per montem Malencum, Sondrium mittunt; qui, die vigeſimoſecundo Julij, concubia nocte, Nicolaum Ruſcam, Archipreſbyterum, ibi captiuum faciunt. (Doctorem Joannem Franciſcum Schenardum, qui in camino latitabat, fruſtra quærunt) Archipreſbyter, dum ex oppido verſus Malencum abducitur, Decanum Communitatis, Joannem Baptiſtam Schenardum vocat, qui bipenni armatus in platea comparet: Nicolaus Merulus, Quadrius, campanas ad claſſicum pulſat: magnum murmur, & fremitus inter eius auditores: aliqui, iam etiam Caſparum Alexium Prædicantem (is ſe in furno abſcondiſſe dicitur) comprehendendum clamant. Sed præſentia

& authoritate Florij Buolij, Gubernatoris Vallistellinæ, tumultus ſedatur.

Alius militum manipulus in Prægalliam, vt Supraportanos etiam ad arma vocarent, miſſus: captiuum ibi facit Joannem Baptiſtam à Præpoſitis, Zambram dictum: qui, licet podagra cruciaretur; tamen ex ædibus Vicoſoprani, ad vicum Stampam vſque delatus fuerat. Plurij, Jo. Petrum Moram, qui iam olim ſe negotiis Hiſpanicis immiſcuerat, & proinde, anno M.DC.VII. Curiæ graui quæſtioni ſubiectus fuerat, in fugam agunt. Clauennæ, Jo. Antonio Piperello, militiæ Capitaneo; & Jo. Georgio Seldero, Pauli Peſtalozij, cui Lunæ nomen, mercatoris prædiuitis, quique Plantæ viginti quatuor mille aureos debebat, ſcribæ, quem Plantæ exploratorem vocabant, manus iniiciunt, eoſque in Prætorium deducunt. Ego, qui tum ibi Commiſſarius Trium Fœderum eram, amicè primò ipſos, vt ab hac Juriſdictionis perturbatione (cùm tantùm aliquæ Communitates Cathedrales eſſent) abſtinerent, hortatus ſum; me procuraturum, vt captiui, aut per hos ipſos milites, aut per alios, ſeu in Prætorio, ſeu in hoſpitio, ſeu in quouis alio loco, cuſtodiantur, vſque dum Triumuiros de re omni erudiuerim. Sed fruſtrà. Publico ergo inſtrumento de Juriſdictione turbata proteſtatus, Triumuiris omnem rem ſignificaui. Clauennates verò, qui magna frequentia ad Prætorium conuenerant, modò conſenſiſſem, claſſicum cantaturi erant: ſed à tumultu omnes dehortatus ſum. Ad hæc in Valletellina quoque Ludouicum Caſtellum, militiæ apud Morbenienſes Capitaneum, prehendunt.

Tandem verò, poſtquam pleraque Rhætiæ ſigna concitaſſent, omnes Tuſciæ in Tomiliaſca conſident. Curiæ pauxillum temporis commorati fuerant: ſed nec hoſpitium ipſis, nec hoſpitibus ipſi accepti erant. Præterea, iam fœdus ibi cum Valeſianorum Republica antehac percuſſum, renouabatur. Erant à Valeſianis ad hoc delegati, Sebaſtianus Zuberus, Valeſiæ Capitaneus; Bartholomæus Vyſſius, Martinus Kundtſchinus, Angelinus Probus, Franciſcus de Platea, Petrus Aletus, & Michaël Mageranus; Joannes Rottenus, & Joannes Venezus, Nicolaus in Eich,

Petrus

Petrus Stockalperus, Antonius Stockalperus, Petrus à Riedtmatten, & Thomas Volckenus.

Cæterùm Tusciæ, Rhætorum populi congregati, ante omnia ad compositionem articulorum quorundam animos applicant: adeoque, libertatem vtriusque Religionis asserunt: Constitutiones patrias, fœderaque cum Principibus, bona fide obseruare promittunt: priuata exterorum Principum, tam confœderatorum, quàm aliorum dona, & pensiones, eiurant: Legatis Principum continuam in Rhætia subsistendi potestatem adimunt: priuatis omnibus, quicunque fuerint, cum exteris Principibus, sine mandato publico tractandi, copiam nullam faciunt; vt subditi æquitate & iustitia, sine affectata quorundam tyrannide, gubernentur: redditusque publici meliùs, quàm antehac, administrentur, summatim edicunt. Sed & tribus, vel pluribus personis Ecclesiasticis, in Comitiis, expensis publicis, comparendi, & necessaria, quæ ipsorum vocationis, & conditionis essent, proponendi, copiam fecerunt. Hunc tamen articulum maiora Communitatum vota non approbarunt.

His sic peractis, Tribunal censorium constituitur: præsesque non quidem, vt moris, ex loco præsenti Jurisdictionis; sed Foueanus, Jacobus Joderus à Casutto, qui anno M.DC.VII. Ilantij etiam hoc munere functus, & Protestantibus Pastoribus, qui multum poterant, amicissimus erat, nominatur. Huic addunt ex quolibet fœdere viginti duos assessores, atque tres insuper Cancellarios, denique nouem Inspectores ex quolibet etiam fœdere. Nouem Protestantium Ministri, seu Pastores, iudicio etiam assistebant: sententiis tamen ferēdis non interueniebant. Ac vocati quoq; fuere aliqui Sacerdotes, qui tamen interesse recusarunt. Et Protestantium quidem Pastores à populo assumpti fuere; cùm, vt promissionis suæ, de multorum ciuium perfidia detegenda, euentum pleniùs iam præstarent; tùm verò cumprimis, vt populum intra terminos modestiæ continerent. Nihilo secius rem periculi, & scandali magni, & hoc planè extra ipsorum functionem esse; nec populum, aut Politicos, eos ad hoc cogere posse, alij quamplurimi sentiebant: præsertim etiam, cùm, inconsulta Synodo, eò vsque pro-

gressi essent. Illi verò, licet mandante Synodo hoc factum à se non esset;æquam tamen hanc Politicorum petitionem esse iudicarunt; cui sine muneris sui Ecclesiastici derogatione satisfacere potuerint,debuerintque. Quin & Synodi totius causæ,& authoritati, se patrocinari dixerunt, dum in manifestando,& propulsando Hispanismo, quem Synodus ipsa scripto publico, vti iam diximus, detegendo promiserat,ex mandato Tribunalis delecti, occupantur. Atq; plerisque ob hoc ipsum postmodum venia à suis data:nonnulli verò, quòd præpostero & imprudēti Hispanismi proterendi zelo correpti, officij sui limites longiùs transgressi essent,ad tempus ab officio summoti fuere. Ministri porrò iudicio huic astitere sequentes: Stephanus Gabriel, Jacobus Antonius Vulpius, Caspar Alexius,Blasius Alexander Blech,Georgius Jenatius,Bonauentura Toutschius,omnes Engadini: Conradus Buolius, & Joannes à Porta, Dauosiani: Joannes Petrus Janettus, Bergunienfis, qui officio Cancellarij postea etiam functus est.

Juramentum vniuersi ac singuli præstant,se à Principum pensionibus immunes esse, & si qui se muneribus corrumpere tentauerint, Senatui se, bona fide,delaturos. Locum consessus, aream amplam, eligunt; & primò epistolas aliquas, & scripta in ædibus Plantæ, & aliorum, inuenta, in ordinem redigunt.

Inter alia, epistolam vnam Pompei Plantæ ad Rodolphum fratrem habebant, quæ tamen non integra erat. In hac Pompeius inter alia: se cum Legato Padauino fuisse, qui Rodolpho munus Chiliarchæ, seu Colonelli, & quingentos aureos annuos, cum magno honorario pro se, Pompeio,offerat:item omnium bonorum mobilium,si quis concursus populi nasceretur,& aliquam ipse iacturam pateretur, compensationem: Legatum Gallicum Guefferium libenter seditionem in Rhætia videre velle,& sæpe multumque Maximiliano Moro, de tollendo mercium transitu, agere. Conqueritur etiam de iniuria,vt dicit,sibi à Gallis facta, quòd Capitaneatum militiæ, quem Rodolphus personaliter in Gallia subire recusabat, sibi Pompeio non detulerint. Ait, Gallos Venetis peiores; vindictámque minatur,sed

tur, ſed tempore opportuno exercendam: & putat conniueri poſſe (oculum claudere vocat) ad tranſitum militiæ Venetæ; ſed ita cautè hæc fieri oportere, ne Auſtria, aut Mediolanum, hoc reſciſcant aut animaduertant. His deinde quædam, ius Præfecturæ criminalis apud inferiores Engadinos concernentia, addit: tandemque in hæc verba concludit: Nos autem ea, quæ ad honorem & exiſtimationem patriæ conferunt, agere debemus.

Alia etiam ſchedula inuenta, Rodolphi manu ſcripta, quæ ſex millium aureorum à Paſchalio, in abdicationem fœderis Veneti, expendendorum, meminit: & in eadem, ipſe Planta bis millenos atq; ducentos francos annuæ penſionis, ſuo arbitrio, in perſonas nominandas diſtribuendos, expetit. Liquidò etiam hinc conſtitit, Pompeium, honorarij loco, pro abdicando Veneto fœdere, tercentis aureis præſentibus, & ducentis francis annuis, contentum eſſe noluiſſe.

Prima actio criminalis contra Zambram inſtituta. Hic, cùm de plano nihil fateri vellet, & liberationem ſuam Ilantij anno M. DC. VIII. impetratam obtenderet, torturæ graui, quamuis annum ſeptuageſimum exceſſiſſet, & podagra mirè vexatus eſſet, ſubiectus fuit. Cæterùm in negotio fortalitij Fontæi & Mediolanenſium capitulationum, maximè ſuſpectus erat: & filius ipſius, Fabius, Rodolphi Plantæ ſororem habebat vxorem. In tortura ter conſtans in negatiua fuit. Ecce autem, mulier quædam Prægallienſis, quæ Magiſtro Scholæ, Joſepho Stellæ, in Prægallia primis nuptiis; iamq; in ſecundis Sexamnienſi nupſerat: hæc marito retulit, vnam ex filiabus Zambræ exemplum cuiuſdam epiſtolæ, vt inde legere diſceret, in ſcholam attuliſſe, quæ ad illuſtrem virum ſcripta fuerat: hæc copia retenta fuerat. Uxor autem Zambræ centum florenos, quos ipſi debebant, vt epiſtolam traderent, ipſis remittere promiſerat: & ſic reddita fuit. Cùm verò Zambra Ilantij (rebus tamen ſic ſtantibus & non aliter) liberatus fuiſſet: centum florenos à muliere denuò exegit. Hinc mulieris querelæ.

Accerſitur illa, & cum Zambra componitur. Zambra aliquantùm confunditur: iterumque tortus, profitetur inter

alia, Quòd, cùm anno M.DC.III. Comitia Dauosij, ineundi fœderis Veneti causa, celebrarentur, se eidem, nomine suæ Communitatis, opposuerit. Additque, eò tum venisse Jo. Baptistam Saccum (alij aiunt, Magium quendam) illuc missum à Gubernatore Mediolani: sed, sua opinione, nimis tardè. Hunc Saccum, cum Rudolpho Planta, Antonio à Sonvig, &, vt credit, Jo. Baptista Tscharnero, secumq; contulisse, & asseruisse, Principem suum fortalitium erecturum in Vallistellinæ confiniis: ad quæ Sonuicus dixerit, Hoc populum Rhæticum, ad acceptandum fœdus cum Ducatu Mediolani, maturum redditurum. Atque hos ipsos subinde super his contulisse, atque in animum induxisse suum, si alij fœdus Venetum promouerint, se iam Hispanicum, seu Mediolanense, (vt ipse vocabat) quoque vrsuros. Epistolam autem illam, de qua modò diximus, ad Horatium Palauicinum, Marchionem Scipionis, Gubernatorem ciuitatis Comensis, à se scriptam fuisse, fassus est. Huius tenor: Ut nempe illi (intelligebat, Mediolani Gubernatorem, & Hispanos) in opere (extructione fortalitij Fontæi) pergerent: inimicum enim (signa militaria Rhætica) retardatum iri. Et verò, cum ex legatione Mediolano rediret, populum iam armatum, itinerique accinctum, inuenerat, quem domum redire iussit: aiens, in loco, *Montecchio* dicto, vbi fortalitium extrui cœptum, nihil aliud esse quàm congeriem quandam fascium, omniaq; sine strepitu armorum compositum iri. Denique, quòd semel à Julio Turriano quadringentos Ungaricos ducatos acceperit: à Gallico verò Legato, ducentos aureos; vt capitulationes Mediolanenses impediret: vltra pensionem annuam centum francorum: & tamen capitulationes vrserit, confessus est. Hæcque præcipua confessionis capita erant. Die ergo XXII. Augusti, sententia criminali damnatus, Ut, tanquam proditor patriæ, per carnificem viuus in quatuor partes dissecaretur, gratiam obtinuit, vt capitis pœna plecteretur: ędes funditùs destruerentur, appositis ignominiæ ergò duabus columnis: denique bona publicarentur. Cæterùm ædes etiam integræ manserunt, & confiscationem hæredes ter mille florenis redemerunt.

Porrò

Porrò Aduocatus Zambræ fuit Commiſſarius Caſpar Schmidt à Gruëneck; qui poſtmodum ſcripto inter alia depoſuit, Zambram, quæ de Sonvico dixerat, reuocaſſe, ipſumque virum bonum fuiſſe dixiſſe, & illa quoque, quæ aduerſus Plantam confeſſus fuerat, Plantæ, coràm Tribunali neutrali, olim non obfutura, dixiſſe; hancque, confeſſionem promiſſionibus, & vi tormentorũ impulſum, ſe edidiſſe: vitam namque ſibi ſaluam fore duos è iunioribus paſtoribus pollicitos eſſe, ſi modò cõtra Plãtam aliquid profiteretur. Aſt nec corã Iudicio, nec corã Miniſtris, vtut quidã ex illis, & Conradus Buolius præſertim, ſemel atq; iterum vehementiſſimis obteſtationibus ipſum exhortati eſſent, ne ſibi, iam morituro, aut aliis, iniuriam faceret, quicquam retractauit: quinimò in ſupplicij demùm loco interrogatus de re eadem, rem, vt confeſſus erat, habere reſpondit. Sunt qui aſſerant, tormentorum metu abſterritum hominem, coram Judicio, atque Miniſtris, reuocare non auſum fuiſſe. Nobis rem ſimpliciſſimè enarraſſe ſat fuerit. Judicium ſuum cuique liberum eſto. Mortem ſanè, à ſumpto cibo, ardenti Saluatoris vnici inuocatione, imperterritus adijt.

Altera iam actio contra Pompeium Plantam, abſentem, inſtituta fuit. Huius ædes, Paſchalij, in Tumiliaſca, diligenter perſcrutati erant, & aliquas epiſtolas, & ſcripta corraſerant. Inter alia, litteras feudales Curtis Straſberg in Juriſdictione Coruantiana ſitæ, eique à Maximiliano Archiduce Auſtriæ, anno M.DC.V. conceſſæ, habebant; quibus ille ſe iuramento ad ſolita Vaſalli ſeruitia obligabat. Hinc verò illi inferebant, ipſum periurum factum. Nam anno M.DC.XVII. in Comitiis Dauoſij iuramento proteſtatus fuerat, ſe nulli Principi extero aliquo iuramento obligatum eſſe. Pompeius in Reuiſione Curienſi poſt ſe purgauit, quòd feudum illud ante aliquot annos Capitaneo Benedicto Thomaſo ceſſerit; vti reuera erat: & proinde à Juramento liber fuerit. Præterea exemplum nacti erant epiſtolæ, ad eundem Archiducem Maximilianum, anno M.DC. XIV. die VII. Auguſti, ab ipſo exaratæ: inter alia, eidem Archiduci ſuadet, vt ſeueris litteris ad tria Fœdera datis, aut

aliis mediis, quæ in promptu habere possit; & fusiùs ipse, tempore opportuno, significaturus sit, instet, vt Dauosiani, (qui egregiis priuilegiis ornati sunt) se etiam expreſsè Subditos Archiducis nominare cogantur. Adhæc, summatim ipsum accusant, quòd cum Fratre Rodolpho perniciosissimos tractatus, & practicas (vt vocant) cum Principibus exteris continuè instituerit, hosque, pecunias emungendo, variè & artificiosè ludificatus fuerit: Senatum Rhæticum, & officiales Vallistellinæ, vti etiam subditas regiones, suo nutu tyrannico gubernare voluerit: Patriæque libertatem imminuere studuerit. Quibus omnibus quasdam particulares practicas deinde, exempli causa, subdunt. Ad trinundinam citationem, vt moris est, & cum omnibus obseruatum fuit, cùm non compareret, die XVIII. Aug. sententia definitiua contra ipsum contumacem lata fuit: qua, proscriptione perpetua ex toto Rhætorum Dominio, mulctatus, præmiumque propositum fuit mille aureorum, ei qui eum viuum in Rhætiam retraheret: atque aureorum quingentorum, qui caput solùm adferret. Quòd si autem viuus in Rhætia deprehendi possit; tum, vt nullo iterato iudicij processu, seu proditor Patriæ, per carnificem in quatuor partes secetur, membraque dissecta palis in compitis publicis affigantur; adhæc ipsius ædes funditus, erectis eò loci duabus columnis (quod tamen executioni non datum) euertantur, bonaque publicentur, decretum. Quinetiam, ne quis vnquam de ipso liberando verba faciat, capitis pœna in transgressores constituta, cautum. Qui ipsum in Rhætia hospitio exceperit, mille aureis: si quæ Communitas hoc fecerit, tanquam perfida, expunctione ex fœdere; si denique priuatus, exilio puniatur. Die Sabbathi quæ fuit I. Septembr. contra Nicolaum Ruscam, Archipresbyterum Sondriensem, in custodia detentum, processus iudicij publicè institutus fuit. Accusabatur, inter alia, quòd cum Jo. Paulo Quadrio Pontensi (hic pater Doctoris Prosperi Quadrij fuerat) & Vincentio Gatto Cluriensi, Volturenis, egerit de subornandis aliquibus sicariis, qui Scipionem Calandrinum, Protestantium Sondriensium Pastorem, aut occiderent, aut viuum Mediolanum, vel Romam deducerent:

rent:

rent: prout hæc in, & extra torturam fusius confessus fuerit Michael Chiappinus Pontano-Volturenus: qui etiam addiderit, duos hos nobiles Volturenos affirmasse, Archipresbyterum exploratores certos in hunc finem disposuisse: præterea, Archipresbyterum per puerum schedulam, quam is in calceo absconditam tenebat, sibi Chiappino misisse, significasseque quando, & in quem locum cum sociis venire ad facinus hoc perpetrandum deberet. Qui proinde anno M. DXCIV. mense Julio, in Volturenam cum tribus nautis, Andrea Sera, Comensi, Baptista Dominico de Menasio, & Joanne Piffaro de Soriate, Trahonensis iurisdictionis, venerit, & ad portum Cajoli, vbi pontone Abduas tranatur, prædictum Scipionem Calandrinum exspectarit. Atque socij huius, in loco dicto inuenti, (illi tractatum tamen cum Archipresbytero ignorabant) à Gubernatore Vallistellinæ Hartmanno de Hartmannis captiui facti, & capitis supplicio affecti fuerunt. Huic accusationis capiti alia accessere: vt, quod subditos ita sibi deuincierit, vt Officiales Vallistellinæ, timentes sibi à tumultu populari, eum propter delicta punire non ausi sint: quòd tempore illo, quo fortalitium Fontæum fabricari cœptum, se Morbenium contulerit, populum in confessionibus auricularibus, & alioqui clàm, dehortatus sit, ne contra Principem ita Catholicum, Regem Hispaniarum, arma ferrent, si modo conscientiam sibi saluam esse, & absolutionem à se obtinere velint: quòd Prouisori Trium Fœderum, Antonio à Sonuig, qui propter armatum populum nihil tunc temporis tentare ausus sit; Decretis item supremorum Dominorum, se opposuerit, & ea rescindere, ministrorum Principum exterorum opera, tentauerit, pacémque publicam turbare non erubuerit: quòd, quamuis anno M. DC. VIII. die XIV. Aug. citatus, & vocatus, & Communitatibus se sistere iussus, & post, mense Nouembri, Tribunal ex Judicibus vtriusque Religionis Curiæ habitum fuerit, comparere recusauerit: imò partem Judicum per curatores suos, Joan. Antonium Gioerium; & Doctores, Franciscum Schehardum, atque Fabricium Lauizarium, largitionibus demulserit; vt videre est ex litteris eius ad amicum scriptis à dieb. XXII.

XXIII. XXIV. mensis Decembris M. DC. VIII. & prout tebussti etiam comprobatum fuit.

Ad hæc, & alia, Archipresbyter infitiatione respondit, atque cum aduocatis, inter quos Colonellus Joannes Gulerus ex Protestantibus etiam erat, excepit, Se iam per viginti octo annos Sondrij habitare; semper Tribus Fœderibus fidelem fuisse, & esse velle: nunquam populum ad seditionem commouisse: atque, ne cõtra Regem Hispaniæ arma ferrent, dehortatum esse: immo ad omnem fidelitatem, & prompta seruitia, Dominis Rhætis præstanda, sedulo hortatum esse: cuius rei testes omnes suos auditores vocet. Prouisori se nunquam restitisse: Decretorum Dominicalium, quæ putauerit in Catholicæ Religionis præiudicium vergere, quæque subreptitiè obtenta fuerint, mitigationem se petiisse. Quòd depositionem Michaëlis Chiappini attinet; respondit, Se cum Scipione Calandrino amicitiam coluisse, sibi inuicem libros vsui dedisse: nec vnquam eius vitæ insidias struxisse. Dicta Chiappini esse vana, varia, & futilia, atq; hominis huiusmodi, qui se socium criminis faciat. Cur non Chiappinum, cùm ipse, Archipresbyter, anno M. DC. VIII. mense Decembri (quo mense, Vallemtellinam Gubernante Joanne Korn à Castelmur, Chiappinus primò condemnatus vt in quatuor partes secaretur, post gratia impetrata, capite truncatus fuit) eum in carcerem adiret, & eius confessionem audiret, secum confrontauerint, seu composuerint? (Capitaneus autem Vallistellinæ se excusabat, quòd illos inter se committere, & Archipresbyterum in carceribus detinere non ausus fuerit, timens sibi à tumultu populari) Denique se Curiæ legitimo iudicio à criminationibus liberatum fuisse regerebat. Inter alia ad Pastores Protestantes dixisse fertur: Si vobis ita spina in oculis sum, proscribite me, vel ad triremes potiùs damnate, quàm vt cruciatibus exagitari me permittatis. Condemnatus ad torturam die Dominica, ter, sine tamen pondere, eleuatus fuit: ac perstitit tum in negatiua; sæpiùs misericordiam Dei & hominum implorans. Die verò Lunæ, cùm illi facies velata esset, ne quis illi signum dare posset, bis iterum sine pondere eleuatus, mox exanimis inuentus fuit: cùm tortura solu-

ſolueretur,iam exſpirauerat.Linguam ſibi dentibus,vt ſanguis appareret,momorderat. Die deinde Mercurij (non ſine murmure, & indignatione multorum, etiam Proteſtantium,qui eum nec confeſſum,nec conuictum, & Chiappini indicia varia, & remota eſſe dicebant) corpus per carnificem ſub patibulo ſepultum fuit: quod aliquanto poſt tempore effoſſum, & ad Monaſterium Fabarienſe noctu delatum fuit. Erat annum quinquageſimum egreſſus, & crebris febribus vexatus; cuius rei cauſa duo cauteria (fontanellas vocant) in brachiis habebat: proindeque torturam ſuſtinere non poterat. Cæterùm vitam ſobriam egit, plerumque functioni ſuæ Eccleſiaſticæ, & ſtudiis intentus; quibus, & præſertim ſcientia linguarum Hebreæ, Græcæ, & Latinæ, egregiè excultus erat. Mihi per biennium,quo ædes contiguas ipſius habitationi Sondrij incolui, perquàm familiaris fuit. Vulgatum poſtea fuit ſcriptum quoddam, auctore ficto, Richardo Ruſchonero, concionatore Heluetico, cui titulus, Martyrium beatæ memoriæ Nicolai Ruſcæ, Archipreſbyteri Sondrienſis: in quo multa ignominiosè, & præter contraque veritatem ſcripta, continentur.

Series hiſtoriæ me ducit ad enarrandum & deplorandum interitum oppidi Plurij, & pagi Schilani. Die Sabbatthi, erat hic XXV. menſ. Auguſti, anno M. DC. XVIII. pluere cœpit; tãdemque imber, quaſi præceps ortus, cum fulgetris & tonitru, durauit ad diem vſque Iouis, hoc eſt, XXX. dicti menſis. Dies tum admodum ſerena, tempeſtatis commodioris iam ſpem facere videbatur: aſt nocte ſequente imber rurſum cum fulgetris & tonitruis ingruens, ad diem, ſeu diluculum diei Lunæ, qui erat tertius Septembr. durauit. Dies verò Martis (IV. Septembr.) clara iterum fuit. Atque tum, poſt meridiem, à ſiniſtro fluminis Mairæ latere, ex monte, cui Conti nomen, vbi quondam lapidei lebetes (*Lauezzi*) excauabantur, & cauernarum ſigna & veſtigia adhuc cernebantur, cùm iam ante decem annos (vt habitatores Vſcioni, qui pagus ſupra eſt, narrant) aliquæ montis fiſſuræ apparuiſſent, incœpit ruinæ pars prorumpere, quæ aliquas vineas propè Schilanum, Clauennam verſus, ſubruit. Verùm, quia aliàs etiam eodem loci ruinæ frequen-

tes exortæ fuerant; quòd prata ſuperius in monte irrigari ſolita eſſent, & aqua per canales non diligenter educeretur: Plurienſes, cùm hoc ſubtus oppidum, verſus Clauennam accidiſſet, parùm de hoc ſolliciti erant. Qui ibi in planitie fœnum colligebant, terram ſub pedibus tremere ſenſere. Adhæc, Roncalienſes aliqui ruſtici Plurienſes admonuerunt, oppido excederent: nam magnam portendi ruinam. Denique quidam Plurio veniens, qui lebetes geſtabat, mihi Clauennæ, vbi tum Magiſtratum gerebam, idem nunciauit. Circa horam Aue-Mariæ (vt vocant) Catholici in templo Sancti Caſſiani orationum fundendarum cauſa congregati fuere. Proteſtantium maior pars, (quadraginta tantùm in oppido, & Scilano pago erant) itidem in domu quadam, vt preces ad DEVM dirigerent, conuenerant: referentibus id nobis Roncalienſibus quibuſdam, qui oppido tunc exceſſerunt, & domum iuerunt. Porrò ipſo crepuſculo, cùm iam plenilunium, & ſerenum cœlum, ſine vlla nube conſpiceretur, mons ille Contus, ſummo impetu & fragore, vnoque momento (vt mulier quædam, quæ à dextero Mairæ latere in proximo monte erat, iudicauit) decidit. Nos Clauennę tonum & ſtrepitum, tormentorum maiorum bellicorum complurium ſimul exploſorum fragori haud abſimilem, audiuimus. Pagum Scilanum, vbi ſeptuaginta octo; & oppidum Plurium, vbi centum vigintiquinque ædes egregiæ erant, cum nongentis & triginta perſonis (proh dolor!) obruit. Ego, audito fragore, Clauennæ, faciem verſùs Plurium conuerti, fumumq; ſulphure & igne mixtum verſùs cœlum aſcendere vidi. Puluis in pileum meum, cùm tamen plus quàm dimidiæ horæ itinere Clauenna diſtet, vſque delatus.

Tanta autem impetus vehementia fuit, vt campanile templi S. Mariæ, vbi Proteſtantes conciones ſuas habere ſoliti, ex vlteriori, nempe læuo Mairæ latere, ad dexterum per aëra tulerit. Atque nihilominùs campana vna (mirabile dictu!) integra permanſit: cum in reliquis duobus Catholicorum templis S. Caſſiani & S. Joannis campanarum fruſta poſtea inuenta ſint. Lapis etiam marmoreus, cui inſignia Hieronymi Lumagæ inſculpta, poſitus ſupra oſtij

faſti-

faſtigium ædium ipſius, quæ in dextero Mairæ latere ſitæ erant, in læuam Mairæ partem à ruina deportatus, & ibi inuentus fuit. Nam, quòd ſummo impetu mons decidiſſet, Valliſque ſubtùs ſtricta eſſet, in alteram montis partem ruina aſcendit, quæ in aëre reuoluta, deinde in alteram Mairæ partem recidit. Amnis Maira duas circiter horas retentus, Clauennæ ſummæ trepidationis cauſam præbuit, ne oppidum etiam ab erumpente flumine abſorberetur: ſed (laus Deo) ſine damno oppidi Clauennæ erupit. Lacus ex retento flumine ad longitudinem quadrantis horæ natus. Ruinæ ipſius longitudo dimidiæ horæ ſpatium æquat: altitudo incerta: latitudo admodum ſtricta. Viuus ex ruina nemo euaſit. Nam Franciſcus Furnus, caupo, cum Simone Ramada, cœmentario, verſùs monticulum Rouenum iuerant, & ibi ſeruati fuere. Baptiſta Planta Schilanus, homo mutus, cùm in pomario proximo perſica legere vellet, euaſit; calceos tamen in ruina amiſit. Joannes Petrus Vertemannus, cui Fratinolo, vel, Judæo agnomen, modò ex oppido cum familia verſùs pagũ S. Crucem, vt in montem, fœnum ibidem collecturus, iret, exceſſerat: cumque fores domus ſuæ claudere oblitus, filiam proinde remiſiſſet in oppidum; hæc etiam perijt. Cùm, die ſequenti Mercurij, magna populi frequentia comitatus ad ruinam accederem, vt effoderentur mortui; inuenimus ſupra ruinam duas puellas, quarum vna filia Prætoris Plurienſis, Jo. Andreæ Naſani; altera, Jo. Antonij Galiſoni, videbatur eſſe: item, Laurentium Schandoleram, qui in læua fluminis ripa cœnauerat, in dextera confractum, mantili cingulo accincto, & digitis ex chiragra adhuc ligatis. Janus Chriſtophorus equiſo Supraſaxẽſis, qui vinum Plurij emerat, ſub ficu arbore, lumbo tenus tantùm conſpiciendus mortuus erat. Guilielmus Vertemannus, in cathedra ſedens, poſt tres circiter menſes inuentus. Ancilla quædam, pullum quem deplumabat, manu adhuc tenens, & fruſtum panis ſub axilla habens, extracta fuit.

Calamitatem & hoc auxit, quòd multi Plurienſes, qui in longinquis regionib. diu fuerant, hoc tempore Plurium, ceu ad ſepulturam, diuino fato ipſos trahente, venerant.

Vertemanni Franchi,omnes ſeptem adulti, modò in oppido fuere. Nicolaus, qui in Engadina ſuperiori acidulas hauſerat, circa meridiem, ea ipſa die Martis, Plurium venit. Jo.Baptiſta, eadem die ex palatio Rōncalia; & Octauius, Dalebio, ex Valletellina, vix antè horulæ vnius quadrantem cum vxore, ad communem interitum, appulit. Aliqui mercatores Plurienſes à nundinis Bergomenſibus reuerſi, non quidem in oppido quò properabant; ſed propè oppidum obruti fuere. Sic fatum ineuitabile omnes ferè collegit. Apes, in vicinis locis, Caſtaſegnæ, Villæ,& ad ædes Scatanorum & Pyrariorum, biduo ante, & ipſa die interitus oppidi, ex aluearibus ſuis euolarant.

Sed redeo ad Tribunal Tuſcienſe: vbi ſententiæ de Roſtris;Plurij,de montibus promulgantur. Die Jouis,quinta Septembris,ſententia definitiua contra Rodolphum Plantam,Pompei fratrem,prolata fuit. Accuſationis ſumma in generalibus Pompeianæ non diſſimilis erat. Tumultus Cathedralium,anno M.DC.XVII. auctor & fautor nominabatur: multarumque præterea concuſſionum in Engadina,& Rhætia vniuerſa, reus agebatur. Et quicquid ex epiſtolis, ſcriptis, & dictis teſtium collegerant, diffuſè explicabant. Sententia eadem, quæ fratris Pompei erat. Additum tamen, Ut, cum ædibus ipſius, etiam contigua turris *Vildenberg* deſtrueretur: quod vtrumq; factum fuit. Item: ſi quis cum eo coràm, vel per litteras, vllo modo communicaret, aut ipſius litteras acciperet; pœna mortis tenebatur.

Die XI. Septembris, contra Joan. Antonium Gioerium, Colanchenſem, qui à Prætura Morbenienſi finibus patriis exceſſerat, ſententia lata fuit. Criminationes præcipuæ erant: Quòd bellum ciuile in Rhætia ciere voluerit: ab exteris Principibus auxilia popoſcerit: ſecretaque Rhæticæ Reipublicæ eis patefecerit: Joanni Baptiſtæ Zambræ, rei Mediolanenſis promouendæ, ſuaſor fuerit; fortalitij Fontæi ſtructuram antè non ignorauerit: quòd ipſius cōſilio,& opera, tranſitus mercium ex Ducatu Mediolanenſi vltimò etiam ſublatus fuerit; ipſeque, cùm legem Talionis obſeruare debuiſſet, equos, & alia, eò deduci permiſerit: frumenta & ſal ab aliis partibus, vt Rhætis denegarentur, ſollicitaue-

excitauerit: libertatem vtriusque Religionis turbare conatus, authorque fuerit, vt Misauci scamna in templo Protestantium comburerentur, & campanæ in terram defoderentur: quòd Decretum falsum, de militibus Venetias proficiscentibus, impunè occidendis, Morbenij affixerit: quòd denique variis prensationibus, & artibus prauis in officiis Rhæticis vsus fuerit. Eiusdem tenoris sententia, qua Rodolphus Planta, condemnatus, & ipsius ædes in Calancha dirutæ fuere.

Eadem die, contra Lucium à Monte pronunciatum fuit. Accusabatur inter alia, Quòd officium Judicis Prouincialis exterorum Principum pecuniis sibi procurarit: vt qui hoc fine à Maximiliano Moro aliquando ducentos duplones Hispanicos; ab alio (Guefferium innuunt) tercentos aureos acceperit: Ut Ministralis Leguntinæ Vallis fieri posset, septingentos aureos impenderit, & postea coram Communitate Juramentum præstiterit, Se nullas pro hoc adipiscēdo insumpsisse pecunias. Sed & accusauere ipsum, quòd seditionem fœderis Cathedralis, anno M. DC. XVII. totis viribus promouerit: quòd aliquando, in epistola quadam, minitatus sit, si res non ex voto succederet, se talem lanienam (balneum sanguineum vocat) excitaturum, vt ad fauces vsque, vt dicitur, hominum pertingat: quòd ab Hispanicis Ministris quinquaginta mille aureos petierit, iis se fœdus Hispanicum in suo fœdere promoturum: quod contra patriam suam apud exteros arma & auxilia flagitauerit. Contumaci, eadem pœna, quæ Pompeio, inflicta fuit.

Dehinc, elapsis aliquot diebus, contra Joannem Episcopum Curiensem, accusatio instituta. Criminationum præcipuæ hæ: Quòd ante vndecim annos, propter diuersa delicta contra patriam commissa, Ilantij à Judicibus neutralibus bannitus fuerit: ac cumprimis, quòd Tribus Fœderibus iuramenti sui, quod circa pacta fœderalia Principibus exteris (Galliæ Regem, & Venetos, innuunt) præstiterant, minùs quàm decebat considerandi, suasor, auctorque fuerit: (respiciunt ad annum M. DC. VII. quo, cùm fœdera imminuerentur, ipse etiam suasor huius rei fuisse arguitur) quòd pecunias acceperit, & distribuerit, quo minùs Rhæti

I 2

Heluetiis amicissimis in re honesta gratificarentur: quòd Episcopatum Curiensem tutelæ & patrocinio, contra iura fœderis Cathedralis, cui Aduocatia debetur, Principis exteri minus amici còmmiserit: cumque, huius infidelitatis sibi conscius, timeret, ne omnibus innotesceret, legationem in Germania à Latere, vt vocant, ambierit: quòd post aliquod tempus, neglecto banno, in Rhætiam reuersus, à malis suis actionibus non destiterit: quòd castrum *Furstenburg*, ante vndecim annos, omni comeatu priuari permiserit; Castellanumque hominem infidelem, & à Rhætis bannitum, (Andream Flugium, fratrem Episcopi dicere volũt) præfecerit: quòd feuda Episcopatus aliquibus sine causa ademerit: & horum aliqua, sine consensu fœderis Cathedralis, alienauerit: quòd in controuersiis confinia patriæ concernentibus, pecuniis acceptis, parti aduersæ adhæserit: denique, quòd apud Principes exteros Rhætos Protestantes, contra edicta pacis, ignominiosis verbis traduxerit. Die ergo XXV. Septembris sententia contra ipsum lata, proscriptio Ilantina, ante vndecim annos promulgata, in omnibus & per omnia in perpetuum rata habita: bona eius propria, sine damno tamen Episcopatus, publicata; ipse dignitate Episcopali exutus; ac fœderi Cathedrali, & Capitulo Curiensi iniunctum, vt primo quocunque tempore opportuno alium Episcopum sufficerent, & in possessionem mitterent. Prohibitum etiam, ne quis ipsi in Rhætia hospitium daret: ipseque, si in Rhætia deprehensus fuerit, vt capite multetur, constitutum.

Septem hasce sententias, publici Juris factas, & diuersis linguis editas, inter alia videre datur. Antonius Ruinella, Daniel Planta, Rodolphi ex fratre nepos; Capitanei, Augustinus Trauersius, & Theodosius à Præpositis, ac Andreas Jennius, Consul Curiensis, leuibus etiam de causis, vt rerum capitalium rei, proscripti fuere. Trium horum proximè nominatorum criminatio præcipua erat, Quòd vnioni Zuziensi subscripsissent. Codicillos illius vnionis Judices Tusciæ per sententiam publicè combusserunt.

Rhæti illi proscripti interim Lucernam se contulere, vbi Rodolphus, ac Pompeius Plantæ, Lucius à Monte, &

Gioerius,

Gioerius, coram Oratoribus ſeptem Cantonum Catholicorum, de iniuria Tribunalis Tuſcienſis conqueſti, hac de cauſa iſta ſe pati dixere, quòd Venetizantibus adhærere noluerint, & Planta latrones in Engadina puniuerit. Conuocantur Comitia generalia totius Heluetiæ, loco ſolito, Badæ: eóque Tribunal Tuſcienſe ad ſui purgationem deputat Joachimum à Montalta, Gregorium Maierum, & Baronem Rodolphum Saliceum, à Salis. Comparet ibi & Guefferius, Tuſcienſibus, à quibus ſe traduci dicebat, minimè amicus. Pompeius, nomine proſcriptorum, coram conſeſſu Heluetico verba facit, & grauamina mira dexteritate dicendi (eloquens enim & doctus erat) explicat. Inter alia, quæ Lucernæ dixerat, repetit; & Tuſcienſes, tam Eccleſiaſticos quàm Politicos, ordine ſingulos, verbis acribus, & ſalſis dicteriis mordet: nonnullos inter ipſos officio delatoris, teſtis, & iudicis fungi, epiſtolas deprauare, verba eradere, ſigilla adulterare; populum Engadinum nullo alio prætextu ad ſeditionem potuiſſe commoueri affirmat, quàm falſiſſima hac perſuaſione, Rodolphum Plantam Zernezij in turre *Vildenberg* ſacellum extrui curaſſe, vbi Miſſam celebrari permittat; & Jeſuitas in ædibus ipſum abſconditos habere. Tuſcienſes hos Judices Venetizantes pretio & pecuniis, quas à Venetis acciperent, oblatis, capitibus & vitæ ſuæ inſidias ſtruere: quòd ſi ita nutu Principum rem agere permiſſum ſit, ſe facilè etiam Principem inuenturos, cuius pecuniis capita quoque aduerſariorum mercentur. Petunt denique, vt ſibi iudicium neutrale, extra tamen Rhætiam potiùs, in loco tuto, ſtatuatur; vbi coram probis & ſinceris viris, fide publica ſubnixi, innocentiam ſuam aſſerere, & aduerſariorum technas detegere poſſint. Quòd ſi hoc non fiat, & ſibi à patria exulandum ſit; tunc exclamandum fore: Væ Rhætiæ! Væ Rhætiæ! Væ Rhætiæ! Sic hæc ipſa verba ſemel iterumq; ingeminans.

Legati Tuſcienſes, ſermonem inſtituente Gregorio Maiero, paucis reſpondere: Rhæticum populum, ſumma neceſſitate conſeruandæ libertatis ergo, adactum fuiſſe, vt hanc cenſuram decerneret: nulli vim iniuſtam inferri: tyrannicas actiones, & proditiones aliquorum in immenſum

excreuiſſe: vti ex proceſſibus formatis ſatis appareat, quorum exempla exhibere offerunt. Orant, vt Rempublicam libertatémque Rhæticam commendatam habeant;& non facilè calumniatoribus aures præbeant. Receſſus datur, vt fide publica proſcriptis caueatur,& Judicium Reuiſorium ordinetur. Heluetij tamen Proteſtantes non conſenſiſſe dicuntur; ſed Catholici potiores ſuffragiis fuere. Receſſus iſte ad Communitates Rhæticas per Heluetios miſſus fuit: ac Catholici Heluetij minas etiam poſtea inſeruerant, niſi ſibi obtemperaretur, & tribunal'neutrale inſtitueretur, ſe virtutis maſculæ anteceſſorum ſuorum adhuc memores, nec ſibi legitima media defore, quibus refractarios ad bonam Politiæ diſciplinam cogere poſſint.

Tribunal Tuſcienſe, ſub ſigillis publicis ad Archiducem Auſtriæ Maximilianum litteris datis, vt virtute fœderis hæreditarij Rodolphum Plantam, & eius ſocios, proſcriptos, in ſuis dominiis nullo modo toleraret, petiit. Curia Ænipontina Reſponſionis loco, ſimplex Recepiſſe remiſit: abſentia Principis ſe excuſans. Iidem Tuſcienſes ad vniuerſos Heluetios,& quoque ad Catholicos Cantones ſeparatim, ne proſcriptos in regionibus ſuis ferrent, ſcripſere. Sed Catholici, cùm ad reſcriptum Badenſe, non illud reſponſum, quod volebant, accepiſſent, publicis litteris ad Senatum Rhæticum miſſis, proteſtati fuere, ſe exulibus Rhætis ſaluum conductum, tutúmque hoſpitium in omnibus ſuis dominiis conceſſiſſe; ſub grauiſſima pœna cauentes, ne quis eos, quicunque ſit, vllo modo nec verbis nec factis violare auſit.

Planta, cum aliis proſcriptis, Solodurum, vbi etiam quoddam creditum (contractum vocant) exigere conſtituerat, ſe contulit. Nam Tuſcienſes pecunias illas ſequeſtratas, ſed fruſtrà, volebant. Ibi conſilium & auxilium Legatorum Gallicorum, Roberti Mironij, & Stephani Guefferij, quibus quoque Emericus de Vico, Regis olim in Heluetia & Rhætia legatus, tùm aderat, implorauere. Ex proſcriptis quidam, inſtinctu Alphonſi Caſati, Legati Hiſpanici, ad diſſipandam colluuiem illam Tuſcienſem expedire aiebat, vt

bat, vt Hiſpanus aliquid tantùm contra Vallemtellinam tentaret; non, vt eam retineret; ſed vt ſolùm diuerteret Rhætos. Cumque multa in vtramque partem adducta fuiſſent, Vicus tum exclamaſſe dicitur; Non, non, non, (ter hoc verbum referens) non oportet nos ludum facere pro Hiſpano. Caſatus etiam Cantonibus Catholicis eandem inuaſionem, quam terriculamentum vocabat ſolùm, inſinuare volebat: qui tamen hęc Emerico de Vico, & Roberto Mironio, communicarunt: atque tùm, vt huiuſmodi conſiliis abſtinerent, ipſos Gallici Legati exhortati fuere. Nam ſi Rhætis Vallistellina per Hiſpanos inuadatur, Præfecturas Heluetiorum Tranſalpinas cum tempore nec ipſas tutas fore. Nihiloſecius Emericus de Vico, quòd Mediolanum proficiſceretur, & ad Valeſianos quoque litteras dediſſet, nonnullam Tuſcienſibus ſuſpicionem, metumque mouit.

Menſe Octobri, Planta quoque, cum Pompeio fratre, Daniele nepote, Fabio à Præpoſitis ſororio, Lucio quinetiam à Monte, & Jo. Antonio Gioerio, Mediolanum profectus eſt, hoc prætextu vſus, ſe litteras commendatitias à Gubernatore Mediolanenſi, Don. Gomez Suarez de Figeroa, & Cordua &c. ad Cæſaream Maieſtatem, & Legatum Hiſpanicum Cómitem d'Ognade, petere; Viennamque in Auſtriam tendere velle, creditum (vt vocant) à Paulo Peſtalozzio (quem Tuſcienſes in exigẽdo illo credito poſt indignè tractarũt) exacturus; prout litteras etiam obtinuit, & Viennam poſtea profectus eſt. Ad ipſum tunc Mediolanum quoque venerunt Iacobus Robuſtellus, Antonius Maria, & Joannes Maria, Parauicini: ibiq; negotium cum primis promouente Julio della Torre; multũ diuq; de rebus, quæ poſt euenerunt, tractaſſe dicuntur. Bartholomæus d'Urſletta, & alij famuli Plantæ, poſt prodiderunt, Gubernatorem Mediolani Rodolphum Plantam, inter alia, vt Catholicus fieret, exhortatum eſſe: ſecus, tuto cum ipſo ſe tractare non poſſe. Aiunt etiam, Rodolphum ſæpiùs in hoſpitiō, poſt tractationem, ingemuiſſe, & fratrem Pompeium acriter increpuiſſe.

Dum hæc à Proſcriptis aguntur alibi, Tuſcienſes ferendis ſententiis adhuc occupantur. Joannem de Georgiis,

qui in Galliá cohorti Rhæticæ adhuc præerat, in iudicium vocant. Criminatio inter alias præcipua, Tractatus ille Mediolanensis, de quo antè, cùm de Carolo Paschalio, Legato Gallico, loqueremur, mentionem fecimus. Exemplar articulorum Fœderis Hispanici inuentum in ædibus ipsius. Addunt: ipsum se in tractatione Triuultiana parùm sincerè gessisse. Ille, scripto, fusè se purgat. Pœna nihilominus capitali, cum publicatione bonorum, vti contumax, & ipse condemnatur.

Præterea, his ipsis diebus, Tusciam citatus fuit eques Georgius de Georgiis, Joannis illius frater. Hic, cùm se sisteret, postea detentus fuit. Processus Jo. Petri Moræ contra ipsum productus. Is Curiæ anno M. DC. VII. contra Georgium confessus esse scribitur, quòd Georgius ligna ad constructionem arcis Fonteæ ex Comitatu Clauennæ, vbi Locum tenens erat, vehi permiserit, & ab Hispanis proinde pecunias acceperit. Ilantij quidem absolutus fuerat, quòd in processu verba Moræ non clara satis essent. Jam accusatio redintegrata, ipseque de nouo examinatus fuit. Joannes namque Hartmannus, homo seditiosus, & Georgio inimicus, iuramento deposuerat, Moram dixisse, Georgium mille aureis ab Hispanis donatum fuisse. Clauennam aliqui missi, vt ædes & arcas eius perscrutarentur: casu schedulam in arca quadam nacti sunt. Uxor Georgij, anxia, sorori suæ asseruãdam dare cùm vellet, à satellite visa, eique schedula erepta fuit Argumentum illius: Quòd si persona illa perficeret, vt in Comitiis Badenis Vicarius Antonius à Sonuig, & Dominus à Schawenstein, operam darẽt, vt tria Rhætorum sigilla Capitulationibus Mediolanensibus apponerentur; fore, vt ea persona liberalitate regia, & annua pensione honoretur. Cæterùm manus non agnita, & epistolium sine mensis & diei adscriptione exaratum. Appositum etiam erat sigillum, quod non benè dignosci poterat. Iterum ergo constitutus in Judicio, perstitit in negatiua: proindeque, quamuis corpore satis ægro esset, quæstioni subiectus fuit. Sed ne verbum quidem in quæstione leui edidit. In custodia cùm aliquamdiu fuisset detentus; tandem, persolutis mille aureis, ita pendenti processu, fideiussione

ſione data, quòd ſe coram Judicio Rhætico, quandocumq; requiſitus fuerit, ſiſtere, domique manere vellet, Clauennam deportatus fuit.

Deinceps proceſſus Joſephi à Capaulis, Vallistellinæ olim Capitanei, inſtructus fuit. Hic nundinationum in officio adipiſcendo, & defraudationis Cameræ Dominicalis, magnarumque extorſionum, & imputationum; ſed & prætereа ridicularum quarumdam rerum reus agebatur. Judices, vt animos Volturenorum, qui ob caſum Archipresbyteri Sondrienſis admodùm exacerbati, huic autem Joſepho maximè infenſi erant, nonnihil demulcerent, ipſum torturæ ſubiecerunt: ac poſtmodum priuatione honorum, vt vocant, & mulcta ſex mille aureorum punitum, dimiſerunt. Cùm gladium poſtea lateri accinxiſſet, ſeque vti Miniſtralem Flemij in quadam ſchedula ſubſcripſiſſet: duobus mille aureis iterùm mulctatus fuit.

Eadem ferè fortuna excepit Chriſtophorum Geſium, Vallistellinæ itidem nuper Capitaneum. Hic, ob morbum torqueri cùm nequiret; vita ipſi, in gratiam ſupplicantis vxoris, & liberorum, condonata: ipſeque omni dignitate priuatus, quatuor mille aureis punitus fuit.

Comparuit tum Franciſcus Parauicinus, Ardenno-Volturenus, qui filij ſui Antonij Mariæ patrocinium ſuſcepturus, ſollicitè inquirebat in eius criminationes. Cùm autem in cauſa criminali per Procuratorem comparere non liceret; abire iuſſus fuit. Sed cùm permaneret nihilominus, teſtis examinatus fuit; qui contra ipſum depoſuit, Franciſcum hunc, aliquando Judicem Prouincialem, Joachimum à Montalta, ſeque teſtem, conueniſſe, atque, tempore illo, quo Tigurini & Bernates Rhætorum auxiliares copias ex tenore fœderis, ſicubi opus eſſet, flagitabant, ſuggeſſiſſe: Quòd ſi minùs libenter Rhæti auxilia dare, & aliquam excuſationem prætexere, vellent, ſe cum Gubernatore Comi effecturum, vt aliquas naues armatas Lacui Lario imponat, quò ſic domi ſe continendi Rhæti legitimam excuſationem habeant. Inter Rodolphi Plantæ ſcripta quædam huius hominis epiſtola ſatis ſuſpecta inuenta fuerat. Conſcius etiam atrociſſimi homicidij, in Prætore Petro Planta per-

petrati, fuiſſe cenſebatur. Cùm autem ſeptuagenarius eſſet, & hernia laboraret, conſtanſque in negatiua eſſet; compreſſi ipſi primò inter quædam prela pollices fuere; quod ipſum quoque torturæ genus eſt. Sed ne ſic quidem dicta teſtium confirmare voluit; labilem quoque memoriam in ſui excuſationem obtendens. Atque, quantumlibet ignis pedibus admotus poſtea fuiſſet, ſemper tamen in hoc perſtitit, ſe, quoad ſcire poſſet, nihil in perniciem Rhætiæ molitum eſſe. Tandem mille quingentis aureis mulctatus fuit. Joan. Baptiſta Schenardus, Sondrienſis, qui ad inſtantiam Rhætici Senatus Corteni in Valle Camonica à Magiſtratu Veneto captus, & in collimitiis Rhætis conſignatus fuit, Tuſciam deductus, atque tortus fuit. Imputatio præcipua; Quòd bipenni armatus, cùm Archipreſbyter abduceretur, in foro Sondrij comparuerit, & verba ſeditioſa protulerit. Nicolaus Carbonera & ipſe, quòd in verba ſeditioſa propter abductionem Archipreſbyteri erupiſſet, Tuſciam ductus, ibique tortura examinatus. Poſt verò vterque, pœna leui pecuniaria impoſita, dimiſſus fuit.

Ibidem captiuus quoque detentus Blaſius, Horatij Platti, Tilienſis, filius. Iſtum Jo. Antonius de Fridericis I. V. D. qui ex Valle Camonica in Vallemtellinam venerat, vxoremque Tilij duxerat, atque etiam Proteſtantium Religionem amplexus erat, accuſabat, quòd fratrem dicti Doctoris (qui etiam Tuſciam ductus fuit) & alios in Valle Camonica pretio conduxerit, vt in Vallemtellinam ſecum venirent; &, quando Proteſtantes Boaltij (eſt locus propè Tilium) conciones in Templo Catholicorum habituri eſſent, omnes interficerent: patrem Horatium, qui Capitaneus militiæ Communitatis illius erat, arma habiturum parata. Compoſiti inter ſe Blaſius, & frater Doctoris; ſibi inuicem contrarij cùm fuiſſent; Blaſius torturæ applicatus, in negatiua primò perſtitit; contra, in tortura etiam frater Doctoris affirmatiuam ſuſtinuit. Interea verò Aſcanius, frater Blaſij, Paulum Beſtam (qui epiſtolam Prætoris Tilienſis ad Capitaneum Vallistellinæ, qua vincula Blaſij denuntiabantur, tulerat) ſcloppeto traiecit. Iterùm ergo torquetur Blaſius: iamque rem totam non fatetur ſolum; ſed quoque, vti

ipſe

ipſe quidem putet, patrem conſcium rei feciſſe Actium Beſtam aperit. Noctu poſt, ſomno oppreſſis cuſtodibus, ex carceribus aufugit, & Haldenſtenium vſque peruenit: vbi iterum comprehenſus, & Tuſciam retractus: atque, cùm duo etiam homicidia antè, vnum in perſona Guizzardi de Guizzardis; alterum, in famulo auunculi ſui in Valle Camonica, perpetrata, confeſſus eſſet, die XXIII. Nouembris, capitis pœna, quam intrepidè adijt, affectus fuit. Adhæc Voltureni quoque alij, vti Antonius Maria, & Joannes Maria, Parauicini, Jo. Franciſcus Schenardus I.V.D. infidelitatis in ſuperiores ſuos, variarumque fraudum in decipienda Camera Dominicali, multarum quin etiam concuſſionum rei acti, capitali pœna cum bonorũ publicatione; damnatus. Nicolaus inſuper Merulus, qui cãpanas in abductione Archipreſbyteri pulſauerat, cùm aliis cõplicibus, proſcriptus. Alij mulcta pecuniaria, & banno, ad tempus præfinitum, affecti fuere. Franciſcus nempe Venoſta, I.V.D. ob hoc cumprimis, quòd Cameram Dominicalem ſæpiùs defraudaſſet, & Vicarium Antonium à Sonuig, anno M.DC.VII. fugitiuum hoſpitio excepiſſet, ſex mille aureis & banno duorum annorum: Jacobus Robuſtellus, præcipuè, quòd cum Rodolpho Planta conſilia & auxilia communicaſſet, ter mille aureis, & banno vnius anni: Actius denique Beſta, Blaſij, vt diximus, criminis ſocius, mille aureis, & banno vnius anni, damnati fuere.

Præterea Ciuitatem Curienſem, quam magna ſui parte Hiſpanizare dicebant, Unioni Zuzienſi ſubſcripſiſſe, ſeditioſis Cathedralibus, anno M.DC.XXII. hoſpitium auxiliumque præbuiſſe, ægrè ferebant, (vt ludicra quædam, in faſciculum accuſationum contra ipſam congeſta huc non inſerã) pœna pecuniaria grauiſſima afflixere, vt viginti mille plus minus florenis negotium ciuitati ſteterit. Atque hæc murmurationis, atque indignationis contra Tuſcienſes cauſa nonnulla fuit. Nam reliquæ Communitates, quæ Unioni Zuzienſi quoque nomen ſuum dederant, impunè abiere.

Sed & Georgio Saluzio, primario eiuſdem Ciuitatis paſtori, qui Concionatoribus Tuſciæ verſantibus aduerſus,

actiones illorum vituperabat, non pepercere. Impingebant ipsi, quòd Simoni Rigetto, cauponi, inter colloquia familiaria, capitulationes Mediolanenses anno M. DC. XVII. propositas, si modò ita se habeant vti Maximilianus Morus asserat, & cumprimis, si propugnaculum Fontæum diruatur, non adeò sibi displicere, dixisset. Curiæ verò in Reuisione examinatus, idem testis dictum Salutium subiunxisse fassus est, Sua quidem sententia, cùm Hispano tutò fidere non possimus, fœderis tractationem se non suadere; sed cum omnibus bonam vicinitatem colere exhortari. Vitio eidem versum, quòd seditionem (anno M. DC. XVII.) Cathedralium fouisse, Rodolphumque Plantam laudasse, diceretur: ac cumprimis, quòd conuitiis Pastores nõnullos proscidisset. His denique gerræ non paucæ sine fundamento aspersæ fuere. Pœna ducentorum aureorum à Tribunali affectum, Pastores insuper ibi congregati à Synodi communione abstinere iubent. Auditores tamen ipsius, quibus, vt & magnæ vtriusque Religionis in Rhætia parti acceptus erat, in officio eum pergere iusserunt.

Antonius à Molina, Galliarum Regis Interpres, aureis mille, & quatuor annorum exilio; alter verò, Joannes Paulus, quingentis aureis, & biennali, exilio damnati fuere. His crimini datum inter alia, Quòd Protestantium Pastores aliquos conuitiis lacessiuissent: se in Comitia intrusissent: de rebus statum Reipublicæ concernentibus, cùm hoc solùm Triumuirorum officij & iuris sit, ad Communitates perscripsissent. Quibus alia quædam inania inserta: & Regij hi Ministri Hispanismi insimulati fuere. Atque his sententiis tùm prudentiores nonnulli commoti fuerunt: cùm facilè omnes coniicerent, Interpretes à nutu & mandatis Gallicorum Legatorum in omnibus suis actionibus dependisse: proindeque Christianissimi Regis patrocinium Ministris ipsius nunquam defuturum.

Per hos dies Tuscia transijt Antonius Donatus, Orator Venetus, ad Regem Magnæ Britanniæ destinatus: qui cùm pro more Iudices salutasset, inter alia, Vt cum iustitia etiam æquitatem & clementiam miscerent, eos exhortatus esse dicitur. Hispanizantes post, magnam auri vim ipsum Tu-

sciæ

sciæ elargitum esse, sparserunt: quod tamen commentum falsum fuit.

Interea verò Tuscienſium Judicum non omnium animi quieuere. Timebant namque sibi ab ira Principum. Deliberant itaque Regem Galliæ Christianissimum de actionibus Legatorum, Paschalij & Guefferij, edocere per litteras: quas signifero Ioanni Flyschio, Lugdunum primò ad Capitaneum Rodolphum à Schauenstein perferendas tradūt; cuius cōmendatitiis litteris adiutus, eas ad Regē ipsum Parisios postea easdem perferret. Cùm verò quotidie amicorum graues admonitiones de imminentibus patriæ periculis, nisi Regem Christianissimum solidissima informatione rerum omnium imbuerent, proponerentur; Colonellum Ioannem Gulerum à Weineck, cum amplissima instructione, in Gallias ablegauere. Hic instructionem publicis Trium Fœderum sigillis munitam, habebat, nomēque, tanquam à Senatu Rhætico missus, præ se ferebat. A Tuscienſibus enim solùm si ablegatus fuisset; vir sagacissimus, minùs in aula se gratum futurum fuisse, satis intellexit. Et reuera primo accessu propter casum Archipresbyteri, & Legatorum Apostolici, atque Hispanici exclamationes, omnia videbantur aduersa. Ast amicorum opera, è quibus Traianus Guiscardus, Orator Mantuanus, haud segnis fuit; se primò apud Carolum Albertum, Ducem Luinæum, insinuauit, qui tùm in summo pretio & gratia apud Regem erat. Post à Nicolao Brularto Sillerio, magno Galliæ Cancellario, ad Colloquium admissus: ac Carolus quoque Paschalius, Abbatis villa Parisios accersitus fuit, cuius iram mitigasse cumprimis operæpretium ductum. Tandem hac veluti via strata, ad Regis ipsius conspectum penetrauit, à quo benigno vultu exceptus, exquisita dexteritate, summaque, qua præditus est, eloquētia, Rempublicam, & res Rhæticas Maiestati Christianissimæ commendauit, atque tumultus omni meliori modo excusauit: denique Regi, eiusque Legatis, debita fœderis obsequia, & obseruantiam, spopondit.

Cui Rex placidissimè respondens, Rhætorum confœderatorum suorum protectionem se semper suscepturum, nec

eos vnquam deserturum affirmauit : si modò illi vicissim intra terminos modestiæ permanserint, fœderaque noua vitauerint.

Tandem Gulerus, Equitibus auratis ascriptus, & egregia torque donatus, sicque amplis honoribus auctus, domum redijt. Atq; Judices quidem Tusciæ adhuc congregati tum erant: ast non coràm his, sed Curiæ, coram Triumuiris, legationis suæ negotiũ exposuit. Illi verò nihilominùs ferendis sententiis adhucdum intenti, alios proscripsere, alios honoribus & dignitatibus priuauere, alios graui pecuniaria pœna affecere. Tandem, cùm quod agerent non haberent ampliùs; de controuersiis Engadinorum inferiorum priuatis iam decernere, leuissimis quibuscunque offensionibus iudicandis operam suam præstare, atque ciuilibus quoque causis dirimendis inhærere. Engadini, pro magistratu adipiscendo ibi nundinationes exercere dicebantur. Ast multi, qui Proscriptis saluum conductum ad instantiam Heluetiorum concessum volebant, voce actiua, & passiua, priuati fuere.

Die xxx. Nouembris, Dux Feriæ, Mediolani Gubernator, Rhætos, quo minùs subditi Ducatus Mediolani in exportatione lignorum, aliarumque rerum, lacum de Mezola (cuius possessionem regiam antiquam esse dicebat) ingrederentur, impedire nullo modo posse Programmate impresso diuulgauit. Occasio huiuscemodi fuit. Cùm præterito anno, mense Februario, Don Petrus de Toledo, Gubernator Mediolani, mercium omnium trãsitum inhibuisset; ego quoque, iussu Senatus Rhætici, vti Commissarius Clauennæ, permittere nolui, vt per lacum de Mezola (qui & Clauennensis lacus dicitur, atque vsq; ad Saxum de Olciasco Rhætorum est) ipsi ligna exportarent. Regis namq; Hispaniarũ iurisdictio in continenti ad locum vsque, Porta dictum, protenditur. Qui locus horæ vnius propemodum spatio supra dictum Saxum de Olciasco visitur. Ligna ergo quædam, cùm Regis Hispaniarum subditi per lacum Rhætorum deuehere vellent; à nostris excubitoribus in nostro lacu impediti fuere. Die vi. Januarij M.DC.XIX. venit ad dictum locum Coirus, Cameræ Mediolanensis Fiscalis, qui

locum

locum inſpexit, & teſtes Sorici examinauit: qui tamen ipſi non admodùm fauorabiles fuiſſe dicebantur.

Tribunal etiam Tuſcienſe cum dilabente anno ſolutum fuit. Jam ergo linguæ calamique iterum liberi. Paſquilli contra Tuſcienſes, & alios, circumuolitant: qui, oppoſitis ſcriptis iniuriam retaliant. Hincque animi omnium mutuis odiis magis ac magis exacerbantur.

Hoc eodem menſe Januario Comitia ordinaria, in quibus adminiſtrationis ratio ab Officialibus Vallistellinæ exacta, & querelæ ſubditorum auditæ, Curiæ celebrata fuere. Guefferius, Legatus Gallicus, feriis litteris ad Comitia datis, Rempublicam Rhæticam in magnis periculis verſari præfatus, promittit, ſi vocetur, in Rhætiam ſe rediturum, & de plurimis rebus commonefacturum.

Reuocat in memoriam legationem Guleri, in qua legatis, & miniſtris regijs debitus reſpectus promiſſus fuerit. Simul etiam flagitat, vt proceſſus & ſententiæ, contra Interpretes Regios latæ, aboleantur, nouaque fœdera Rhæti miſſa faciant. Et verò in his iiſdem Comitiis non Interpretes ſolùm Regij, ſed Capitaneus quoque Joannes de Georgiis, & Andreas Jennius, Conſul quondam Curienſis, non ſine difficultate, Tuſcienſibus nonnullis, qui in Senatu quoque erant, ſeſe opponentibus, obtinent, vt impetrandi ſalui conductus, & cauſæ dicendæ ergò, ad Communitates perſcribere poſſint.

Præterea Georgius Salutius, in his Comitijs die xx. Januarij, vti & deinceps à Synodo Filliſſuriana, & Congregatione Curienſi, denique à Tribunali quoque Trium Fœderum ſubſequente, menſe Julio Curiæ inſtituto, à Tuſcienſi ſententia, & cenſura, vti irritis, & nullis, abſolutus, atque in integrum reſtitutus eſt.

In Engadina inferiori factiones adhuc gliſcebant. Supra Vallem Taſnam Plantana factio potior habita: infra Vallem autem, alij ſuperiores fuere; qui primipilos nonnullos Plantanæ factionis carceribus manciparunt. Ex his quoq; Fortunatus à Planta fuit, Ardetienſis, qui cùm Daniele Planta, & aliis proſcriptis, commercium habuiſſe diceba-tur; ac proin, Tribunali Cenſorio ex ſuis hominibus Fetta-

ni in Engadina constituto, acriter torquebatur. Confessum esse dixere, se diu cum Jo. Victore Trauersio, Præfecto Castrensi, Danielis Plantæ sororio, egisse; & institisse, vt apud Principes Austriæ perficeret, ne Sal Rhætiæ importari posset. Adhæc, cum Daniele Planta se contulisse, ex quo audiuerit, Proscriptos, nisi coram Tribunali aliquo suam, vti dicebant, innocentiam asserere possent, velle Volturenos etiam in auxilium vocare, & concursum populi concitare. Captiui etiam erant Ministralis Andreas Pult, Eremusianus; Capitaneus Joannes Planta, Rodolphi frater; qui Susij, opera amicorũ, ex captiuitate euasit, & alij plures: multique satis graui pecuniarum mulcta puniti. Aliqui, Petrus, inquam, Leo, cum quibusdam suis sociis factionis Plantanæ, Communitates Trium Fœderum inuiserunt, auxilia remediaque rogantes. Senatus etiam Rhæticus, per litteras & Legatos eò missos, Engadinos ad moderationem exhortari cùm statuisset, non solùm operam lusit; sed & iam Legatorum aliqui postea conquesti sunt, se satis ignominiosis verbis exceptos fuisse.

Interpretes Regij, aliiq; numero pauci, potioribus Communitatum suffragijs saluumconductum obtinent: proindeque Interpretes se mense Martio, in fœdus Grisæum conferunt: Disertini, in Valle Leguntina, Valle Misaucina, & alibi, de iniuria sibi Tusciæ facta conquesti; in Venetizantes, & Protestantium aliquos Pastores, acerrimis verbis inuehuntur. Hicque proscriptorum aliorum fratres, agnati, propinqui, & amici in Rhætia plurimi, suam quoq; operam commodant. Guefferium etiam aliquid pecuniæ ad commouendum populum clam contribuisse, sparsum.

Primi ergo se ad arma parant Leguntini: cùm quibus erat Balthasar à Monte, proscripti Lucij frater. Die XXX. Aprilis, vtriusque Religionis libertatis conseruandæ, fœderum tuendorum, proscriptorum & grauatorum, vt coram iudicio neutrali causam suam dicere possint, iuuãdorum; denique scholæ, seu, gymnasij illius Sondriensis, quod tumultibus causam dare posset, abrogandi prætextu (vt in scripto erat) vsi, signum militare explicant. Hos mox sequũtur Disertinenses, Misauciniq; inferiores, cum Calanchensi-

chenſibus. Amiſij, quod horæ vnius itinere ſolùm Curia diſtat, in fœdere Griſæo, caſtrametantur. Indeq; ad Communitates reliquas Trium Fœderum datis litteris, barbarum Engadinorum inferiorum procedendi modum maximè exaggerant; petuntque, vt cum ſignis militaribus omnes conueniant, vt aliquod remedium labenti Reipublicæ quæratur.

In Valletellina interim, propter templum Boaltienſe, tumultus exortus eſt. Proteſtantes ibi in templo communi conciones ſuas habere, ſibiq; quinquaginta aureos annuos, virtute Decretorum Dominicalium; pro alendo paſtore, ex prouentibus communibus Communitatis, dari petebant. Catholici contra, conuentionem quandam inter ipſos & Proteſtantes, anno M.D.LXXXIX. initam, qua Proteſtantes iuribus & prætenſioni ſuæ, accepta certa pecuniæ ſumma, renuntiauerint, vrgebant. Quibus iterùm Proteſtantes replicabant, Nec ipſos Catholicos pactis illis ſtetiſſe: adeoq; alia Dominicalia ſcripta poſteriora, in ſui fauorem data, producebant. Atque à Senatu quidem Rhætico, Prætoribus Tirani, & Tilij, in mandatis datum, vt ſuam Proteſtantibus operam præſtarent, quò in communi templo conciones ſuas habere poſſent. Dies executioni XXVIII. Maij datus cùm eſſet; Prætores Boaltium ſe cum Prædicante contulere. Catholici contra, certiores facti, templum ab interiori parte obſerauere: aliqui etiam, potiſſimùm iuuenes, Tirano, & aliunde, armati aduenere. Prætores ergo, cùm nihil ſe efficere viderent, re infecta diſceſſere. Præterea Gaudentius Tackius, Bruſij Proteſtantium concionator, quòd iuuenes illos Tiranenſes rebelles vocitaſſe perhiberetur, ab eis, Bruſium aliquando tendens, fuſtibus malè tractatus fuit. Et poſt, die Dominica II. Junij, Delius Cattaneus, Tiranenſis, Proteſtantium vnus, in foro antè palatium Tirani, ob rixam ea de re ortam, à Bartholomæo, Preſbyteri Cornacchiæ naturali filio, Cologneta dicto, interfectus fuit.

Porrò ad Proſcriptorum nouos conatus vt reuertamur, Prægallia Supraportana, Zambræ patria, ipſa quoq; ſignum militare mouet, & Curiã verſus, vna cum Supraxenſi iuriſ-

dictione se confert: quibus alia etiam signa è vestigio accedunt. His diebus Curiæ conuentus Senatus Rhætici celebrabatur; ob id præcipuè, vt aliqua placandis rebus via inueniretur. Huic Jacobus Joderus à Casutto, iurisdictionis Foueanæ tum Ministralis, quoque aderat. Prægalli ergo Supraportani, præsertim agnati Zambræ, Jodero maximè infensi, dum Senatus in curia habetur, præ foribus ipsum obseruant, ipsum, vbi egrederetur, captiuum facturi. Post verò, quòd Senatus diutiùs quàm vellent sederet, ostium pulsant, hypocaustum ingrediuntur, & Joderum, qui se defendere volebat, capiunt. Senatores plerique facti atrocitate indignati, ius gentium, quo Oratores Communitatum fruuntur, in eo violatum esse conquesti: atque rumor vbique sparsus fuit.

Multa ergo signa militaria Rhætica (nam maior adhuc pars adhuc se domi continuerat, præsertim qui Venetizantes habebantur: hunc enim Hispanizantium tumultum vocabant) consurgunt. Grysæi, qui Amisij castrametati erant, iam ciuitatem Curiensem cum signis suis ingrediuntur. Engadini contra inferiores ad superiores veniunt: sed ab his modò obtinere non possunt, vt cum signo militari & ipsi proficiscantur; mittunt tamen aliquos delectos cum ampla authoritate.

Zuzij tum celebrata Synodus Protestantium ordinaria, in qua, censura peracta, Blasium Alexandrum, & Georgium Jenathium, ad semestre ab officij functione suspendere. Causa suspensionis, inter alia, præcipua, quòd æedituum Boaltij in prato, cùm fortè illac transirent, inuentum verberassent. Ast, quòd signa conuolarent, Synodus abrupta fuit.

Engadini inferiores, non rectà Curiam, sed in Vallem Tumiliascam, cum sociis proficiscuntur: iisque se etiam adiungunt Prægalli Subportani, & Furstenouiani. Inde Taminium in fœdus Grisæum progressi, Foueanos & alios Grisæos ibi inuenerunt. Deinceps Curiam versus, cùm intelligerent, Dauosianos & Rhetigoios etiam aduentare, profecti; atque in suburbio, ad portam superiorem castrametati sunt. Protestantes Grisæi, qui Taminij & Amisij manse-

manſerunt, illis perſuadere conati ſunt, vt ſecum manerent: ſed fruſtrà. Die Lunæ, quæ erat XVII. Junij, in diſponendis ſtationibus militum iam aliquid rumoris naſci videbatur. Sub veſperam, eadem die, Dauoſiani & Rhetigoij, & Maiævillani, etiam in ciuitatem venere. Horum aduentu Engadini parùm audaciores facti, ſtationes ſuas in ponte collocarunt. Curienſes, vti etiam Griſæi, & Cathedrales, qui in ciuitate erant, hoc eis permittere cùm nollent, rixa exorta eſt. Cæterùm iam aliqui deputati à ciuitate Curienſi, & à ſignis fœderis X Juriſdictionum, aliiſq; eò miſſi, vt vtriſque obſeruationem pacis patriæ *(land fried)* denuntiarent, iam ad portam ſuperiorem venerant: verùm ibi iam à verbis ad verbera deuentum. Quis primus; incertum. Nam modò huius partis vni; modò alterius, initium adſcribebant. Atque Engadini, quorum multi tamen ex factione Plantana erant, ideoque minùs feruidi, primo impetu illos qui in ponte erant, pedem aliquantùm referre cogunt.

Atque tum Griſæi Miſaucini, aliique, quorum præcipui ductores, Jacobus Boliel, Balthaſar à Monte, Jo. Simeon Florinus, Joannes Corajus, Antonius Schenardus, & Caſpar Molina, ſe totis viribus effundunt. Engadini recedunt; aliqui ad hoſpitia proxima; alij verſus monticulum: multi Amiſium ad Griſæos Proteſtantes ſe conferunt.

Griſæi inſequentes, domum Antonij Cazini, vbi aliqua pars Engadinenſium ſe aliquo modo etiam defendebat, ſcalis appoſitis conſcendunt. In hoc tumultu vulneratus in humero fuit Joachimus Florius, Flemienſis Griſæus. Ex Engadinis verò, interfectus aurifex quidam Germanus, quo tibicine vtebantur. Andreas Pitſenius, Lauinienſis, grauiter ſauciatus, non diu poſt ex vulneribus obijt. Alij præterea vulnerati fuere: qui tamen mox ſanati. Duo ſigna militaria Engadinorum in manus Griſæorum Miſaucienſium peruenerunt. Septuaginta circiter captiui facti; inter quos erant Jacob. Antonius Vulpius, cōcionator Proteſtantiū, Fettani; & Capitaneus Antonius Violādus; quos duos tubas ſeditionum vocabant. Rhetigoiorum duo ſigna, Cœnobianum, & Caſtrenſe, itidē in ſuburbio erant: ſed neutri parti ſe addi-

xerunt. Nec Prægalli Subportani, qui ad Saluatorem erant, & Furſtenouiani, ſe cum Engadinis miſcuere: ſed die ſequenti manè ſe Amiſium ad Foueanos contulere. Heluetiórum Catholicorum Legati (Proteſtantium, paucis ante diebus, cùm fruſtra Catholicos Griſæos, vt domum redirent, & res ſine armorum ſtrepitu componere permitterent, exhortati eſſent, ex Rhætia diſceſſerant) in Triclinium Canonicorum in aula epiſcopali aſcenderunt, & ſpectatores ex ſublimi loco huius velitationis fuerunt.

Mox, die ſequenti, deputati aliqui ex cohortibus conueniunt: tractatur de rebus cõponendis: dimittuntur captiui Engadini omnes, exceptis quatuordecim: ſtatuitur, vt codicilli fœderales (*bundsbrieff* vocant) iurentur: vti poſt die xx. Julij factum fuit. Altera poſt die articuli aliqui, vti moris eſt, concipiuntur: ex quibus præcipui: Obſeruatio libertatis vtriuſq; Religionis: Gymnaſij Sondrij abrogatio: litterarum fœderalium, & fœderum iam pactorum, obſeruatio: nouorum pangendorum fœderum pro tempore inhibitio: tribunalis neutralis, pro grauatis, conſtitutio, cum libero acceſſu & receſſu grauatorum. Sed & Senatus decernit, vt omnes captiui, data fideiuſſione, dimittantur. Ac proin, Jacobus Joderus dimiſſus fuit. Jacobus etiam Antonius Vulpius, iam dimittendus, cum Dauoſianis in hoſpitium ad inſigne hominis ſylueſtris iuerat, & facilè, ſi non prandium ſumpſiſſet, cum Mario Antonio Alba, alio Prædicante, euadere potuiſſet: ſed dum pranderet, campana pulſata, ſignum concurſus datum. Adfuere confeſtim Miſaucienſes, & alij, & Prædicantem ſibi dari popoſcere. Dauoſiani præ foribus ſuos ſtationarios habuere, & ſe ad vim vi repellendam præparauere, offerentes interim ſtare velle decreto communi Trium Fœderum. Ex Rhetigoiis autem pauci ſe loco mouere. Tandem, interuentu aliquorum, qui ſuos propinquos, & apud Dauoſianos, & apud oppugnatores, habebant, res ſic compoſita; vt Prædicans contumelioſè tractatus in carceres truderetur: qui tamen intrepidè, & patienter hoc tulit. Capitaneus Violandus iam ante in ergaſtulum (*Schelmenthurn*) detruſus fuerat.

Eadem

Eadem die Lunæ XVII. Junij, Octauianus Meius, Lucensis, septuagenarius, cælebs, Pastor Ecclesiæ Protestantium Clauennæ, placidam mortem in Domino obijt. Hebrææ, Græcæ, & Latinæ linguæ apprimè peritus; noua fœdera, & tribunalia ista censoria, quibus aliqui Prædicantes assistebant, semper auersatus est: pleraque, quæ postea in Rhætia acciderunt, vt ipsi etiam Catholici testes esse possunt, prædixit; tamen Rhætiam non penitùs perituram, affirmabat. Sæpiùs in concionibus inculcans hunc versum,

Casuram dicas, decipit illa canes.

Ante mortem, iteratis vicibus mihi, qui Commissariatu Clauennæ adhuc fungebar, Ecclesiam Dei, & patriæ libertatem, vnicè commendabat.

Jam Curiæ Judices, quorum Præses Georgius Gambserus, Prætor Curiensis, erat, consederant. Dauosiani autem, propter locum residentiæ tribunalis, protestantur, Tribunal Dauosium transferri petentes; vt quod sibi iure ordinis deberetur: & de his omnes Communitates informant. His non obstantibus, Curiæ processum. Ante omnia sibi processus, & scripta, à Tusciensibus cõsignari postularunt. Rodolphus Planta, & cæteri Proscripti, paulatim Curiam venere. Formati processus contra Blasium Alexandrum, & Georgium Jenatium. Denique indicia, vndique contra detentos, & contra Venetizantes, & præcipuè contra eos qui Tusciæ in honore fuerant, conquisita. Porrò Communitates X. Jurisdictionum Fœderis omnes, & aliquæ etiam ex Grisæis, & Cathedralibus, vota sua dederant, vt Tribunal Dauosium transferretur. Proinde Curia Dauosiani, & aliquæ aliæ Communitates, suos Jusdicentes reuocarunt. Ac fuere tum, qui pro bono pacis proponerent, Proscriptorum & reliquorum grauatorum causam, Curiæ cognosci; reliquorum, siqui Processus contra aliquos essent, Dauosij finiri debere; Proscriptique ad hoc consentire visi: sed captiuos Dauosium duci, Jusdicentes aliqui omninò concedere noluere. Timebant enim ne à proximis Engadinis sibi eriperentur.

Ad instantiam ergo Proscriptorum, multi Engadini citantur. Præterea, per Deputatos trium Fœderum ad Enga-

dinos miſſos, vt Fortunatum Plantam captiuum, alioſque Curiæ ſiſtant; in electioneque magiſtratus per vota legitima, nemine excluſo, procedant, poſtulatur. Atque Deputati iſti pagatim Engadinam Inferiorem circumeunt, pacificare animos quærunt, &, vt litteras fœderales iurent, eiſque obediant, exhortantur. Parum tamen proficiunt. Imò Sent. ſemel, tumultu nato, in periculo vitæ fuiſſe dicuntur. Communitates ergo ipſæ citantur. Sed hæ ſibi ſuos captiuos prius dimitti, ac ſigna militaria reſtitui, volunt. Tandem verò, poſt diuerſas tergiuerſationes, in quolibet alio loco potiùs, quàm Curiæ, comparere annuunt. Tribunal itaque Cicerium ad Quatuor-pagos migrat. Vbi illi quidem comparent; ſed, antequam litem vllam conteſtari velint, captiuos, & ſua ſigna militaria reſtituta cupiunt. Icircò Judices Curiam reuerſi, Engadinos Inferiores in quatuordecim mille florenos damnant: atque inſuper decernunt, vt ex quouis Conuentu magno ſexaginta viri, ad redigendos dictos Engadinos in ordinem, & exigendam obedientiam, in Engadinam mittantur. Aliquæ Communitates ſuum numerum eligunt, Curiamque mittunt; Diſertini, Leguntini, Laxienſes, & Miſaucienſes, ſua ſigna militaria ſemper Curiæ habebant.

Capitaneus Violandus mox à principio, poſtquam Planta Curiam venit, coram Tribunali conſtitutus, auctores tumultus anni proximi elapſi indicare iubetur. Ille verò facunda ſua lingua ſe mirificè excuſat. Tandem ad torturam condemnatus, hanc quoque tanta fortitudine ſuſtinuit, vt ne os quidem in eo actu aperuiſſe dicatur.

Contra Vulpium etiam coram Tribunali accuſatio inſtituta fuit: quem tamen non torſere. Planta inter alia, litteras dicti Vulpij produxiſſe fertur, quibus Vulpius Plantæ actiones, & quòd ſe Fœderi Veneto oppoſuiſſet, mirificè laudauerat. Definitiuam ſententiam contra illos nullam tulere; quamuis ſæpiùs pro expeditione inſtitiſſe dicantur.

Ilantij Ordinaria Comitia celebrata, vbi Officiales Vallistellinæ officiorum ſuorum adminiſtrationem expoſuere, atque appellationes ſubditorum auditæ fuere. Tribunal

Curienſe

Curienſe denuò proceſſus Tuſciæ formatos ſibi exhiberi inſtitit: atque Comitia quoque, vt conſignarentur, edixere. Sed tamen præſtitum hoc non fuit: Tuſcienſes aliqui Iudices eos abſcondiſſe dicebantur. Daniel Planta, & multi alij, Curiæ à Tribunali, nulla pœna impoſita, liberati fuere: ſed tantùm pro audientia aliquot aureos ſoluere. Inter alios, etiam Fabius à Præpoſitis, Zambræ filius, liberatus, & à Communitate ſua Orator ad Comitia Ilantina miſſus fuit. Proſcripti multos teſtes, qui antea Tuſciæ examinati erant, adduxere; quos Curiæ longè alio ſenſu, quàm in Protocollo Tuſcienſi ſcriptum eſſe dicebatur, depoſuiſſe ferunt. Hinc Tuſcienſes aliquos criminabantur, quaſi dicta aliquorum teſtium inuertiſſent.

Daniel Planta in Commiſſarium Clauennenſem electus, à Tribunali Curiæ confirmatur; & Ilantium, iuramentum præſtiturus, & litteras credentiales ibidem impetraturus, ſe conferre iubetur. Illuc cùm veniſſet, & iam iuramento obſtringendus eſſet; obſtaculo interpoſito, præpeditus fuit. Ibi namque in conuiuio dixiſſe perhibebatur, domum, & turrim patrui ſui iterùm reædificandas fore: quòd ſi minùs; domus etiam alias in Rhætia deſtructum iri. Hoc verò cùm ab eis, qui ipſi minùs amici erant, ita acciperetur, quaſi minatus eſſet; illi obtinuere, vt, donec ſe purgaſſet (nam ipſe ſe hoc modo locutum eſſe negabat) iuramentum & litteræ credentiales ei non darentur. Notum autem iam erat, Engadinos Inferiores item in armis, & Suſij caſtrametatos eſſe. His ipſis diebus Bartholomæus Lucius, dictus de *Vrſletta*, qui, menſe Junio antè, Engadinos duos, qui boues Danielis Plantæ ex alpeſtri ſtatione abducere volebant, in collimitiis Culturæ, quæ Auſtriacæ ditionis eſt, vnum, Tſchappa de Ardetio dictum, occiderat: alterum etiam ſauciauerat, Curiæ etiam liberatus fuit. Inde verò cùm in Engadinam, Cernetium, domum ſuam, profectus eſſet, ibiq; quodam die in agro (iam menſis Septembris erat) arare vellet: à Suſianis militibus captus, & catenis vinctus fuit. Atque iam tum ſpargebatur fama, Bartholomæum iſtum multa in caput Plantæ, & aliorum confeſſum; confeſſionem propria manu ſcriptam comprehendiſſe.

Rodolphus interim, & Pompeius, Plantæ, aliique proſcripti omnes, Curiæ non liberati ſolùm; ſed & dignitatibus ac honoribus reſtituti fuere. Rodolphus ſexcentis aureis audientiam redemit. Contra verò Blaſius Alexander ſolus, vt contumax, condemnatus, vt impunè vbique occîdi poſſet.

Porrò militibus illis, qui coërcendis Engadinis deſtinati erant (hi pauci numero fuere: nam multæ Communitates ſuos non miſerant: ex Decem Juriſdictionum Fœdere ſoli Maiævillani, Belfortēſes, & Coruantij ſuos adiunxere) duo ſigna militaria, alterum Griſæi, alterum Cathedralis fœderis inſignia præferens, parata; iiſq; Jo. Simeon de Florinis, & Stephanus Mugglius, Amiſenſis, & Lucius Scarpatectus, Supraſaxienſis (cuius Locumtenens Joannes Jennius Curienſis) Capitanei dati ſunt. Die XXII. Septembris Curia egreſſi, Aluum-nouum, ac Filliſurium vſque perueniunt. Engadini autem ſuperiores, & Vallismonaſterienſes (inferiores Engadini Dauoſium petebant; & Fortunatum Plantam iam liberum ſecum habebant) iam certiores facti, militibus Griſæis & Cathedralibus (qui Jo. Simeonem de Florinis, & Joannem à Marca in Engadinam ſuperiorem, vt ipſorum mentem cognoſcerent, miſerant) denuntiant, ne vlterius progrediantur: ſe enim nullo extero militi (ita illos vocabant) in regionem ſuam aditum dare velle. Sed & ſtatim Bergunium verſus, quò iam Griſæi aliqui appulerant, ſuos metitores hoſpitiorum mittunt, moxque cum ſignis ſubſequuntur. Illi ergo, admodum anxij, ne ab illis qui Dauoſij erant, & aduentantibus Engadinis, interciperentur, Curiam ſatis feſtinanter repetunt. Engadini autem ſuperiores, & Valliſmonaſterienſes, aſcitis Bergunienſibus, Filiſſuro die XXVIII. Septembris, quos mox etiam ſequuntur Prægalli inferiores, Dauoſium veniunt. Fama erat, aliquibus horum ſignorum motoribus ab Heluetio vno, Georgio Pebia dicto, qui in Engadina per aliquos dies ſe continuerat, aliquas ſuppeditatas fuiſſe pecunias. Dauoſiani Proceres populum ſuum domi libenter continuiſſent, & proinde etiam ad Engadinos ſuperiores, & Vallismonaſterienſes, exhortantes vt & ipſi ſe domi continerent, ſcripſerant. Has verò litteras cùm Fortunatus à Juvalta, Præ-

ſes En-

ſes Engadinæ Superioris, populo prælegiſſet; proſilijt quidam, cuius functio tamen militaris non erat, aſſeruítque, has litteras falſas eſſe: ſe ab homine ſuæ profeſſionis litteras habere, quibus venire iubeantur. Ad hunc modum Dauoſiani cum eis etiam proficiſci coacti: ac Rhetigoiam vna ingreſſi, totam quoque ad arma vocant. Cathedrales in Quatuor pagis: Decem Juriſdictionum homines plerique Malanſij conſederunt. Rodolphus Planta, & alij, Tuſciæ proſcripti, per montem Gonckelium, Ragazium petunt. Cathedrales, ſicuti & X. Juriſdictiones quoque, reliquas etiam Communitates, quæ loco nondum ſe mouerant, ad ſe vocant. Sic tādem Coruantij, & Scanauicenſes, eò etiam ſe conferunt. Capitaneum Benedictum Thomaſium, Coruantium, quem, in Hiſpaniſmi ſuſpicionem vocatum, impediiſſe aiebant, quò minùs illius Communitatis homines in tempore adfuerint; vti etiam Joannem Maſchuttum, Aluonouanum, qui Curiæ modò vnus ex Juſdicentibus fuerat, Rhetigoij in pago Cicerij cuſtodiæ dant: quos tamen poſtea Dauoſij tandem, cùm extra noxam eſſent, iterum dimittunt. Ex Fœdere Cathedrali, Furſtenouiani: & ex Griſæo poſt, Foueani, Flemiani, Tuſcienſes, Montani, Sexamnienſes, & Vallis Rhenani, etiam tandem ſe ad Quatuor pages conferunt: ibique, conſilio communicato, petunt à cæteris Griſæis, & Cathedralibus, qui Curiæ erant, vt captiuos dimittant, & ſigna militaria Engadinis reſtituant: ſimul etiam in Quatuor pagos veniant, vt de communi Reipublicæ ſalute vna deliberare poſſint.

Legatus Gallicus Gueſſerius Maiævillæ in anguſtiis tùm fuiſſe dicebatur. Nam aliquorum petulantium verba minacia ad ipſum referebantur, quòd, ſicuti Padauinus Legatus Venetus ex Rhætia abire coactus fuiſſet; ita modò & ipſi abeundum eſſet.

Gueſſerius ergo, atque Thomas à Schauenſtein L. B. ab Ehrenfels, Dominus in Haldenſtein, omni diligentia apud Curiæ congregatos inſtant, vt captiuos Engadinos dimittant, & ſigna militaria eis reſtituant: quod vtrumque factum. Dominus in Haldenſtein generalem amneſtiam, hoc eſt, omnium offenſionum abolitionem, & obliuionem; &, vt

factionarij Plantani, & Salicæi, per viginti aut triginta annos à Senatu Rhætico, & negotiis publicis, sine tamē derogatione honorum & dignitatum suarum, abstinerent, suadebat. Adhęc, media quoque alia pacificandi populum proposita. Ad quæ plurimi, tumultuum iam pertæsi, consentire videbantur. Petrus etiam Vicus, Legatus Venetus apud Protestantes Heluetios, per communem amicum Casparum Schmidt à Grueneck, cum Rodolpho Planta, qui nomine omnium Proscriptorum agebat, perfecerat, vt & hic in æquas leges concedere, & ad quietem se cōponere vellet. Jamque dies destinatus erat, quo Vicus, & Planta, in loco Kaltbrunna, qui in Comitatu Uznacensi est, paretque Suitianis & Glaronensibus, conuenire debebant. Interim in Rhetiam rediere Joannes à Porta, Concionator Protestantium Cicerij, qui proxima æstate, Curiensis tribunalis & militum, qui ipsum captum volebant, furori cedens, in Heluetiam concesserat: atque cum ipso quoque Caspar Bonorandus, Gruschij in Rhetigoia pastor. Hos aliquid subsidij pecuniarij attulisse ferebant. Adhæc aliquid frumenti, cuius pars tamen situ & mucore corrupta dicebatur, aliquibus signis militaribus distributum fuit. Adeoque omnis amica compositio concidit.

Conuentus omnium signorum in pratis Igensianis habitus; vbi pastores aliqui, qui Tusciæ iudicio astiterant, Tusciensibus nimirum gratiam, Curiensibus Judicibus inuidiam, conciliaturi, præcipuas epistolas Pompei, & aliorum, populo prælegunt; curantque, vt aliqui manum Pompei, quibus familiariter nota erat, dignoscant, fidemque de ea faciant.

Articuli iterum aliqui conduntur, eiusdem ferè argumenti cum Tusciensibus. Expresse hîc, inter alia, pensiones Principum prohibentur: vt nullius etiam Principis Legatus in Rhætia residere possit, cauetur. Ad hæc, omni biennio Tribunal Censorium vt habeatur, decernitur. Tandem, vt Judices & acta Tusciensia, & Curiensia, inter se conferantur; & per neutrale Judicium, Dauosij celebrandum, dijudicentur, statuitur. Processum autem Bartholomæi Ursletta, qui Cicerium captiuus ex Engadina ductus fuerat, ibi

Cicerij

Cicerij (nam Cicerij à constituto tribunali, cuius Præses Josephus Florinus erat, iam quæstioni subiectus fuerat) absoluere iubent. Et milites Curiæ congregatos, iam secundò ad se Cicerium, per nuncios, vt veniant; constitutos articulos acceptent; & suos Jusdicentes, vt reliquæ Communitates, ad Tribunal Ciceriannum mittant, exhortantur. Hi replicant, præterito mense Junio articulos aliquos Curiæ sancitos fuisse: nec se ita facilè ab eis recedere posse. Misaucienses tamen superiores per suos Deputatos se cum Cicerianis coniungunt.

Qui Cicerij fuere, deputatos aliquos ad Legatum Guefferium Maiævillam mittunt, ipsique, inter alia, indicant, Communitatibus fœdus Gallicum obseruare, pactisque stare, omninò propositum esse: si modò & erga se idem obseruetur. Cæterùm residentiam omnium Legatorum in Rhætia esse abrogatam. Ipse graui oratione conqueritur, de iniuriis anni præteriti, sibi & alteri Legato Paschalio, & consequenter etiam Regi ipsi, cuius mandata semper executi sint, illatis, publicando famosa illa scripta: quas tamen, amore Reipublicæ, omnes condonarit, hac spe ductus, fore, vt illi tandem ad pœnitentiæ seriæ sensum redituri, & rationi locum daturi sint. Nunc eos iterùm magis magísque furere, & contra tenorem fœderis, & litterarum Reuersalium, quibus expresse cautum, vt Legatus vnus Gallicus semper in Rhætia resideat, (hoc cùm subinde aliquibus obiiceretur, respondebant, Fauorem tantùm Rhætiæ fuisse præstitum, non legem datam: cui proin, accedente abusu, iterùm renuntiare possint) agere; iamque non Guefferium, sed Regis ipsius authoritatem, ac patrocinium, hac ratione pellere. Hoc scilicet vnicum desiderium Hispanorum esse, vt, Regis sui auctoritate, & ministris pulsis, deinde ipsi Rhætiam pro libitu deuorare possint. Deputati, ad quos verba faciebat, plerique linguæ Gallicæ, & Italicæ, imperiti erant. Petebat ergò, vt ex primoribus aliquos, quos nominabat, quantumuis sibi aduersos, ad se mitterent, vt de omni re clariùs eos edocere posset.

His diebus Hispani iussa dant Commissario apud Tresplebanos Larij lacus, vt die quarta Octobris, tribus naui-

bus armatis, quibus sexaginta milites impositi, in lacum de Mezola, seu Clauennensem, ascendat: qui, imperata faciens, ibidem excubitores duos Rhętorum, Gusmerium del Giro *della Casaccia*, & Andream Pampatum, ambos Nouatenses, in nauicula inuentos, captiuos abduxit. Ego, qui tùm Commissariatu Clauennæ adhuc præeram, sine mora, hanc Dominij Rhætici inuasionem, & violationem, ad superiores, Curiam, & Cicerium, scripto detuli: sed nihilo secius ipsi à cœptis non destitere.

Hoc ipso etiam tempore Andreas Enderlinus, Maiævillanus Præfectus, cùm ad prata illa, vbi populus conuenerat, equo vectus venisset, & aliqui, qui eum fortè conspicati erant, insidias ei tendere, ipsumque capere vellent; ipse, filiolo suo in equum assumpto, propè Maiævillam, Rhenum tranauit. Hæc cùm Legato Guefferio nuntiarentur; & ipse, scipione arrepto, pedestri itinere ad Rhenum contendit, nauigioq; transuectus, Ragazium appulit, post & per montem Gonckelium, die Jouis XXIV. Octobris, Curiam petijt, ibique milites ad constantiam exhortatus est: denique conuocari Comitia Trium Fœderum postulauit, coram quibus mentem suam aperire posset. Maior ergo numerus militum ex fœdere Grisæo, & Cathedrali, Curiam vocantur, & ponti Rychenouiæ præsidium imponitur. Jamque die sequenti Veneris Calanchenses, quibus deinde etiam se coniunxere inferiores Misaucienses, loco se mouerant: cumque in eo essent, vt superiores etiam Misaucinos secum traherent; hi refragati sunt: proinde Vallem non sunt egressi.

Qui Cicerij, & in vicinis locis erant, cùm illos, qui Curiæ erant, ad vota sua trahere totaliter non possent, se ad profectionem pararunt: fœderis Grisæi primarium Ducem, Christophorum à Montalta, seniorem; Cathedralis, Equitem Baptistam à Salis; Decem Jurisdictionum, Salomonem Buolium, creantes. Die Sabbathi XXV. Octobris, Malsansium (locus dimidia hora à ciuitate Curiensi distat) venerunt. Qui Curiæ erant, timebant, ne in fœdus Grisęum, tranato flumine Plessura, tenderent, & ita eos interciperent.

Aggeres ergo ibi, propè Rhenum, construere incipiunt.

Die

Die autem sequenti, qui erat Dominicus, Guefferius summo mane ex ciuitate Curiensi per montem Gonckelium, Ragazium, vnde venerat, reuersus est. Qui Malsansij erant, aliquos speculatum versus Plessuram emisere, vbi iam milites aliquot collocati erant, quibus, inter alios, præerant Michaël Finerus, & Joannes Vyssius, Capitanei ciuitatis Curiensis. Speculatores hi statim ad arma cùm clamassent, manipulatim omnes, nulla acie instructa, cursu ad Plessuram properauere. Aduersarij verò ipsorum, qui ad aggeres erant, cùm se viderent numero inferiores, satis celeri gradu loco cessere.

Laxiensis quidam in fæmore globo tormentario sauciatus, & verberibus malè tractatus, post aliquot dies, Curiæ mortem obiuit. Engadini aliqui, qui cum eis qui Curiæ erant, steterant, capti fuere, & statim iterum dimissi. Enitebantur aliqui, monticulum, qui Curiensi ciuitati imminet, occupare: sed ciues Curienses, & Suprasaxenses, quos ducebat Caspar Frischius, iam eum occupauerant, & machinis bellicis muniuerant, indeq; in prætereuntia signa, quæ Amisium versus per agros Curienses tendebant, indesinenter iaculabantur. Nemo autem (præter Joannem Kindt, Dauosianum, qui in ore, perfractis duobus dentibus, sauciatus) læsus fuit. Ex Curiensibus ciuibus in spina dorsi ictu sclopetti lethaliter sauciatus fuit, Petrus Vegerich, à Bernav, & quidem, vt creditur, imprudenter, à iuuene quodam Curiensi ex suis, qui post aliquot septimanas ex vulnere obijt. In plano Rheni aliqui Ortensteniani, qui Curiam ire volebant, in Engadinos inciderunt. Hi arma ipsis eripuere, & aliquos non sine verberibus domum remisere. Amisiani militi aduentanti obuiam iuere; misericordiamque implorantes, hospitia obtulere. Qui ad pontem Richenouiæ erant, quibus præerat Locumtenens Georgius Janella, veriti vt ab altera parte Rheni, quò iam aliqui tendebant, circumuenirentur, etiam domum remearunt. Jam Disertini, & Legũtini omnes, ad arma se parare dicebãtur. Proinde aliqua signa Flemium vsque, iis obstitura, se contulere. Verùm illi mox, mutata sententia, per nũtios suos se articulos acceptare, & cũ eis stare velle, se offerunt. Ciuitas

etiam Curiensis suos Amisium vsque misit, atque se articulis subscripturam, promisit. Milites illi, qui Curiæ fuerant, iam domum in fœdus Grisæum per aciem structam illorum, qui Amisij erant, ire cogebantur: à quibus scommatis excepti, interrogatique inter alia, Ubi cordas haberent, quibus boues ex Engadina ducere volebant? Denique illi omnes censuræ se subiecturos polliciti sunt. Lex tamen lata fuit, ne Uniuersitas, aut Communitas aliqua, in iudicium vocaretur.

Jam ergo per ciuitatem Curiensem Cicerium reuertuntur, atque in processu Bartholomæi Ursléttæ formando solliciti sunt. Planta, & Proscriptorum maior pars, cùm se non satis tutos Ragazij crederent, inde discesserunt, vti etiam, post aliquot dies, Guefferius; qui se Solodurum contulit. Porrò populus aliquos primores (Baptistam à Salis, & Hartmannum à Planta) quòd Venetismo addicti esse dicerentur, ad fideiussionem cogit. Populi enim vox erat, Se velle neutralitatem vbique obseruare. Cæterùm, ex improuiso Dauosium tendunt, & Præsidem Judicij ibi Joachimum Meisserum constituunt, Blasium Alexandrum à sententia Curiensi liberant: Jusdicentes, qui Curiæ fuerāt, puniunt: inter alios austerè & indignè tractant Georgium Gambserum, qui Præses Curiæ fuerat; vtpote, quem mille aureis mulctatum, tribus insuper annis à Senatu abstinere iubent: denique sigillum, quo liberationes Proscriptorum obsignauerat, confringunt. Adhæc, vnumquemque etiam Antonio Violando, quem vnum ex Procuratoribus fisci constituerunt, modò decem aureos pro expensis dare cogunt.

Cùm viderent, Tuscienses, quòd illi ingentem numerum proscripsissent, sibi magnam inuidiam conflasse; hi iam deliberauere, saluum conductum omnibus, octo solùm exceptis, concedere; vt, fide publica habita, ad iudicium liberi accedere, in iudicio causam suam dicere, denique ante sententiam etiam, si minus rebus suis fiderent, recedere possint. Octo autem illi, quos vocabant Capitales Proscriptos, hi fuere: Rodolphus, Pompeius, Daniel, Plantæ: Lucius à Monte, Jo. Antonius Gioërius, Antonius à Molina, Interpres Regius, (hunc accusabant, quòd tumultum Curiensem,

ſem,vt vocabant,ſuſcitaſſet: ſubiungebant proinde in ſententia ipſius, quòd ſi Rodolphum, vel Pompeium occideret, ea ratione liberationem obtineret) Fabius à Præpoſitis, & Joannes Leo, qui Plantæ neptem vxorem habebat. Hunc poſtremum inter alia accuſabant,quòd Andreæ Raſerio, Cernetiano, aliquas pecunias in caniſtro ſub pomis abſconditas, Ragazio Curiam deferendas, dederit. Aiebant autem, Gueſſerium quingentos aureos Plantanæ factioni donaſſe, vt populum commoueret. Bartholomæus Urſletta hunc Raſerium hac de re accuſauerat, & Dauoſij de eadem captiuus examinatus fuerat.

Cæterùm cùm maximè timerent, ne Gueſſerius apud Regem Chriſtianiſſimum ipſorum actiones exoſas redderet; deliberauere ſe per litteras apud Regem purgare. Quibus etiam ſignificant: ſe fœdus Gallicum obſeruare velle; petuntque iam beneficia, & penſiones Regias, in particulares ante diſtributas, in commune conferri: denique, grauamina,quæ prætendebant,contra Paſchalium,& Gueſſerium,diffuſè exponunt. Has ita clauſas tradunt capitaneo Dietegano de Hartmannis, adiunctis litteris commendatitiis ad Franciſcum Baſſompetram, generalem Heluetiorum,Rhætorumque in Gallia Colonellum,noſtræ nationis egregium fautorem: alias quinetiam addunt ad Capitaneum Rodolphum à Schavenſtein, qui tunc Pariſiis erat. Dieteganus, poſtquam paucos dies Tiguri fuiſſet, equis diſpoſitis,menſe Decembri, Pariſios vectus fuit. Verùm non ita tectè rem agere poſſunt,quin Gueſſerius omnia cognoſceret, qui ſtatim, nunquam intermiſſo itinere, Interpretem Molinam Pariſios mittit. Ac quamuis Dieteganus duobus antè diebus appuliſſet; quia tamen ſe veſtibus, & aliis,ad præſentationem litterarum præparauerat, à Molina anteuerſus fuit; qui nulla vſus mora, Conſilio Regio,& cumprimis Cancellario Sillerio, eiuſque filio, Marchioni de Piſieux,primario Secretario,inter alia expoſuit,Litteras haſce à turba cenſoria,Dauoſij congregata,prouenire. Iccircò die Sancti Stephani,poſt feſtum Natalitium, cùm ſex dies Pariſiis commoratus eſſet, ſummo mane è Tribunis capitalibus Regiis vnus,cum duobus ſatellitibus,ad hoſpi-

tium Dietegani missus; surgere eum cùm iussisset, iniunxit ipsi, vt cum nemine verba communicaret, & statim dispositis equis, regno, octo dierum præscripto termino, excederet. Adiuncti etiam fuere ipsi socij, & comites itineris. A fide dignis relatum est, Bassompetram, vti extraordinarium, si à Rege in Rhætiam missus fuisset, propter authoritatem singularem, qua apud hos populos pollet, facilè omnem tumultum compesciturum fuisse. Aiunt autem, Guefferium neutiquam, vt alius sibi hanc palmam præriperet, concedere voluisse, atq; exclamasse, Si quod amarum fuit, mihi deuorandum fuit; etiam si quid dulce se offerat, ego gustare volo. Sic Dieteganus inanis Dauosium redijt.

Hisce diebus Guefferius fasciculum litterarum ad Lucium Belinum, Consulem Curiensem, Soloduro misit, vt Communitatibus communicarentur. Litteræ huic inclusæ erant Regis Christianissimi, datæ die VII. Decembris, S. Germano in Laia, ad Præsides ordinarios, & Communitates Rhætiæ, scriptæ: quibus se ægrè ferre significabat, Legatos suos adeò indignè à Tribunalibus Rhætiæ tractatos fuisse, & alios bonos viros ab iisdem mulctatos. Scire ergo se cupere; Num totum corpus, hoc est, Uniuersitas, hunc iniustum, & barbarum procedēdi modum, approbet? Hoc enim si ita sit, iam dignitati & auctoritati suæ Regiæ conuenire, hanc iniuriam sibi factam contra Rempublicam Rhæticam vindicare. Præterea, Guefferius, in litteris suis conqueritur de iniuriis in genere, & sibi, & interpretibus, factis: libellos famosos (ita nimirum vocabat scripta, quæ Tusciæ, Cicerij & Dauosij inuulgata fuerant) reuocari postulat: additque, Regem satis causæ habere, beneficia collata in Rhætos repetendi: denique, Communitatibus & personis particularibus (si qui sint, qui se huic iniustitiæ opponere, & capita, auctoresque seditionum, qui omnibus noti sint, capere, & debita pœna afficere velint) promptum Regis sui auxilium promittit. Calanchenses, & aliqui ex Vicariatu inferiori Misaucino, adhuc nonnihil negotij Congregationi Dauosianæ facessebant: (Disertini & Leguntini tardè quoque suos Jusdicentes Dauosium misere) Decretum ergo fuit, vt in Valle Misaucina litterarum fœderalium

deralium seruandarum iuramentũ ab illis exigeretur. Hoc verò quũ facere plurimi recusarent; multoties eò deputati missi fuere. Post multa tandem, potioribus suffragiis, vt aiebant, Vicariatus inferior Misaucinæ Vallis ipse quoq; Jusdicentem Dauosium misit: aliis nihilominùs contra protestantibus. Calanchenses omninò mittere recusauere.

His diebus etiam litteræ à Friderico Principe Electore Palatino, qui Bohemiæ Rex electus fuerat, ad Rhæticum Magistratum scriptæ, Dauosij redditæ fuere. Harum argumentum fuisse perhibent: Expositio breuis oblati, & accepti Regni; cùm exhortatione annexa, ne cui transitum Rhæti contra ipsum concedant: denique, beneuolentiæ sponsione subiuncta. Jusdicentes Dauosiani (Communitatibus enim nihil significatum fuit) respõsione data, regnum illi gratulantur, atque transitus in Rhætia extero militi occlusos esse significant. Càsparus Bonorandus, de quo ante mentionem fecimus, has litteras clausas nactus, socium itineris sibi asciuit Bonauenturam Toutschium Hi in itinere Joachimum Ernestum, Principem Brãdeburgicum Onolsbachensem, Rotenburgi ad Tuberum conueniunt, atque pecunias aliquas ab Unione Protestantium emungunt. Toutschius redit: Bonorandus Pragam vsque excurrit, vbi Fridericum, eiusque Consiliarios magnis & futilibus promissis onerasse dicitur. Friderico etiam Baroni à Tieffenbach persuasisse fertur, vt ad thermas Fabarianas veniret.

Robertus Mironius, Regis Gallorum ad Heluetios Legatus, in Comitiis publicis Badæ, anno M. DC. XX. mense Februario, cùm per litteras, tùm per Secretarium suum, Senatui Heluetico, inter alia, significat, Esse aliquos Cantones Helueticos, qui ad illegitimum & barbarum Rhæticorum Censoriorum Judiciorum modum, non solùm conniueant; sed etiam faciendo mala officia (hac phrasi vtitur ipse) ea foueant: inde euenturum, vt Respublica Rhætica inuasiones aliquando perpetiatur.

Interim à primoribus, qui magna in authoritate apud Tribunal Dauosianum erant, via quærebatur informandi Regem Christianissimum de actionibus Legatorum suorum. Itaque Pastorem, ex iunioribus vnum, in Heluetiam,

N

& Geneuam vſque mittunt, qui Tribunos Equitum, (Mareſchallos vocant) Bullionæum, & Diguierium de re tota edoceat, vt animum Regis illi mitigarent. Sed Geneuæ ne vlteriùs progrederetur fuit perſuaſus. Interim multis etiam Heluetiis primoribus Proteſtantibus proceſſus hi auſteri Judiciorum non per omnia probabantur.

His diebus, authore incerto, ſcriptum publicatum fuit, cui titulus erat: Rationes, quibus Reſpublica Rhætica mota, porrò nulli exterorum Principum Legato in Rhætia ordinariam reſidentiam permittere decreuit. Hoc verò ſcripto multa audacter ſatis, atque imprudenter, prolata fuere. Actiones Paſchalij poſtremæ, Gueſſerij, Molinæ, Plantæ, Joannis Georgij, exagitatæ: Julius della Torre, Preſbyter, & homo ſeditioſus, vocatus. Additum; Rhæticam Rempublicam ſeditioſos homines, quoad ij in ſeditione pergunt, punire, & rebelles, proditoreſque patriæ, nunquam ſine ſanguine reſtituere velle. Regem Galliæ, ſeu eius Legatos, beneficia Rhætis exhibita repetere; Rhætos viciſſim vitam, & ſanguinem tot millium ſuorum ciuium pro Corona Gallica fortiter pugnantium, effuſum repoſcere. Nec Myronium, nec Gueſſerium, nec Caſatum, Rempublicam Rhæticam impedituros, quò minùs fœdera liberè inire poſſit. Atque niſi iſti Legati ab his minis deſiſtant, ſcire hos volunt: Rhætos rebus ſuis Proſpecturos eo modo, prout æquitas laudabilis, & heroica virtus antiquiſſimæ gentis Rhæticæ requirat. Jam tum Proſcripti publicè minari dicebantur, ſe huic ſcripto ſatisfacere, & cum ſanguine patriæ reſtitui velle: quamuis iam pridem, vt ſupra diximus, Mediolani cruenta cõſilia eos iniuiſſe fama haud dubia fuiſſet. Julius etiam Turrianus dixiſſe fertur; Se velle, vt Prædicantes, & authores huius ſcripti experiãtur, cùm ſe ſeditioſum vocitent, num etiã aliquid mouere poſſit. Tribunal Dauoſianũ ſatellites ſuos emittebat, vt, ſi fieri poſſet, aliquẽ ex octo Proſcriptis principalibus interciperent. Accidit autem menſe Nouembri, Joannem Corajum, Laxienſem, Maiævilla noctu tendere. (Iſte accuſatus fuerat, quòd pecunias aliquas, dum cenſura Curiæ eſſet, à Planta acce-piſſet.) Duo ergo Rhetigoij, Ambroſius Mauritius, & Jaco-

bus

bus Suprasaxerus, non procul à pago Falisco eum capiunt; cumque equo eum imponerent, scloppetto minori quod absconditum ipse habebat, Iacobum transuerberat. Et, cùm strictiùs iam ligatus simularet caligas sibi decidere, pugione alterum quoque confodit, atque sic euasit.

Bartholomæus Ursletta Dauosij iterùm quæstioni subiectus, dum de duorum fratrum Plantarum machinationibus loquebatur, Jacobum quoque Robustellum, cum sociis suis, contra Rempublicam Rhæticam machinari subdidit: specialitates tamen exponere nesciuit. Ipse verò, cùm duo etiam homicidia, vnum ante aliquot annos Damalij in Vennonibus, alterum æstate præterita, in loco Cultura, commisisset; die XXV. Decembris, Dauosij decollatus fuit. Eodemque die supplicio subiectus fuit Dauosij Josephus Hugo, alias Lucius dictus, Engadinus. Hic Tirani captus, & Dauosium deductus fuit. Capitaneo Joanni Plantæ diu seruierat: proinde putabant, illum aliquid de huius secretis actionibus scire. Exclamabant multi, Rodolphum Plantam multos ex illis, quos rota confringi curauerat, ingenti tormentorum cruciatu, ad confessionem huiuscemodi coëgisse: quinimò aliquos vanis imaginationibus & præstigiis fuisse deceptos, prout etiam in confessionibus sagarum fieri contingat; ac de corpore delicti (vt Jureconsulti loquuntur) neutiquam constitisse. Et verò Josephus iste se innocentissimum venditans, diu grauem torturam in negatiua sustinuit, vt iam proximus liberationi esset. Cæterùm Dauosij equiso quidam, Joannes Tæmlius erat, qui testabatur se in ædibus istius Josephi ante aliquot annos cum Prægallo quodam ex longinquis regionibus adueniente cœnasse, atque postera die pileum Prægalli illius in hypocausto suspensum vidisse; atque cùm hypocaustum ipsum, tùm culcitram, in loco abiecto inuentam, sanguine conspersa fuisse. Huic commissus & quęstioni iterum subiectus, Josephus, triginta septem latrocinia, & homicidia, cum sociis, perpetrasse confessus est. Capitaneum Joannem Plantam planè purgauit.

Mense Januario M. DC. XX. Dauosij Comitia habita, Delegatis Communitatum super litteris Regiis, & de aliis e-

tiam rebus ibidem deliberantibus. Litteræ tum ad Rempublicam Venetam quoque exaratæ, atque postulatum, vt Rhætos, qui illi militabant, dimitteret: neutralitatem namque erga omnes, vti aiebant, obseruare constituerant.

His diebus etiam Bergunio Dauosium captiuus ductus fuit Balthasar Schalckettus, Rodolphi Plantæ ex sorore nepos: in quem quantumuis acriter tormentis quæsitum fuisset, nihil tamen, quod alicuius momenti esset, confessus fuit; præterquàm, quòd Planta pecunias quasdam exposuerit. Pœna aureorum mille dimissus fuit. Josephus à Capaulis, ab emissis satellitibus ad Pontem Inferiorem Rheni captus, & Malansium deductus, cùm saluum conductum in scriptis haberet, iterum dimissus fuit. Ad citationem verò cùm non compareret, iterum in quinque mille florenos condemnatus, & omni dignitate priuatus fuit. Criminatio præcipua, Quòd Curiæ comparuerit, & seditionem promouerit. Eques Georgius de Georgiis, habito saluo conductu, comparuit; sed cùm resciuisset se ad torturam condemnatum, Ragazium profectus est, & se cum cæteris Proscriptis coniunxit. Pœna sex mille aureorum ipsi imposita quidem; sed à nemine persoluta fuit. Sed & multi alij variè pecuniis mulctati. Ciues quinetiam Curienses aliquammulti, ob verba cumprimis seditiosa, & contumeliosa, in multos prolata, vti aiebant, haud exigua pecuniarum summa mulctati fuere. Georgium Saluzium concionatorem in ducentos aureos damnant, quòd apertè dixisset, Aliquos Pastores patriam prodituros. Ille autem contra aiebat, Se non ita locutum esse, sed dixisse, Ego nullos Proditores scio; sed timeo, ne aliqui Pastores, suis extra functionem actionibus, nos patria libertate euertant.

Mense Decembri, Gallus, & Dieteganus à Salis, fratres, Stephanus Tys, & Uldericus Rosinus, Rhæti, à Maximiliano, Bauariæ Duce &c. militiæ capitanei nominati, militem tectè in Rhætia conscripsere. Capitali ergo pœna omnibus & singulis Rhætis prohibitum, ne in militiam, qualiscumque illa sit, sine permissione publica, proficiscerentur.

Jacobus Robustellus, Capitaneus Joannes Guizardus, Doctor Franciscus Venosta, Actius Besta, aliique, in Dominium Venetum, Vallem nempe Camonicam, se contule-

runt. Verùm, cùm deinde ibi Jo. Baptista Schenardus caperetur; in Vallem Solis, Termadium, ditionis Tridentinæ, secessere. Deinceps Robustellus cum Guizardo, Domasium ad Larium lacum profectus, ibi vsque ad exitum annualis banni substitit, indeque postmodùm in Volturenam rediit. Interim, parario Jo. Maria Parauicino Ardennensi, cum Julio Turriano, & aliis, tractarunt. Robustellus ædes suas Grossubri nouis propylæis muniuit, ac facinorosissimos quosque homines ex ditione Veneta, & Mediolanensi, in domum recepit. Iterùm isti citati fuere: & quidem, non solùm processu Bartholomæi Urslettæ, sed etiam relatione cuiusdam Engadini Judices permouente. Engadinus enim iste sartoriam cùm in Italia exercuisset, domumque iam rediisset; post deposuit, Se Curteni, in Ville Camonica, ex ore Robustelli, & Doctoris Francisci Venostæ, audiuisse, Ipsos certò putasse, Regem Hispaniæ Vallemtellinam inuasurum: hoc verò cùm factum non sit, domum ipsos redire velle. Illi infitiando, vel sanè, quòd per iocum fortè hæc dixissent; se excusant: ast personaliter comparere nolunt.

Præterea Judices ijdem, satellitibus quibusdam in Volturenam missis, captiuum faciunt Mazij Doctorem Vincentium Venostam, Robustello perquam familiarem: verùm incuria satellitum, perfracta fornace, ex hypocausto, vbi detinebatur, euasit. Actium quoque Bestam Sondrij prehenderant. Verumtamen Jo. Trauersius, auunculus, qui tùm vicemgerens Gubernatoris Vallistellinæ erat, se fideiussorem pro eo statuit; prætendens, terminum comparitionis ipsi datum nondum exiuisse. Postea Dauosij Actius comparuit; vbi nec accusatus, nec condemnatus, nec absolutus; sed processus dilatus fuit. Robustello denuò pœnam septingentorum aureorum imponunt. Doctorem Antonium Mariam Parauicinum, Ardennensem, antè Tusciæ proscriptum, modò tantùm in trecentos aureos condemnant. Et ita horum animos lenitate quadam vincere velle sibi persuadebant. Sed parum profectum. Nam Tirani facinorosi quidam, inter quos quatuor isti, vilissimæ conditionis homines, præcipui erant, Bartholomæus de Campo, Joannes Brantus, dictus Chitsch; Joannes Petrus de Federicis, del Placido dictus; & Bartholomæus ille, dictus Colo-

gneta; quibus se post adiunxerunt Jacobus, & Flaminius, fratres, filij Doctoris Camilli Venostæ, N. Alphonsi Quadrij filius, & Joannes, filius Amadæi Bossij, Tiranensis, omnes publico programmate proscripti: liberè nihilominùs per oppidum Tiranum circumambulabant. Cùm Prætor Joannes à Capaulis eos die XXII. Junij, anno M. DC. XIX. in vincula coniicere tentaret, interfecere Dominigettum Laurenzinum, Pesclauiensem, vnum ex famulis Prætoris; & in monte Aprica, Conradum Suizerum, dictum, Brusiensem. Prætoris etiam filio, Rigetto, & Cancellario Michaëli Lazerono, aliisque Protestantibus, mortem interminati sunt. Cùm Prætorio proximi aliquando fuissent; Prætor per sonum campanæ populum ad arma capienda vocari curauit: ast, præter Capitaneum militiæ Joannem Jacobum Homodeum, tresque alios, ex Cathedralicis nemo adfuit. Prætor ergo ad sui, & Prætorij custodiam, satellites aliquos à Tribus Fœderibus petere coactus fuit. Atque viginti quinque ei missi fuere. Verùm cum Tertiarium superius has expensas soluere deberet; pecuniæ non admodum promptæ erant. Satellites proin, exeunte mense Maio, domum remissi fuere.

Antea Andreas Enderlinus, Prætor Tiliensis, iam aliquos Boaltienses, atque inter hos Syndicos Ecclesiæ, & complices tumultus, de quo ante diximus, carceri mancipauerat. Sed cùm res esset magni momenti, in Vallemtellinam propter hanc, & alias causas missi fuere sex Commissarij, vt Prætoribus assisterent, & Decretorum Dominicalium, vt vocant, executionem vrgerēt; videlicet, Joachimus à Montalta, Nicolaus Schennius, Doctor Joannes Baptista à Salis, Jacobus Ruinella, Salomon Buolius, & Dieteganus de Hartmannis. Duo ex Syndicis, vti etiam post Claudius Gattus, qui maiorem culpam Horatio Platto iam mortuo adscribebat, quæstioni subiecti fuere: qui, inter alia, confessi dicebantur; Quòd Boaltij, si tunc temporis Protestantes concionem instituissent, propositum sibi fuerit, non solùm concionatorem, & auditores illius loci, verùm etiam ipsos Prætores, trucidare.

Jam tempus Quadragesimæ erat, quo in Valletellina, & Bor-

Bormij, Capuzini, aliique peregrini Monachi conciona-
bantur: quod tamen Decretis Dominicalibus aduerſaba-
tur. Rhætis enim, horumque ſubditis (vti etiam Heluetiis,
eorumque ſubditis) etſi Monachi eſſent, ſi modò de bene
viuendo (vt loquuntur) ſecundùm formam antiquorum
Decretorum fideiuberent, ibi habitare & concionari non
prohibebatur. Nam Anno M.D.XXXI. Dionyſius Mona-
chus Dominicanus exterus, in occupatione Morbenij con-
tra Rhætos, cum Jo. Jacobo Mediceo conſpirauerat. Sic
alij diuerſis temporibus tumultus excitarunt. Præterea,
circa promulgationem Iubilæorum, & Indulgentiarum, pe-
tebatur ſolùm; vt verba illa (Pro extirpatione hæreſeon)
aut omitterentur, aut Monachi illi declararent, ſe Prote-
ſtantes ſub hoc nomine non comprehendere: non enim
æquum eſſe, vt ſubditi pro extirpatione Principis ſui orẽt:
cùm maior pars Rhætorum Proteſtantium Religionem
profiteatur. Juſſi ergo ſunt Capuzini diſcedere; præter-
quàm in Medio Tertiario, vbi permanſerunt. Catholici
Voltureni hoc ægerrimè tulerunt: ideoq; conſilium Vallis
celebrarunt. Deputati, qui Communitates Trium Fœde-
rum propter hoc, & alia grauamina, inuiſerent & informa-
rent. Hi adiere Triumuiros, vt ſecundùm ordinem Refor-
mationis veniam ab eis impetrarent adeundi Communita-
tes. Triumuiri eis veniam denegare non voluerunt; ſed
admonuerunt, vt hoc etiam Tribunali Cenſorio ſignifica-
rent. Doctor Joannes Baptiſta Marinonus, qui comparuit,
conqueſtus eſt, ſe minùs comiter verbis exceptum fuiſſe.
Contra verò Cenſores affirmarunt, ſe & ipſum, & alios, be-
nignis verbis ad obſeruationem Decretorum Dominica-
lium, atque vt à ſeditionibus commouendis abſtinerent,
exhortatos fuiſſe. In cauſa Boaltienſi ordinatum fuit à
Commiſſariis, vt expenſis Communitatis templum Prote-
ſtantibus extrueretur, atque inſuper quadringenti aurei
pro reliquis omnibus expenſis factis ſoluerentur.

Authoritas Tribunalis Cenſorij Dauoſij, iam apud mul-
tos vileſcebat. Calancheſes, & aliqui ex Vicariatu infe-
riori Miſaucino, ad iudicium citati, irriſoriè reſpõdebant:
ac quantumuis in magnam pecuniæ ſummam damnati eſ-

ſent; nemo tamen illuc ad exigendam illam ſe conferebat. In quodam conuentu Communitatis, aliquos, quos pro Venetizantibus habebant, grauiter ſauciauere. Tandem ex fœdere excluſi fuere. Proſcripti aliqui ſe Caſtilioni in proximo Comitatu Biltionenſi continuere, & animum ſuis auxere.

Hoc tempore, cùm, poſt feſtum Paſchatis Reſurrectionis, Prædicantes Voltureni Cōgregationem ſuam ordinariam, quam ante Synodum ſemper habere ſolent, Tirani celebraſſent; ſcelerati illi Juuenes Tiranenſes, de quibus mentionem ſupra fecimus, illos non procul à ponte Treſendæ, qui infra Tilium eſt, exſpectarunt, vt eos trucidarent. Sed cùm admoniti fuiſſent, comitem habuerunt Prætorem Tirani, & alios, atque per aliam viam domum reuerſi ſunt.

Quotidie interim ab amicis in Rhætiam nuntij & ſignificationes perferebātur, inter quas hæc etiam erat; Fabium à Præpoſitis Mediolani pecunias, & militem ſollicitè procurare, ac frequenter cum Julio Turriano eſſe, qui cum Chriſtophoro à Carchano, de habendis aliquibus facinoroſis hominibus tractauerit: ac certum eſſe, ipſis eſſe decretum, hæreticos (ita vocant Proteſtantes) vna die, quam aiebant fuiſſe nominatam feſtum Joannis Baptiſtæ, menſe Iunio, in Valletellina occidere. Joannes Jacobus Goſvilerus, ciuis Tigurinus, ad Jo. Baptiſtam Botagiſium, Clauennenſem, litteras (quas ego ipſe legi) ſcribens, ſignificat; Jo. Henricum Holzhalbium, Conſulem Tigurinum, ſibi indicaſſe, verendum, ne laniena atrox contra Proteſtantes in Valletellina, & Clauennæ, tractetur. Proinde ipſum, vti Proteſtantem, admonet, vt ſibi prouideat, & reliquos etiam certiores faciat. Hæ litteræ ſtatim quoque ad Tribunal Cenſorium Dauoſium miſſæ fuere. Quinimò iam tam crudelis conſilij fama increbuerat, vt ne infimæ quidem conditionis homines ea fugeret; mendicis, pueris, ancillis (illa cumprimis, quæ Mediolani in ædibus Senatoris Papirij Cattanei nutricem egerat) hac de re nuntiantibus.

Sub hoc tempus, Director, & Conſiliarij Ænipontani, nomine Imperatoris Ferdinandi, & Archiducis Leopoldi, à Senatu Rhætico petunt ſibi, vigore fœderis hæreditarij, tran-

trāſitum dari, per Rhætiam tranſuehendi quantitatem pulueris tormentarij, aliarumq; rerum bellicarum, quas aliqui Principes Italiæ Imperatori ſubminiſtrauere. Res ad Communitates defertur; quarum aliquæ reſpondent, Æquum etiam eſſe, vt Auſtriaci Principes, vigore eiuſdem fœderis, nullis proſcriptis (vti Plantæ, & ſociis, permittebant) domicilium in dominiis ſuis concedant: aliæ permiſere. Sed omnium vota ante lanienam Volturenenſem dicuntur non fuiſſe collecta.

Proſcripti Rhæti interim ſolliciti in rebus ſuis vrgendis erant. Uraniæ in Heluetiis, vbi Alphonſus Caſatus erat, aliqui conuenerunt. Ibi frequens inter interpretem Molinam, qui nomine Guefferij tractare dicebatur, Maximilianum Morum, & Pompeium Plantam, colloquium erat. Concluſio, prout fertur, huiuſcemodi; Ut milite aliquo conducto, cùm iis in Rhætia ſe coniungerent, qui ſuarum partium erant, atque per diuerſa itinera Curiæ conuenirent, & Tribunal Cenſorium contra aduerſarios inſtituerent. Molina, cum ſuis, per Miſaucum; Planta, per Engadinam, Curiam venirent.

Pompeius etiam in Alſatia cum Archiduce Leopoldo diu multumque tractauit. Capitaneus militiæ nominatus Jo. Jacobus Steigerus, Uranienſis, Heluetius; qui iam ante etiam Hiſpanis militauerat. Hic in Vallem Ænanam, Pfontium, & Oenotrium verſus venit; cumque iam in dominio Veneto Legio Leuenſteniana dimitteretur, & ex his multi per Tridentum iter tenerent; quos potuit Steigerus per Locumtenentem ſuum conduxit. Adhæc, centum & quinquaginta ex Ducatu Mediolanenſi, plerique banniti, ſub Adiuuis duobus, Raina & Gallo, à Fabio eò ducti fuerunt. Excedebant omnes numerum quingentorum. Engadini inferiores, cùm iam milites hi finibus ſuis proximi eſſent; deputatos aliquos ad Præfectos Auſtriacos miſere, vt reſcire poſſent, quæ ipſorum eſſet mens, & conſilium: qui reſpondebant, Hos milites nullam aliam ob cauſam eò loci detineri, quàm vt ruſticis loco pœnæ eſſent; vtpote, qui impunè, poſt mortem Maximiliani Archiducis, multos ceruos occidiſſent: mox autem in Bohemiam deductum iri.

Cæterùm Principem, ſeque, fœdus hæreditarium obſeruare velle.

Interpres Molina Soloduro, non ſine pecuniis, vt ferebatur, Caſtilionum venit: indeque iam apertè cum Lucio à Monte, Jo. Antonio Gioerio, & Georgio de Georgiis, Vallem Miſaucinam inferiorem ingreſſus eſt: vbi contra iudicia Cenſoria, contraque Venetizantes, & Concionatores aliquos, multa dixere. Tractatum etiam fuiſſe dicebatur, de Equite Hercule à Salis captiuo Clauenna Miſaucum ducendo. Robuſtellus Meſij, in Comitatu Clauennæ, clàm cum Franciſco Piperello, Capitaneo militiæ, & Hieronymo Parauicino, Cancellario officij, contulerat. Pompeius Planta, cum Fabio à Præpoſitis, vt etiam ſuos amicos, quos in Rhætia habebant, commodiùs, aut per litteras, aut coràm, ſecretò compellare poſſent, Ragazium in confinia venere: indeque, die xxv. Junij, litteras Italico ſermone conceptas ad illos, qui in Comitatu Biltionenſi erant, exararunt. Quarum argumentum primarium erat, Se & ſuos, ex parte ſua, omnia habere parata; videant & ipſi, vt ea, ad quæ ex pacto tenentur, in promptu ſint. Se cùm Capitaneo Joanne Georgio Veſenij in Heluetia collocutos, qui etiam boni animi ſit. Aſſaſſinos (latrones) iam rebus ſuis in Rhætia timere, & præſidium Vallitellinæ, ſub ſpecie, quòd magnus numerus Hiſpanorum in confiniis ſit, obtrudere velle: ſed hoc ad ſe tutandum Venetizantes ſollicitare. Admonent eos, vt ſumma diligentia tranſitus omnes cuſtodiant, nequis elabi poſſit. Cumque denuò, vt ex parte ipſorum adimplerent adimplenda hortati eſſent; proteſtatione contra eos de omni mora, & culpa ſiniſtri euentus, concluſere; exoptantes vltimò, vt ſe inuicem loco deſtinato magno cum gaudio videre poſſint. Ragazio Landeckum in Vallem Ænanam profecti ſunt. Porrò his litteris adiunctæ erant aliæ Interpretis Regij, Ioannis Pauli, ad Interpretem Molinam, cifferis, vt vocant, aliquibus intermixtæ; quæ tamen pleraque apertè legi poterant. Scribebat, Bonorandum auxiliis Regis Boemiæ, atque Unionis Proteſtantium, milites Præſidiarios in Valletellina ſuſtentare promittere: rem fictam eſſe, quòd multitudo militum in fortalitio Fon-

tano

tano esse, spargatur: Regem Galliæ, quando bonos Rhætos viderit rem seriò tractare, etiam suam partem adimpleturum. His deinde res quasdam familiares, quæ priuata tantùm ipsorum concernebant, subiiciebat. Hæ epistolæ à Misaucienſibus quibusdam superioribus interceptæ, statim Dauosium ad Judicium Censorium delatæ fuere. Hi attoniti stetere. Aliqui tamen ex Proceribus (vti Jo. Petrus Guſerus, Præses Dauosianus electus) vehementissimè, vt subditæ regiones præsidio firmarentur, institere. Alij contra obiiciebant, sumptus sic magnos fieri, nec vnde desumi possent, in promptu esse.

Robustellus, & socij, Joannem Guizardum Mediolanum miserunt. Hic, opera Julij della Torre, se apud Alphonsum della Cueua, Marchionem de Bedmar, qui post Cardinalis factus est, virum sagacissimum, vti etiam apud Cancellarium Casparum Ferrerium, & Antonium de Pores, Hispanos, quorum consilio præcipuè Dux Feriæ vtebatur, insinuauit. Adhæc Volturenorum istorum res maximè commendauit Hieronymus Marinus, Genuensis, socer Comitis Joannis Serbelloni, cui (Serbellono) negotium conscribendi legionem datum fuit. Jesuitæ quatuor cumprimis, Scipio Carara, Bergomensis; Jo. Antonius Casolarius, Bormiensis; Horatius Taurellus, & Antonius Paribellus, Voltureni, & Mediolani, & Genuæ, apud Joannem Viuem, Legatum Hispanicum, negotium vrgebant. Voltureni maximè petebant, vt Hispanica auxilia in tempore prompta essent. Guizardus, Mediolano discedens, iter per Dominium Venetum tenuit, & ad Plantam in Comitatum Tirolensem se contulit. Pontifex, quem tamen negotij plenam cognitionem minimè habuisse dicunt, duo Breuia Apostolica, vnum ad Archiducem Leopoldum, alterum ad Ducem Feriæ, exarasse dicitur, quibus Religionem Catholicam in Rhætia, & Valletellina, eis commēdauit. Rodolphus Planta, his diebus, nempe IV. Julij, cùm Ænotrio Landeckum, vbi Pompeius iam erat, proficisci vellet, ab Engadinis inferioribus, qui per suos iam de hoc eius itinere præsciuerant, prope Finstermunz, vbi transitus strictus est, in Dominio Rhætorum latitantibus, ferè interceptus fuisset. Sed

O 2

Janus Karpfus incōſideratè ſcloppettum diſploſerat. Hinc Planta, inſidias animaduertens, ad caſtrum Finſtermunz confugit, vbi tùm portæ tranſitus clauſæ fuere. Scripſit deinde litteras ad fratrem Pompeium, quæ etiam interceptæ fuerunt; quibus illi caſum ſignificans, vt ſibi caueat, monuit. Timet etiam, ne Princeps Auſtriæ, ſe, & fratrem, vlterius in ditionibus Auſtriacis toleraturus ſit: numerumque militum conductorum nimis exiguum eſſe; adeò vt nihil effici poſſe vereatur. Capitaneo Joanni Jacobo Steigero, epiſtola ante ſcripta, vt quatuor illos facinoroſos Tiranenſes in militum ſuorum album adſcriberet, monitor fuerat. Poſtmodum verò, ſuperato monte Zædræs, aliud iter verſus Landeckum tenuit. Joannes Eraſmus Kuonius, à Belaſio, Præfectus Oenotrianus, ad Engadinos ſcribens, ſe de tranſitu Plantæ, quòd inſcius fuiſſet, excuſauit; atque Sereniſſimum Principem ſuum, ſeque, vigore fœderis hæreditarij perpetui, nonniſi viciniæ iura integra tueri velle, ſpopondit.

Menſe Junio Petrus Vicus, Legatus Venetus, Tiguro, litteras ad Senatum Rhæticum dat, ſibique Senatum dari petit. Magnas enim inſidias, quæ contra populos, qui in clauſtris Italiæ habitent, ſtruantur, ſe officiosè & ex fide illis exponere velle. Petitio ipſius ad Communitates relata. Ipſe interim in Rhætiam venit, & Curiæ paucos dies commoratus, Tuſciam, indeque Ilantium petiit.

Joannes Antonius Gioerius, Mediolano, vbi duos bombardarios, tractandorum ignium artificialium, vt vocant, maximè peritos, inter alia, obtinuerat, Caſtilionum ſe confert. Conſcribunt militem, præſertim ex Luganenſi, Lucarnenſi, & Biltionenſi ditione, exules pleroſque; & negotio feſtinando incumbunt; præſertim cùm iam Legatus Venetus multarum Communitatum ſuffragia habere videretur. A Miſaucienſibus ſuperioribus (inferiores pleroſque fauorabiles habebant) liberum tranſitum, atque vt ſuos quoque milites ſibi adiungerent, petierunt.

Tribunal Cenſorium Dauoſij, cùm vbique de irruptionibus fama conſtans eſſet, die II. Julij, tumultuariè, vti cœptum erat, diſſoluitur. In Valletellina Proteſtantes trepidabant,

dabant, Michaële Lazarono, & aliis, in congregatione Rhætorum officialium, Sondrij, pericula impendentia, & Robustelli preparationes, exponentibus, obnixeque petentibus, vt præsidium Rhæticum accerseretur. Ex Officialibus aliqui, qui per Rhætica Præsidia authoritatem, & lucrum priuatum suum fortassis imminui credebant, de hoc non vsquequaque solliciti erant. Jussu tamen Magistratus Rhætici, Voltureni milites circiter mille, ad valla, quæ sunt infra Morbenium atque Trahonam, deducti fuere: hisque præfectus fuit Joannes Trauersius, Gubernatoris Vallis-tellinæ Locumtenens. Atque Voltureni quidem, suasu Robustelli, & sociorum, promptos se monstrabant; eo nempe fine tantùm, ne miles Rhæticus accerseretur, & illi in proposito impedirentur. In Rhætia ordinatum fuerat, vt quodlibet fœdus octingentos milites præparatos haberet.

Jam vox certa de irruptione, & motu in Vallem Misaucinam à Proscriptis faciendo, percrebrescebat. Vallis-Rhenani ergo, & Sexamnienses, è suis aliquos in superiorem Vallem Misaucinam misere. Ast hi ad primum Proscriptorum & Calanchensium motum, loco cesserunt, & superato monte S. Bernhardini, cum multis Misaucιensibus, qui sibi à proscriptis timebant, in Vallem Rhenanam venerunt. Statim excitati, & ad arma vocati Vallis Rhenani, Sexamnienses, & Tuscienses; quos sequuntur Furstenouiani, ad Vallem Rheni tendentes. Calanchenses, cum reliquo conscripto milite, die Martis XIII. Julij montem S. Bernhardini etiam superant, & cum illis militibus, qui ibi ad Vallem Rheni erant, leuibus velitationibus (Rhenus interpositus erat) certant. Dauosiani, celeri nuntio admoniti, Vallis-Rhenanis cohortem vnam auxilio mittunt, quæ in ipso furore velitationis superuenit. Calanchenses, cum conducto milite, etsi bombardarij illi, inani ignis eiaculatione, se mirè ostentarent, pedem reflexerunt. A parte Sexamniensium Ministralis ipsorum Matthias Mattlius lethaliter in humero globo tormentario sauciatus fuit: ex quo vulnere sequenti nocte diem supremum obiit. Classicum vbiq; in tota Rhætia datur. Multi Misaucum versus properant, vti Aceriensès, Rhetigoij, Quatuorpagici, Coruantij, Aluonoua-

ni,Bergunienſes, Vatiani, Supraſaxenſes, Rhætienſes,Fle-miani, & Curienſes: quos tamen aliqui in itinere libenter impediuiſſent;eo obtentu,non opus eſſe,vt Miſaucum verſus tenderent. Diſertini etiam, Leguntini,& Supraſaxenſes Griſæi,pedem non mouebant. Foueani Griſæi in armis quidem erant; ſed nec ſe ſatis tutos à vicinis ſuis exiſtimabant. Porrò, cùm iam ſigna illa, quæ in Valle Rheni erant, Calanchenſes,& alios,inſequerentur;non procul à Pago S. Victore, loco ſatis munito, hi reſiſtere pararunt: vbi tum aliquantùm certatum fuit, atque aliqui ex Calanchenſibus,& qui cum eis erant,ſauciati; inter quos fuit Martinus Bironda. Mox ex tota Valle receſſerunt. Populus, atque ipſi quoque Calanchenſes, ſupplices exercitui Trium Fœderum facti, in gratiam recepti fuere. In litteras fœderales, præeunte eis Joanne Gulero Seniori, qui Ducis Primarij officio fungebatur; &, quòd nunquam in poſterùm, ſine expreſſo Trium Fœderum mandato, arma mouere,& proſcriptos recipere vellent,ea ipſa die Dominica, menſe XIX. Julij,qua Laniena in Volturena cœpta, iurarunt. Proſcripti, cum milite extero,Biltionam verſus ſe contulerunt. Exercitus Rhæticus ad Commiſſarium Biltionenſem Heluetium ſcripſit,atque conqueſtus eſt, quòd Proſcriptis domicilium,& militi extero tranſitum conceſſerit. Ipſe aliquatenus de inſcitia ſe excuſauit, addens, etiam Rhætos in exercitu ſuo habere milites Hollandos. Criminatio tamen hæc in Rhætos falſa erat: quam nihilo ſeciùs Robuſtellus etiam,& ſocij, populo Voltureno, vt ipſum fallerent, perſuaſerant; aſſerentes in Rhætia magnum numerum Hollandorum abſconditum teneri,qui certo die(fingebant Feſtum S. Mariæ, menſe Auguſto) Catholicos mactaturi eſſent.

Engadinam Inferiorem eodem momento præſidio militari firmare decretum fuit. Proinde Cernetium vſque miſſi Engadini Superiores. Dauoſianorum vna cohors, item Cœnobiani, Caſtrenſes Rhetigoij,& Scanauicani, Suſium,& Lauinium vſque,profecti ſunt. Contrà, Oenotrium, & Glorium verſus, puluis tormentarius, & alia arma ab Auſtriacis miſſa fuere. Steigeriani quinetiam milites luſtrati.

ſtrati. Sed cùm Planta, cum ſuis, iam videret, Engadinam præſidio firmatam, atque Proteſtantes Heluetios, Tigurinos, & Bernates, auxilia fœdere requiſita, dare velle: præterea Calanchenſium, cum milite extero, conatus incertos eſſe cogitaret; denique, quis planè rerum in Volturena ſucceſſus futurus eſſet, prænoſcere minimè poſſet, ſatis perplexus erat. Atque ſollicitudinem auxit, quòd aliqui ex Auſtriacis cõſiliariis ſubinde his Proſcriptis, ſi quid, mouerent, atque irrita tentatio foret, ne iterum in ſolum Auſtriacum reuerterentur, interminati eſſent; bonaque, ſi quæ ibi apud Auſtriacos poſſiderent, pignerata habere velle dicerentur. Sed, cùm fœdus Venetum iam etiam abruptum & eluſum putarent Auſtriaci, mandatum Oeniponto militibus allatum fuit, vt ſe ad iter in Bohemiam præpararent. Itali, ſub Raina, & Gallo, eò proficiſci nolebant. Germani verò milites Imbſtium, aliqui quinetiam Delfium vſque peruenerant: & iam Halæ ad Salinas naues ipſis deuehendis parari dicebantur. Atque tum Pompeius, cum Maximiliano Moro Imbſtij erat; cùm ecce die Martis Rodolphus Planta Landecko Imbſtium, cum nuntio de Laniena Volturenenſi, venit: atque tum milites ſubſiſtere, & ad prima caſtra reuerti iuſſi ſunt.

Series hiſtoriæ nos modò ducit ad enarrationem inauditæ & crudeliſſimæ Lanienæ perpetratæ, atque execrabilis Rebellionis in Valletellina excitatæ. Horrendam hanc Lanienam omnes alias (ſi rabiem ſicariorum, non numerum interfectorum ſpectes) præteritorum temporum crudelitates longo poſt ſe interuallo relinquere, quiſquis non iniquus rerum æſtimator ſingula probè perpenderit, facilè nobiſcum aſſeret. Nam ſi illas, quæ ſub Imperatoribus Romanis contigere, conſideres; erant illi Ethnici, atque Præceptum Domini, Non occides, non agnoſcebant. Adhæc magiſtratum gerebant, & contra Chriſtianos ſubditos ſæuiebant. Sic quoque deteſtabiles lanienæ, quæ ſeculo proximè elapſo contigere, iuſſu, & conniuentia plerumque Principum & Magiſtratuum perpetratæ fuere. Hîc in Valletellina autem Subditi magiſtratum ipſum ordinarium, agnatis ſuos conſanguineos, & proximos, immaniſſimè trucida-

runt: atque non ædes ſolùm, & oppida; ſed ipſa quoque templa ſanguine impiarunt: non ſexui, non ætati, ne infantibus quidem ipſis, vberibus maternis affixis, pepercerunt: Catholicos quinetiam, qui à laniena & rebellione animis abhorrebant, interfecerunt: corpora defunctorum ex ſepulchris extracta, atque canibus & feris expoſita: alia aliorum in aquam proiecta, alia concremata: denique, vt verbo dicam, nullum genus feritatis omiſſum fuit.

Prodigiis ſtupendis ſtupendum facinus præſagitum fuit: quorum quædam hûc inſerere operæ pretium fuerit. Calamitoſus ille interitus Plurij, Rhætiæ vniuerſæ ominoſus à prudentibus quibuſcunque habitus fuit. Vites, anno M.D.XVIII. & M.D.XX. menſe Aprili, in pleriſq; Vallistellinæ locis, præter ſolitum, congelarunt. Cùm in tota Valletellina, & Comitatu Clauennæ, hac æſtate campanilibus excubiæ à magiſtratu Rhætico impoſitæ eſſent, vt tam ſigno ignis, quàm ſono campanarum, populus, in caſu neceſſitatis, ad arma ſtatim excitari poſſet; accidit, vt die VIII. Maij, in oppido Sondrij, qui excubias nocte antecedenti egerant (erant autem Catholici) ad Magiſtratum venientes, referrent, quòd ea nocte in templo Sanctorum Geruaſij & Protaſij, murmur ingens audiuerint, ac ſi multæ perſonæ inter ſe altercatæ fuiſſent, aliis Sic, Sic: aliis, Non, Non, exclamantibus: quodque in templo eodem ingentem ſplendorem perlucere per totum campanile cùm vidiſſent, ordinariam ſuam lucernam accenderint, & in templum per ſcalas deſcendere voluerint; vbi tùm in deſcenſu lucerna ſibi extincta fuerit: atque iterum cùm accendiſſent, eadem maiori iam cum impetu extincta fuerit: & ſplendor ille in templo euanuerit. Horologij ſacomata (ſunt lapides funibus appenſi) violento impetu vnico, ſine opera humana, deciderunt. Sonus campanæ maioris, qua ſignum ad arma datur, decem vicibus diſtinctis, ab omnibus vicinis, atque ipſa quoque clara die ter, vti mihi ſæpius pòſt Jo. Andreas Malacrida, Medicinæ & Philoſophiæ Doctor, vir Catholicus, affirmauit, auditus fuit. Excubitores iſti duo ab eo tempore per aliquot dies ex timore & tremore decubuere. In Oppido Tirani ſimilis quoque campanæ maioris

ſonitus

ſonitus in templo S. Martini auditus fuit. Prætor famulos ſuos, quid rei eſſet, ad videndum miſit: cognitumque fuit, hoc non opera humana factum fuiſſe. Statimque, cùm famuli ex campanili rediiſſent; campana, quæ in Prætorio eſt, etiam ſonum edidit. Poyræ (locus eſt in Communitate Fuſinæ) incolæ, in ſacello ibi aliquoties ſuauem cantum, & poſtea vocem lamentabilem, hoc menſe Maio, noctu audiuerunt. Interrogati, numquid tale alias quoque audiuiſſent; reſponderunt, Anno quoque M.D.LXXXVIII. cum morbus contagioſus in Valletellina magnopere ſæuiret, rem conſimilem accidiſſe. In Prætorio oppidi Morbenij, nocte Natalis Chriſti proximè præteriti, flammæ ignitæ ad cœlum aſcendere viſæ fuere: vbi in laniena aliqui Proteſtantes mactati fuere. Dies XVIII. Julij, cum ſequenti nocte, propter vehementiſſimum ventum, & ingentem nimbum, in tota Rhætia, & Valletellina, aſpectu triſtis fuit.

Portentis iam enarratis, acceſſere variæ admonitiones, ac portentorum veluti interpretationes, Proteſtantibus factæ. Peſclauienſis quidam nuncius, Comum tendens, non procul à ponte Treſendæ, incidit in Martinum, filium Cancellarij Joannis Andreæ de Puteo, Tilienſem; vbi cùm de variis rebus ſermones miſcerent, interrogauit Peſclauienſis alterum, cuius Religionis eſſet. Hic autem, etſi Proteſtans eſſet, dicebat, ſe Catholicum Romanum. Ad quod alter, Heu, exclamauit, quàm bene tibi eſt! nam paucis abhinc diebus videbis, qualis proceſſus ſeruandus ſit cum Lutheranis in hac Valle. Ego propterea litteras etiam Comum, & Mediolanum defero. Tilienſis hæc ſtatim ſub noctem Prætori denuntiauit, qui ſummo mane famulum miſit viſum, an fortaſſis Treſendæ Peſclauienſis pernoctauerit. Sed iam diſceſſerat. Igitur Prætor Tilienſis ad Gubernatorem Vallistellinæ, & Prouiſorem Joannem Trauerſium, litteris datis, ſtaturam hominis deſcribit; monens, vt eum in reditu interciperent: qui tamen nuſquam apparuit. Andreas Guizzardus, ex Tilienſibus Proteſtantibus vnus, litteras Jo. Mariæ Parauicini, Ardennenſis, qui Vacalli, prope Comum, modò habitabat, ad Jacobum Robuſtellum, & Doctorem Franciſcum Venoſtam, ſcriptas, cùm

P

aliquid finiſtri ſuſpicaretur, aperuerat: in quibus tectis quidem verbis, ſed tamen aliquid magni portendentibus, mentio fiebat conſpirationis alicuius. Ipſe litterarum harum tenorem Prætori Tilienſi ſignificauit; ſed nullam mentionem facere voluit, ad quem directæ eſſent: nam Robuſtellus, & Doctor Franciſcus, matris dicti Guizzardi conſobrini erant. Prætor verò, homo zelo ardens, ſtatim ipſum ad manutentionem rei adacturus erat. Addebat Guizzardus, litteras ſatis tectè ſcriptas fuiſſe, vt ſenſum nonniſi poſt lanienam clarè aſſequi potuerit. Clara Piperella, Clauennenſis, quæ Proteſtantium Religionem olim profeſſa, vitam lubricam quòd egiſſet, ex Dominio Rhætorum Mediolanum auffugerat, & ibidem in ædibus Senatoris Papirij Cattanei (vti etiam ante mentionem fecimus) infantem lactauerat: hæc amore Proteſtantium mota, Nouatum vſque peruenit; ibique Clauennenſibus quibuſdam Proteſtantibus indicauit, ſe in ædibus dicti Senatoris Mediolani audiuiſſe, breui (hoc erat menſe Junio) omnes Proteſtantes in Valletellina, & Clauennæ, interfectum iri. Hæc Dominico Gulfino Clauennenſium Commiſſario, & eius vicemgerenti, etiam nunciata fuerunt. Retulit mihi; ſed demùm poſt lanienam; vxor mea chariſſima f.m. Eliſabetha de Sebregontiis, cùm antecedente menſe Maio, Berbennij in ædibus paternis eſſet, Malanchenſem quendam, Graſſum nomine, qui telam & alias merces vendebat, nouercam vxoris meæ interpellaſſe, vt aliquid emeret, vti moris eſt: reſpondiſſe nouercam: Ecquid emerem, cùm iam vbique de bello ſermo ſit? replicuiſſe ipſum: Bellum hoc breui durabit: tantùm contrà vos Lutheranos belligerari volunt. Sed cùm ſubridente ore hoc proferret; nemo animaduertit. Paucis ante lanienam diebus, cùm Clauennæ, iuſſu Magiſtratus, arma domatim luſtrarentur, vt omnes parati eſſent: hacque de cauſa Ferdinandus Peſtalozius ad ædes Franciſci Peſtalozij Proteſtantis veniſſet, armaque inſpexiſſet; ad Claram Pellizariam, vxorem dicti Franciſci, & ad vxorem meam, ſubridens, dixit, cùm de bello loquerentur: Credo quòd velint vos Lutheranos occidere. Verùm, quia hic homo ſatis loquax, & inſuper admodum vanus eſſet; & huius

huius verba neglecta fuere. Jo. Matthæus Lupus, Quallia dictus, Pollagia Communitatis Berbennij oriundus, qui, furti commiſſi crimine infamis, in oris lacus Larij vitam extorris ſtipem colligendo ſuſtentauerat, diebus iſtis Morbennium in Prętorium, à Matthia Schenardo ductus, venit: ibique ad Henricum de Hartmannis, Prætorem, atque ad Cancellarium ac Curiales dixit; Tractari, & publicè in Ducatu Mediolanenſi dici, Omnes Lutheranos in Valletellina occidendos eſſe. Cæterùm, quòd mendicus eſſet, verba ipſius non ponderarunt, vt conueniebat: à Cancellario ſolùm annotata fuere, vt ad Gubernatorem Vallistellinæ deferrentur. Hoc ipſo quoque tempore, cùm iam præſidiarij Voltureni ad valla eſſent, venit nuntius ad aggeres Mãtelli ex Valletellina, qui, cùm Numquid litterarum haberet, interrogaretur; Nullas ſe habere, reſpondit, atque interim in profluentem Abduam epiſtolam proiecit. Cognitum poſtea fuit, ipſum à Jacobo Robuſtello, & Joanne Guizzardo, miſſum fuiſſe ad Joan. Mariam Parauicinum, quem tùm inuitabant, vt die XXVI. Julij, cum ſuis, quos habere poſſet, pręſtò eſſet, quò pulchræ negotij executioni incumberent. Et hic nuncius ferè ſine examine relaxatus fuit. Jo. Antonius Galeatius de Homodeis, Luganus dictus, Sondrij tota ſeptimana, antecedente lanienam, globos tormentarios parauit: cumque die Jouis proxima, Preſa (locus Sondrio vicinus eſt) cum Gregorio de Muttis, Montano Sondrienſi, Sondrium verſus iret; dixit: Oculi mei ita ſomno grauati ſunt, vt vix pedes ampliùs officium faciant: tota enim ſeptimana, iuſſu Doctorum Lauizarij & Paribelli, conficiendis globis tormentariis occupatus fui. Interrogauit præterea, num Catholicus eſſet. (Erat autem Proteſtans) Ille Catholicum ſe eſſe affirmauit. Subdidit Luganus: Paratur Feſtum pro Lutheranis. Gregorius hæc ſtatim Cancellario Andreæ Mingardino, Proteſtanti, nuntiauit: qui vaniloquum Luganum eſſe reſpondit. Die Sabbathi proxima ante lanienam, puer duodecim plus minùs annorum Tilij, ad ædes Actij Guicciardi Proteſtantis, eleemoſynam ſatis importunè petens, Poſthac, aiebat, non ampliùs fortaſſis mihi eleemoſynam dabitis. Jurabatque per cru-

cem (signo crucis digito formato, quo grauissima quæque Catholici asseuerare solent) constitutum esse, die sequenti, omnes Lutheranos mactare. Quumque Elizabetha, Actij soror, hoc non fore verum excepisset; iuramento per signum crucis repetito, verissimum esse respondit: se enim fuisse in ædibus Actij Bestæ, & vidisse globos tormentarios ad hoc parari. Tirani, vespera lanienam præcedente, rusticus quidam ex familia Sonica, cùm amicus semper Cancellarij Michaëlis Lazaroni fuisset; venit ad ipsum, aperuitque, tractari de interficiendis Protestantibus.

Porrò laniena per octo dies anticipata fuit. Nam Joannes Guizzardus ad Robustellum, & Doctorem Franciscum Venostam, qui Prætoris Tirani iam vicemgerens erat, celeri cursu Tiranum venit, atque, quòd per nuncium, Mantelli interceptum, tractatum patefactum putaret, eos ad fugam capessendam hortatus est. Doctor Venosta aliquantùm super hac re attonitus, hæsit, & ipsa die Dominica ante lanienam desperabundo similis apparuit. Robustellus autem, vt & Marcus Antonius, & Simon Venosta, qui iam sicarios comparatos habebant, & Grosiensibus ac Grossubtensibus, dimidiam duplam Hispanicam cuique, atque præterea nummum argenteum (*Barlingottum*) iam dederant, factum magis maturandum affirmabant. Pater Ignatius Capucinus, qui in seculari statu Sanctus Imbertus vocabatur, Gandino, Bergomēsis ditionis, oriundus, die Sabbathi ipsa, Edolo ex Valle Canonica, vbi Guardianus erat, à Robustello accersitus, Grossubtum venit; & die Dominica Mazij, post Tirani, conciones his hominibus gratas habuisse dicitur. Adhæc captiuus erat Michaël de Fidericis, in Prætorio Tirani, qui die Dominica ante lucem quæstioni subiici debebat: qua de causa Tiranum venerant Antonius à Salis, Vicarius Vallistellinæ, cum Doctore Marco Antonio Venosta suo Locumtenente, & Andreas Enderlinus Prætor Tiliensis. Hic captiuus conscius etiam scelestissimi tractatus ex parte erat. Proinde verebantur, vt eos proderet.

Robustellus, cum magna caterua sicariorum, inter quos erant aliqui Proscripti ex Dominio Mediolanensi, & Tridentino,

dentino, multiq; ex Dominio Veneto, quos Antonius Lolius, ſororius Actij Beſtæ, Martinus de Fridericis, & Thomas Capitaneus (qui tamen factum, & tractatum ignoraſſe dicitur, proindeque poſtea cum Martino de Fridericis armis etiam contendit) miſerant; item multi Groſienſes, & Groſſubtenſes, omnes, veneficiis, homicidiis, furtis, periuriis, aut aliis ſceleribus, infames; hora ſexta noctis Groſſubto egreſſus, Tirani in ædes Doctoris Franciſci Venoſtæ appulit. Omnia itinera, nequis effugere, aut notitia ad alios Proteſtantes peruenire poſſet, occupant; & iam tùm propè caſtrum Plattamala muro viam regiam occludere incipiunt. Simon Venoſta, Doctoris ex fratre nepos, in forum, vbi Prætorium eſt, cum aliis progreſſus, quatuor ſcloppetta exonerat. Proteſtantes rati iterum bannitos illos quatuor in oppido eſſe, iam ſurgunt. Ipſo autem diluculo, primùm maxima, pòſt campanæ omnes pulſantur, & claſſicum datur. Sicarij vndique concurrunt. Primus occiſus, fuit Georgius Peterlinus, Prætoris Tilienſis famulus, qui in ædibus Baptiſtæ Baruffini hoſpitis propè pontem pernoctauerat. Hic, ipſo diluculo equum heri ſui ad aquam ducere cùm vellet, ſcloppettorum ictibus interfectus fuit. Uxor Prætoris Joannis à Capaulis, audito fragore ſcloppettorum, valuas aperit cubiculi; in quam ſtatim ſcloppettum exonerant, ſed non offenſa fuit. Prætorium, atque ædes proximæ dicti Baruffini, vndique armatis circumdatæ erant. Prætor Enderlinus, cubiculi fores, appoſita menſa & lectica obfirmat, & ſe ad defenſionem parat. Plurima ſcloppetta contra ipſum exonerata: ipſe viciſſim ſtrenuè ſcloppetto ſuo, vſque dum puluis tormentarius ipſum deficeret, vſus, vnum in facie ſub oculo vulnerauit. Flaminius Venoſta, cum ſuis, tectum hoſpitij conſcendit; & inde, perfractis aſſeribus, in cubiculum intrat, eumque ſcloppetis traiiciunt: tandem in plateam proiiciunt, & ita pedibus conculcant, vt vix dignoſci poſſet. Fune collo appoſito ad ripam Abduæ fluminis tractus; ſed vltimo cùm aliis ſepultus fuit. In iiſdem ædibus, cum Prætore Enderlino, etiam necatus fuit Joannes Montius, Prætoris Michaelis Bruſienſis filius, qui ab Ambroſio hoſpitis filio, nequiſſimo homine,

cùm domum vesperi antè ire vellet, multis precibus retentus, ab eodem postea occisus, & in aquam proiectus fuit. Joannes Andreas Cattaneus, Cancellarius, cùm ad palatium Prætoris cursu tenderet, sauciatus fuit. Fugiens, ad vxorem suam Mariam Robustellam, quæ consobrina Robustelli, & Doctoris Francisci erat, ex brachiis vxoris auellitur: cumque iterùm aufugisset in alias ædes, & se sub tecto abscondisset; sicarij ipsum tandem inuentum ex alto in plateam præcipitarunt: cumque adhuc spiraret, baculo capiti illiso occisus fuit. Antonius à Salis, Vallistellinæ Vicarius, cum locumtenente suo, Doctore Marco Antonio Venosta, & famulo Antonio Kellero, ad ædes Capitanei militiæ, Jo. Jacobi Homodei Catholici, confugit, qui libenter eis vitã seruasset. Nam nec rebellioni, nec lanienæ subscripserat, nec subscribere voluit: proindeque semel postea à Marco Antonio Venosta, Grosiensi, Rebellis Vallistellinæ vocatus fuit. Porrò illi sub torculari proximo latitantes, à Claudio Venosta, Tiranensi, (cuius filium Iosephum Doctor Marcus Antonius de Venosta, ante aliquot annos, occiderat) eiusque filiis, & aliis, statim inuenti, & occisi fuere. Antonius Bassus, Pesclauiensis, concionator Protestantium Tirani, cùm tumultum huncce audiret, se, vnà cum Samuele Andreoscia, Mellensium protestantium concionatore, in squadra Trahonæ, qui vna die antè Tiranum venerat, vnà cum aliquibus mulieribus in ædes Titi Pergolæ contulerunt, ibique preces ad Deum fuderunt. Sicarij statim accurrentes, fœminis ex cubiculo exire iussis, viros trucidarunt. Caput Bassi amputatum, in Templum Protestantium delatum & suggestui impositum fuit, atque per ludibrium clamatum: Basse, cala à basso (hoc est, descende) satis diu concionatus es. Prætorium, vt diximus, circumdederant. Illud tamen summo manè ingressus erat Michaël Lazaronus Cancellarius Officij. Hunc sicarij sibi dari petiere; secus, prætorium igne se vastare velle interminati: prout iam ignem portæ subiicere incœpere. Famulum, interea prætoris, Christianum à Jochberg, per fenestram prospicientem, scloppetto occiderunt. Maphæus Cattaneus, Catholicus, qui sororem dicti Lazaroni vxorem habebat,

bebat, cùm signum Cancellario dedisset vt aufugeret, protinùs in foro trucidatus fuit. Lazaronus interim in prætorio prætorem & famulos strenuè ad defensionem exhortabatur. Nam ibi Spingardi (genus bombardæ est) aliaque scloppetta, puluis item & globi tormentarij, cæteraque ad defensionem necessaria erant. Sed prætor, qui sicarios lenitate potius, quàm vi vinci posse putabat, globos ac puluerem tormentarium in Abduam proiici curauit. Cancellarius, exutis vestibus Abduam ingressus, in ea per tres circiter horas se continuit: Doctore Vincentio Venosta cum sociis ipsum sedulò quærente, tandem verò à muliere quadam proditus, ex aqua extractus fuit. Vitam sibi in gratiam filiorum condonari petiisse dicitur: cui sicarij, Modò non tempus gratiæ esse respondant. Exhortantur autem, vt religionem suam abiuret; quod tamen constanter renuit. Sic in inuocatione nominis Diuini crudelissimè interfectus fuit. Nec verò prætor Tirani, Joannes à Capaulis, exemptus fuit. Nam eodem vespere fores prætoriæ combustæ fuere. Die sequenti sicarij ingressi prætorem, filium Rigettum, ac famulos custodiæ dedere: vxorem, liberos, reliquosque expulere, ac suppellectilem omnem deprædati sunt. Antonius Bottigiolus, Catholicus, gladium prætoris inauratum cùm arripuisset, Doctor Jo. Baptista Marinonus sibi ensem dari postulauit; non enim rusticum hunc decere. Cùm inuitus gladium traderet alter; repentè à Marinono occisus fuit. Prætor aliquandiu in ædibus Doctoris Francisci custoditus, post iterum in carceres prætorij retractus, ibiq; à Jacobo Taurello, & aliis, cum famulis, ictibus scloppettorum interemptus fuit. Aiebant non minimam causam ipsius mortis fuisse, quòd contra Pompeium Plantam Tusciæ testis adductus fuerat: strenuè autem per aliquot horas se defendit. Jo. Antonius Gallus, faber scloppettarius, Gardono, Brixiensis ditionis oriundus, propter religionem protestantem exul, Ambrosium Baruffinum, de quo antè locuti sumus, cùm ædes ipsius conscendere voluisset, occidit. Per duos dies domui ipsius nemo appropinquare ausus est. Ipse pòst noctu euasit: sed totus defessus, & somno oppressus, in itinere deprehensus, interfectus fuit. Circiter

ſexaginta perſonæ Tirani occiſæ fuere; ex virili ſexu, ætate maiores. Quinque euaſere, nempe Cancellarius Gaudentius à Salis, Rigettus à Capaulis, prætoris filius, Jacobus Albertinus I.V.D. (ſclopettum huius cùm duo ruſtici Catholici Blanzoni, Meius quidam & Chiapatinus, inter ſe diuidere non poſſent; ille hunc interfecit eodem ſcloppetto) Jacobus Neſius, Curienſis, & Ægidius Venoſta, per præruptos montes auffugere.

Poſtquam Tirani ſuas crudelitates exercuiſſent; multi Tilium verſus ſe contulere: vbi Actius Beſta, finita Miſſa, populum alloquutus, proteſtantes ſtàtuiſſe aiebat, omnes Catholicos futuro menſe Auguſto occidere, & Hollandos milites in eum finem abſconditos habere. Se ergo, & alios proceres Vallistellinæ, conſtituiſſe huic malo præuenire: iamque Tirani Equitem Jacobum Robuſtellum cum ſuis, omnes Lutheranos maſculi ſexus occidiſſe. Hortabatur proin, vt arreptis armis ad templum proteſtantium; qui iam in concione erant, accurrerent, & idem perpetrarent. Populus morem geſſit. Ipſe ergo comitibus præcipuis, fratre Carolo, patruele Antonio, Andrea gentili ſuo, & exteris latronibus cinctus, ad templum proteſtantium properans, cùm vnam ex foribus aliquantum aperuiſſet, ſclopettum ſuum in Jo. Petrum Danzium, Concionatorem proteſtantium, qui in ſuggeſtu erat, exoneraturus erat; ſed rota, vt vocant, non tenſa erat. Proteſtantes, in pedes ſtatim erecti, fores templi occludere parant, ſcamna & alia opponãt. Sicarij verò, cùm fores protinùs effringere non poſſent, per feneſtras ſcloppetis miſeros, nullo habito reſpectu ſexus, & ætatis, petunt, atque aliquos occidunt. Vi tandem fores apertæ; &, mulieribus exire iuſſis, obuij quique, imò etiam mulieres aliquæ, trucidati. Vincentius Gattis, ſexagenario maior, ruſtico haſtam ex manibus eripuerat, atque pectus Actij Beſtæ petierat; ſed, quod lorica armatus fuiſſet, non fuit offenſus. Concionator ex ſuggeſtu iam ſaucius deſcendit, & auditores ad patientiam, & conſtantiam exhortatus eſt: poſt etiam occiſus fuit. Circiter ſeptemdecim, tam viri, quàm mulieres, & infantes, in campanile templi aſcenderant. Verùm ſicarij, comportatis ſcamnis ignem ſubie-

ſubiecere, omnéſque miſerè flammis enecauere. Doctor Jo. Antonius de Fidericis, qui in Palatio Tilij detinebatur, ab Antonio Platto, Parocho Tilij, occiſus fuiſſe dicitur. Quinque alij viri, iuuenes Tilienſes, ex præſidio Morbenienſi domum repetentes, Buffetti à Pontenſibus trucidati fuere. Numerus occiſorum Tilij fuit ſexaginta. Inter hos octo fuere mulieres, & tres infantes, annum plus minùs ſextum ætatis agentes; duo item excellentes Doctores, Joſue Gattus, I.V.D. & Lælius Parauicinus, Med. D. Sed & in eadem hac Communitate, Bonhomum de Bonhomo, Catholicum, quòd in rebellionem conſentire noluiſſet, occiderunt. Clurij eadem die, Fridericus Valentinus, Cernetienſis; Joannes Menginus, Peſclauienſis; Chriſtophorus Fauſchius, Jeninſienſis, Rhæti, interfecti fuere.

Joannes Guizzardus, qui Capitaneus militiæ Pontenſis erat, ſub ſpecie, ac ſi præſidiarios alios Morbenium ducere vellet, multos ex Pontenſibus, Clurienſibus, & Trixiuienſibus, integram nempe tercentorum virorum cohortem, collegit; atque cum præcipuo aſſecla, D. Proſpero Quadrio, & aliis bannitis, atque exteris, poſt prandium ad portum (ita pontonem vocant) Alboſagiæ, vbi Doctor Laurentius Paribellus, cum duobus filiis, Doctore Jo. Jacobo, & Horatio, ac aliis erat, venit. Ibi Baptiſtam Girardonum, Proteſtantem, occidere: atque filium eius Georgium, annorum circiter quatuordecim, ex portu in aquam detruſere; cumque inde euaſiſſet, ſcloppetto interfecere. Montaneæ eadem die, Rodolphus Criuellus, Vincentius Brunò, & eius gener Jo. Antonius Merulus; atq; in itinere verſus Montaneam, Martinus Sauiolus, Prægallus; Dominicus Mingettus, & Stephanus Paganus, Peſclauienſes, Rhæti; Trixiuij; Cæſar Parauicinus, occiſi fuere.

Jo. Andreas Trauerſius, Capitaneus Vallistellinæ, cùm hæc audiret, Andream del Corlo, Proteſtantem, per Vallem Malencham Engadinam verſus, auxilia petitum, miſit: qui à Pontſcherianis ruſticis, & aliquibus Malanchenſibus, vnà cum Marco Antonio Alba, Malenchenſium Proteſtantium Concionatore, Cancellario Eugenio ab Eccleſia, & Matthæo Furnoncino, dicto Pongino, Catholico, in

loco Scandalono,non procul à pago Turre; vti etiam,propè Maſegriam; Paulus della Beltramina,interfectus fuit.

Jam nuncium Sondrium de laniena Tiranenſi & Tilienſi peruenerat. Sōdrienſes,inter quos præcipuus Nicolaus Parauicinus,Catholicus,Cācellarius Vallis(qui nec de rebellione,nec de laniena quicquam reſciuiſſe dicitur)ad Magiſtratum ſe conferunt;proteſtantur ſe ab hiſce facinorib. eſſe alienos, operamque ſuam in tutando magiſtratu offerunt. Pulſantur tympana & campanæ:vnde vicinæ Communitates etiam armatæ concurrunt.Proteſtantes fidem verbis & promiſſis ingentibus Catholicorum adhibentes,ſe cum eis miſcent. Jamque dolia ſaxis implentur, quibus itinera obſtruuntur,ne in oppidum irrumpere poſſint. Sed feruor ſtatim deſijt. Jo.Antonius Parauicinus,Archipreſbyter,circumiuiſſe, & multis quædam in aures inſuſurraſſe dicitur. Æmilius,& Carolus, Doctoris Lauizarij filij, eiuſdemque nepos Franciſcus, propter affinitatem Tilij contractam, omnium rerum conſcij & participes erant. Et hæc die Dominica XIX. Julij geſta fuere. Nocte ſequenti in armis ſtetere.

Porrò circiter duas ante diluculum horas,in loco Quadrubio dicto,vbi dicti Lauizarij erant,ſcloppetto Proſper Parauicinus, Cæſaris die antecedenti occiſi filius,dum in ſtatione eſſet, occiſus fuit. Nicolaus Marlianicus,Felloſtij filius,cum Lucio Urſletta,Cernetiano,ad dictum locum,vt quid rumoris eſſet videret,iuit; ibique à Doctore Æmilio Lauizario,cùm nondum diluculum eſſet, ſcloppetto à tergo transfixus fuit. Hic Doctor poſtea ipſe in prætorium veniens denuntiauit, Nicolaum Marlianicum occiſum eſſe; ſed à quo,ſe neſcire;ſimulans,ſe factum,vti mortem affinis, ægrè ferre. Cæterùm Catholici adhuc aliqui in prætorio erant: vti dictus Cancellarius Vallis, qui factum hoc execrabatur, & vitam ſuam ad defenſionem offerebat. Atque hic etiam cum Rebellibus in Valletellina permanere noluit; ſed in ditionem Venetam profectus, aliquandiu apud Moderantem Scaramellam, Secretarium Venetum, manſit. Doctor Hippolytus Venoſta,Mazienſis,& Ludouicus Parauicinus,Sondrienſis,etiam primò in ditionem Venetam

netam profecti ſunt. Proteſtantes aliqui ſe in ædibus Cancellarij, Jo. Andreæ Mingardini, prætorio proximis, communiuerant: vnde foro & templo dominari potuiſſent. Sed Catholici ædes illas ſe expugnaturos minitabantur. Suaſu itaque Capitanei Vallistellinæ, Mingardinus, atque cum ipſo ſeptuaginta & vnus Sondrienſes, atque Montani, vicini, per Vallem Malencham Engadinam ſuperiorem petiere. Die Martis ſequenti, Joannes Guizardus, Doctor Paribellus, filiique, atque cum his tota ſicariorum caterua, in prætorium Sondrij intrant. Guizardus ſermonem inſtituens ad Capitaneum Vallistellinæ: Capitanee, ait; olim noſter patronus & Dominus fuiſti: ſed non ampliùs eris. Conſtituimus enim nos à tyrannide Miniſtrorum Lutheranorum, & officialium Rhætorum, liberare. Sicque Capitaneus cum familia prætorio exire iuſſus, poſtera die in Vallem Malenchi ductus, & poſt octiduum in Engadinam vt proficiſci poſſit vna cùm Victore Trauerſio, & Jo. Antonio à Sonuig, dimiſſus fuit. Ex carceribus Sondrij captiuos extrahunt, Catholicos liberè dimittunt. Dominicum Saluettum, proteſtantem, cùm Religionem ſuam abnegare non vellet, in carcere ſcloppetto tranſuerberant: tractum per ſcalas palatij prætoriani, cùm iam mortuum putarent, in foſſam detruſerunt, terraque tumulare incœperunt. Ille verò iterum inſurrexit: vnde attoniti, iam opus intermiſſuri erant. Aſt ipſe exclamans, Finite, inquit, operam veſtram in corpore meo; quò citiùs animam meam Creatori cœleſti reddere poſſim. Suppellex quæ in prætorio, atque in proteſtantium ædibus erat, prædæ exponitur. Hinc viliſſima plebs furere magis, furarique: proximiores conſanguinei, imò frater fratrem, ſpe prædæ & hæreditatis acquirendæ, iugulare: villici, quibus à Coryphæis rebellionis ſpes fiebat, ipſos à cenſibus, quos Lutheranis ſoluebant, liberos fore, patronos ſuos per ſyluas ac montes vbique fugientes perſequi, atque inuentos nefariè occidere.

Anteſignani autem ſicariorum Sondrij fuere, Auguſtinus Taſſella lanius; qui gloriatus eſt vna die ſe octodecim necaſſe; Eugenius & Bernhardus Meruli, & Joannes Antonius Cagnonus, dictus, Sartor; poſtea ob horrēdas blaſphe-

mias, qui se Christum crucifixum etiam confodere non vereri (inter alia crimina) dixerat, in carceribus desperabundus perijt.

His tribus diebus, Lunæ, Martis, & Mercurij, pars maxima interfecti fuere. Inter hos fuit Bartholomæus Marlianicus, Protestantium Concionator; itemque Jo. Baptista Mallery, Antuerpianus, Belga, I.V.D. ac Protestantium Pastor; cuius caput amputatum, venter apertus, & extracta viscera fuere: duo quinetiam Bartholomæi, atque Nicolaus, Parauicini, omnes quoque I.V. Doctores. Præ reliquis constantiæ laudem promeruit Anna de Liba, Antonelli Crotti de Schio, ditionis Vicentinæ, vxor, cum marito suo religionis ergò exul. In montibus à rusticis comprehensa, cùm filiolam duos iam menses ætatis agentem in vlnis gestaret, ipsam vt Religionẽ mutaret, interpellarunt. Abnuit ipsa: quumque filiam à brachiis ipsius auellere vellent; eam quantum potuit, retinuit, gremium aperiens, vt mammam ei porrigeret: pectoreque denudato, sicarios alloquuta, Ecce, aiebat, corpus quod occidere; sed animæ meæ manum inferre non potestis. Hanc in manus tuas commendo, ô Pater cœlestis. Cùm filiam adhuc sinu teneret, sclopetto occisa, & pòst in quatuor partes dissecta fuit.

Antonius de Pratis, Sondrio-Montanus, homo prouectæ ætatis, cùm crebrò, vt religionẽ mutaret, interpellatus fuisset; inter alia, hæc verba protulit, Anima mea assumetur in sinum Abrahæ; & videbunt inimici mei, post mortem meam, Angelum Domini prope me. Nec mora: occiditur ipse, & reuerà hominis species, vestibus albis induti, supra corpus ipsius apparuit. Rem ita accidisse, circumstantibus, quorum multi Catholici etiam erant, atque ipsis quoque sicariis, fatentibus. Cùm hæc presbytero cuidam ab ipsis Catholicis narrarentur, ipse respondit, Diabolum se etiam posse in angelum lucis transformare.

Dominicum Bertum, Sondrio-Montanum (quòd forma referret Casparum Alexium, Concionatorem Protestantium Sondrij) asino imposuerunt, caudam loco habenæ in manum ipsi dantes; sicque per oppidum Sondrij circumduxerunt, clamantes, Alexi, Alexi! (qui tamen Alexius vna

cum

cum Georgio Jenathio, Carolo à Salis, Dauide Tſcharnero, & aliis, per horridas Alpes iam in Engadinam peruenerat) poſtea naſum & maxillas ei abſciderunt, eumque occiderunt. Theophilum de Monachis, dictum de Muſſinis, ſcloppetto tranſuerberarunt: cúmque ex vulnere non ſtatim moreretur; pyxidem pyrio puluere completam ori impoſuere, ipſumque admoto igni ſuffocarunt. Franciſcus Carolinus, qui, Monaſtico ordine abiecto, Proteſtantium Miniſter factus erat, ad retractationem coactus, & Mediolanum in carceres ductus fuit: ex quibus anno M.DC.XXII. euaſit. Paula Baretta de Schio, ditionis Veneto-Vicentinę, nobili familia nata, (quæ monialis olim fuerat, iam autem Proteſtantem Religionem amplexa erat) Sondrij, per ludibrium, impoſita capiti mitra, cui diaboli appicti erant, circumducta, & in cænum etiam deuoluta; cùm conſtans in confeſſione Proteſtantis Religionis eſſet, tandem Mediolanum deducta, & anno M.DC.XXI. viua cōbuſta fuit. Chriſtinam Ambriam, Magdalenam Merulam, cum Joanne Caratto, ex ponte Bufferti in Abduam proiecerunt. In Communitate Sondrienſi centum circiter & quadraginta perſonæ occiſæ fuerunt, inter quas viginti mulieres. Multi ſe in cryptas montium abdidere, qui radicibus veſcebantur: fame etiam aliqui perierunt. Cùm campellus (area eſt ad templum SS. Geruaſij & Protaſij) ſanguine conſperſus fuit, populus, Ecce vindictam, aiebat, ſanguinis Archipreſbyteri noſtri!

Die Martis, Caioli, Fauſtina à Salis, vxor Philippi Liurij, & duo mariti filij, cum Sara Peſtalozia, & filiola, occiſi fuerunt. Jo. Stephanus Moronus de Caſtiono, cum filio, verſus Vallem Maximi aufugerat, vbi etiam necati fuere. Imò frater Stephani, Carolus, qui ante aliquot annos Religionem mutauerat, ſe ipſum occidere voluiſſe faſſus eſt. Hunc Carolum in præda diuidenda Doctor Stephanus Pyrarius, Catholicus, occidit. Cidraſci vnicus Proteſtans, qui fuerat, interfectus fuit.

Die XXII. Julij, Joannes Guizardus litteras ad Bartholomæum Porettum Berbennum mittit; monetque, vt omnes Lutheranos ſine vllo diſcrimine ibi occiderent. Porettus,

etsi Catholicus esset, litteras Protestantibus ostendit, nec in Rebellionem, nec in lanienam consentire volens; qui proin ipse quoque mox à Joanne Marco Cattaneo Catholico occisus fuit. Hic idem Cattaneus, etiam Petrum Rinzettum, & ancillam Archipresbyteri Berbenni, Catholicas personas, interfecit. Baptista consororius meus, & Horatius, fratres, atque Octauius patruelis, omnes Parauicini, cum aliis in montem aufugerant. Habita fide à Seuerino Parauicino, Archipresbytero Berbenni, domum redierunt; vbi apud Archipresbyterum per aliquot dies custoditi, tandem Sondrium ad Jacobum Robustellum, qui se iam Gubernatorem Vallistellinæ scribebat, deducti fuere. Hic eos, hilarem vultum simulans, excepit: postea verò domum ire iussi, à sicariis, inter quos Petrus de Rubeis, dictus Marcadantus (qui etiam postea Petrum Brusigatum Catholicum, qui cibum in montem his Parauicinis tulerat, occidit) Petrus Carellus, & alij Polagienses erant, ad hoc subordinatis, in loco saxella, propè Sondrium, die xxv. Julij occisi, & corpora in Abduam deiecta fuere. Horatius se diu sine armis defendisse dicitur. Berbenni vndecim interfecti, inter quos quinque mulieres fuerunt.

Memorabile cumprimis est, quod & ipsis Catholicis, Bartholomæo Parauicino, iuuene quatuordecim circiter annorum accidisse commemorant, & qui iam Missam adiuerat. Hic Berbenni in platea propè saxum quoddam, quod saxum mali consilij dicitur, à Joanne Tomasetto scloppetto petitus, sed non læsus fuit. Postea à Jacobo Pontaschino malleo ferreo (passellum vocant) grauiter etiam percussus, & in ædibus deinde, in quas aufugerat, ab eodem Pātaschino, Martino del Prò, atque Antonio Crapella, ferreo malleo iterum & pugionibus, quos tamen ipsi infigere non potuerunt, sæpiùs reiteratis ictibus, totus contusus fuit. Cùm iam in cubiculo tanquā mortuus iaceret, post ex improuiso insurrexit, Angelosque Dei, virili & fœminea forma, conspicuos sibi apparuisse exclamauit: tandemque post septem dies mortuus est. Deinde propter prædam Berbenni Joannes Marauelia occidit Petrum Guarinonum: qui ambo Catholici erant.

Jo.Ba-

Jo. Baptista à Salis I.V.D. Saliensis, Prægallus, Rhætus, Sondrij habitans, septuagenario maior, per aliquot dies in ædibus Jo. Baptistæ Lauizarij custoditus fuit. Die XXIII. Julij à Doctore Paribello iuniore, & aliis ex domo euocatur; qui simulant, se eum in Prætorium deducere velle. Cùm iam ad Templum Sancti Geruasij & Protasij peruenissent, ab Alberto, famulo equitis Nicolini de Nicolinis, de Luero, Venetæ ditionis, qui etiam ibi erat, scloppetto transuerberatus, & aliis insuper vulneribus inflictis, interemptus, imposita collo corda, ad proximam fossam tractus fuit. Trahonæ, Caspani, & Morbenij, propterea quòd laniena per octo dies anticipata fuit, non multi interfecti fuere. Constitutum enim erat, vt Jo. Maria Parauicinus, Ardennas, Caspanum noctu cum sicariis veniret, & in ædibus Benedicti Parauicini, consororij, quæ proximæ sunt templo Protestantium, se contineret, donec Protestantes in concione essent, vt tum ibi eos mactare possent. Die ipsa Dominica XIX. Julij Doctor Antonius Maria Parauicinus paganos Ardennienses & Bulienses sub prætextu, ac si aliquot milites (erat enim Capitaneus militiæ) ex eis in album inscribere vellet, conuocauerat; negotium eis aperuerat, & eos ad arma capessenda hortatus fuerat. Adhæc die Veneris præcedente, noctu, triginta quinque sicarios (plerique ex Valle Intelli & Porletia, Mediolanensis ditionis erant) à Jo. Maria Parauicino sororio, Ardennense, missos receperat. Duos equisones, Arbonum, Rhetigoium, & Mauritium, Auerensem, Rhætos, propè Ardennum occiderunt, & equos retinuerunt. Præterea, die Martis Josuam, & Plinium, Hortensij Malacridæ filios, interfecerunt. Et iam ad locum Descum dictum, cum sicariis & rusticis Doctor Antonius progressus erat: sed cùm fama volaret, Rhætos aduenire, ea die Ardennum reuersi sunt.

Morbenienses, qui semper antea, ac si omnium pessimè contra Protestantes animati essent, suspecti erant, primi se intra terminos modestiæ continuerunt, & paucissimi, præter Nicolaum Malaguzinum, Capitaneum militiæ Vallis Bittensis, qui affinis Doctoris Antonij Mariæ Parauicini erat, de tractatu sciuisse dicuntur. Nam cùm iam rumor de

laniena increbreſceret, & præſidiarij ad valla (inter quos etiam multi Proteſtantes erant, qui tamen ibi à Catholicis non fuerunt violati) paulatim dilaberentur, & iam Sondrio à Victore Trauerſio, quid Joannes Guizardus in prætorio egiſſet, Joanni Trauerſio Prouiſori, patri ſuo, & Henrico de Hartmannis, prætori Morbenij ſcriptum eſſet; cùm iam ſe etiam propè ſolos viderent; ipſa die Martis ſub veſperam Clauennam petierunt. Aliqui Morbenienſes Catholici etiam Mutium Parauicinum, Miniſtrum Proteſtantium, vt tutò diſcedere poſſet, concomitati ſunt: nec verò etiam quempiam Proteſtantium, quin liberè abiret, illi impediuerunt. Rogoli autem, in Squadra Morbenienſi, poſt aliquot dies Joannem Confortum, Catholicum, eiuſdem loci, in flumine Abdua appenſo collo lapide ſuffocarunt, & ibidem Catharinam Scouaſciolam Catholicam in foſſam aquæ donec moreretur detruſerunt. Die Mercurij autem, ſummo mane, Joannes Guizardus, cum manipulo ſicariorum, prætorium Morbenij occupat, captiuum Jo. Petrum Camoſium, inſignem nebulonem, & homicidam, ex carceribus liberat, mobilia prædæ dat, & ſequenti die Veneris, quæ erat XXIV. Julij, Dominicum Paganum, dictum Lutherum, de Cermeledo, cum duobus filiis, Jacobo, & Petro, & ſorore Maria, in eodem prætorio, per ſuos trucidat. Thomas Magiſtrellus, octuagenarius, propè Mellum occiſus fuit. Die antecedente Jouis XXIII. Joannes Maria Parauicinus, Ardennas, cum Caperione Girardono de Oleſio, & magna ſicariorum manu, Dubinum appulit: vbi Jo. Petrum Malacridam, & vxorem eius, Elizabetham Parauicinam, cum filiola trimula (quam ex cunis ſublatam, & per pedes comprehenſam ad murum illiſere) crudeliter mactarunt. Andream Parauicinum Caſpanenſem tandem, cùm diu latuiſſet, Morbenij die XXV. Auguſti viuum concremarunt.

Ipſa die Dominica XIX. Julij vt diximus, ad deſtructum caſtrum Plattamala cuſtodias poſuerant, pontes abrupe-rant; & eò etiam cum aliis ſe contulerat ipſe Robuſtellus. Porrò cùm iam Bruſij, & Peſclauij, laniena innotuiſſet; ea ipſa die Antonium Leſſium, & Franchinum Laquam, duos

Catholi-

Catholicos Pesclauienses, ad Robustellum misere: qui deinde retulerunt, Robustellum petere duo; Abolitionem, nempe, præteritorum; & vt nulli Protestantes in Valletellina habitent: in reliquis ad obedientiam (scilicet) redituros Voltureno. Die verò Martis XXI. Julij, cum iam Engadini aliqui Pesclauium venissent; Constantinus Planta (cuius vxor, & coniunx defuncta Robustelli ex fratre & sorore natæ erant) ad eundem Robustellum ad Plattammalam iuit: vbi cùm aliquantùm colloquuti essent, factum ipsi Constantinus exprobrasse dicitur. Robustellus verò minas eructasse; nempe adhuc hoc vesperi Rhætos visuros, quid facere possit. Et verò, assumpto numero suorum hominum nefandorum, quibus deinde se etiam coniunxerunt aliqui Brusienses (illi præsertim, qui sunt ex vicinia *delle Celende*, quorum caput Antonius Paganinus) Voltureni proximi, in Rhætiam ipsam irruunt, & statim Brusij ignem ædibus Prætoris, Antonij Muntij, Petri Augustini, & aliorum vicinorum iniiciunt: vt hac, & sequentibus diebus, viginti domus combustæ fuerint. Cùm iam ignis ædes Pedrotini del Isepo, Ministralis Brusiensis, Catholici, quæ contiguæ domui Protestantis cuiusdam erant, pertingeret; exclamauit ad Robustellum, Hæc non sunt pacta (hinc omnes coniiciebant, iam antè inter illos tractatum fuisse) quæ nobis promisisti. Robustellus respondit, Pro vno solido tibi tres retribuemus. Protestantes ibi viginti septem, inter quos Magdalena Moneta octuagenaria erat, occisi fuere.

Die Mercurij sequenti, cùm Pesclauienses iam militem suum ad Casacciam (Turris ad lacum est) produxissent; Prætor, Jo. Antonius Andreoscia, ad pagum Meschinum, qui in exitu lacus versus Brusium est, missus fuit ad Robustellum; qui idem propositum, quod Lossio indicarat, repetiisse dicitur. Voltureni Meschini castrametati erant; sed à Pesclauiensibus crebris tormentorum ictibus inde pulsi fuere.

Protestantes Voltureni plerique à laniena superstites in Heluetiam profecti sunt: vbi (Tiguri cumprimis, Geneuæ, & Sancto-Galli) humaniter excepti, subleuati, & sustentati fuere.

Bormij res per paucos tractata fuisse dicitur. Inter hos præcipui erant, Archipresbyter Camillus Folianus, cum fratre Jo.Baptista, Capitaneo Militiæ; qui die Veneris antè ex Volturena à Robustello domum reuersus erat: item Nicolaus Imeldus, Luitprandus Sermundus; duo Doctores Medicinæ; Joachimus Imeldus, & Balthasar Casolarius. Jacobus Venosta, Grosiensis, cum aliquibus sociis, vt Prætorem Rhætorum, Christianum Florium, occideret, venerant. Sed prætor, à Nicolao Imeldo Officiali admonitus fuit, vt fuga sibi consulere potuerit. Unicus Protestantium, Religioni, in oppido Bormij, Jo. Petrus Fugarolus, nomen dederat; qui circiter mensem pòst à prædictis duobus Medicinæ Dd. & Jo. Antonio Foliano, occisus fuit. Engadini Superiores, cum nuntij certi de rebellione, & laniena in Volturena aduenissent; Cancellarium Joannem Schuckanum, Zuziensem, cum famulo Bormium versus miserunt, qui eos, vt Dominis suis Rhætis fidem seruarent, exhortaretur. Hic, cùm Terraplanum, non procul à Bormio, venisset, obuios ibidem habuit dictos Jacobum Venostam, Doctorem Casolarium, Jo. Abundium del Lino, Hieronymum Suttum, & alios. Venosta occidit famulum: ipse autem Schuckanus, etiamsi in facie à Casolario globo tormentario læsus esset, se strenuè defendit: Abundium del Lino in manu vulnerauit; & Venostam, & alios, iam in fugam egerat: sed à tergo ab Hieronymo Sutto gladio transfixus fuit. Terræplani, iussu Nicolai Imeldi, in templo sepultus fuerat; sed postea iterum ex sepultura, mandato sacerdotum, extractus fuit.

Die Veneris XXIV. Julij, Marcus Antonius, & dictus Jacobus Venosta, à Robustello, vti Gubernatore, & Volturenis, deputati, Bormij in templo SS. Geruasij & Protasij, ad magnum altare, fœdus cum Nicolao Imeldo, & Baptista Foliano, vti Bormiensium deputatis, sanxere. Vbi, inter alia, Voltureni Bormiensibus expensas omnes resarcire promittunt; & regiones, si quas conquirant, ad quotam & ratam, vt dicitur, partiri.

Voltureni, postquam etiam Bartholomæum de Turre, prætorem Trahonæ, Rhætum Catholicum, expulissent; re-

rum

rum iam potiti, alicubi depicta insignia Rhætorum delent, nouum gubernandi modum instituunt: iamque cùm in prædis, tùm in munitionibus, in loco Prouescij præsertim, qui in Ostio Abduæ est, & alibi quoque, toti occupantur. Die XXIII. Julij aliqui Morbenienses, institores plerique, Caspanum petunt, domus protestantium ibi spoliaturi: sed Catholici Trahonenses, & Caspanenses se opponunt. Ad arma cùm deuenissent; quinque ex Morbeniensibus occisi fuere. Interea verò dum isti pugnarent, aliqui protestantes, qui iam occidioni destinati erant, fuga, per montem, Clauennam versus euasere.

Nuntium de laniena die Lunæ XX. Julij summo mane Clauennam perlatum est. Ubi tum, nulla interiecta mora, nos Rhæti, qui ibi eramus, in Vallem Misaucinam, per montem Furculam, vbi Rhætorum exercitum adhuc inueniri posse putabamus; itemque Curiam, & in Prægalliam, ac Engadinam, misimus. Sed Misauco omnes, præter præsidiarios, discesserant. Ipsa die Dominica Clauennam Misauco venerunt circiter centum Prægalli Subportani: quos ad diem vsque Mercurij summis precibus retinuimus. Moniti enim eramus, Christophorum Carchanum, qui toto Lario lacui, vti Præfectus maior vigilum (*Sargente maggiore*) præpositus erat, atque etiam sicarios Joannis Mariæ Parauicini, Clauennam cogitare. Prout posteaque ex epistolis Doctoris Ant. Mariæ Parauicini, Trahonæ inuentis, apparuit, Rebellibus propositum fuisse, etiam Comitatum Clauennæ inuadere. Nam, aiebat Doctor ille, Clauennam occupare maximè expedit; tùm, vt transitus vltramontanis occludatur; tùm verò etiam, propter magnam prædam, quæ ibi acquiri, & militi animum augere poterit. Capitanei, Joannes Sprecherus, frater meus, & Jacobus Ruinella, Misauco Clauennam, die Martis, XXI. Julij, sine milite tamen, venerunt. Die Mercurij verò sub meridiem à maleuolis quibusdam falsus rumor Clauennæ sparsus fuit, Fabium à Præpositis in Prægalliam cum milite irrupisse, & iam pagum Casaceiam combussisse. Prægallienses ergo, à suis, vt domum veniant, admoniti, eò ex improuiso profecti sunt. Nihilosecius nos ab initio, assumptis militibus Comitatus

Clauennæ, custodias ad saxum Corberij (propè ostium Abduæ est) Nouati, ad ripam Mezolæ (ibi porticus reponendis mercibus, & vna caupona est) & ad locum, Archetus dictum, qui ab altera parte lacus est, necnon in monte Paiedi (vnde etiam transitus ex Ducatu Mediolanensi in Comitatum Clauennæ est) distribuimus: prætereaque in oppido ipso excubias sedulas agi curauimus. Adhæc à Prouisore Venetorum, Andrea Paruta, per Nicolaum N. natione Gallum, qui Legato Petro Vico seruiebat, & iam in itinere versus Bergomum erat, ore tenus petiuimus, vt Rhætos, & Heluetios, qui ipsis militabant, dimitteret, vt nobis auxilio venire possent: qui nuncius num Prouisori hæc indicauerit, ignoro. Eadem de causa Franciscum Borellam, Bergomatem, pòst quoque misimus: qui tamen deinde à militibus Carchani detētus fuit. Sic quoque litteras bis terve per Misaucum, & Luganum, ad Venetum Magistratum, qui Bergomi erat, eadem de re exarauimus: sed nihil responsi accipere potuimus.

Die Jouis XXIII. Julij, tandem, sub vesperam, ducenti & septuaginta octo milites sub Johanne Vissio, Curiensi, & Joanne Fauschio, Rhetigoio, qui Capitanei Præsidij Misaucienſis destinati erant, Clauennam ingressi sunt. Risius Hungarus ipse quoque, ex Capitaneis Præsidij erat; sed milites ferè nullos habebat. Rumor iam etiam in Rhætia sparsus, magnum numerum militum Austriacorum versus Cliuum S. Lucij tendere. Proinde magna pars eorum, qui Misauci erant, non statim Clauennam versus, etsi à nunciis nostris admoniti essent, venere. Eadem die Jouis XXIII. Julij, Jo. Maria Parauicinus, Ardennas, cum milite suo excubias nostras ad saxum Corberij (erant ibi milites 40. ex Comitatu Clauennæ) aggressus est. Ast nostri ne scloppettum quidem explosisse dicuntur. Interrogati, num Catholici essent; cùm affirmarent; viginti ex eis capti, & Soricum ducti fuere: cæteri dilapsi sunt. Joannes Maria ibi præsidium ex suis, inter quos multi Comenses erāt; quibus præerat Aquilifer N. Rusca, collocauit. Interim Clauennæ Jacobo Schmid à Grueneck I. V. D. & mihi, munus Prouisorum rerum bellicarum demandatum fuit. Militia Comitatus Clauennæ,

uennæ, ciuesque, atque incolæ, fidelitatem Rhætis Dominis suis, præstito solemni iuramento, promptè obtulere.

Die XXIV. Julij, nostri, qui Misauco venerant, ad Ripam Mezolam se contulerunt. Jamque eo ipso propè momento caterua sicariorum, quos filius Alphonsi Ripæ de Sorico, Clericus, ducebat, Nouatum venerat, vt domum Andreæ Costæ protestantis spoliarent. Nostri ergo, ductoribus Joanne Sprechero, Jacobo Ruinella, Joanne Vissio, & Fauschio, Nouatum tenderunt: vbi parum abfuit, quin sicarios comprehenderent: partem prædæ recuperarunt. Nouatenses pleriq; versus Vallem Coderam auffugerant: ad quos Baptista del Gianno, Nouatensis Catholicus, à Rhætis missus fuit, vt iterùm in pagum redirent: ast Petrus Martyr, Ferrarius, dictum Baptistam scloppetto transfixit.

Curiæ interim comitia conuocata. Petrus Vicus, Legatus Venetus, coram Triumuiris comparens, nomine Reipubl. suæ, si amicitiam ipsius desiderent, offert, se diligenter partes suas adimpleturum, & Reipublicæ omnia significaturum: se sperare certò eandem Rhætis non defuturam. Præsides gratiis actis, respondere, Se nulla adhuc hac de re à Communitatibus mandata habere. Legatus ergo Tigurum reuersus est. Tabellarius quidam Venetus, à Vico Tiguro Venetias missus, in Valle Brennia Helueticæ ditionis ab aliquibus proscriptis Misaucienfibus retentus quoque fuit. Cæterùm, rumor ille de milite, qui versus Cliuum S. Lucij venire debebat, hunc exitum habuit. Fridericus, Baro à Thieffenbach, instinctu Maximiliani Mori, ab Hērico Helmlio Lucernensi, præfecto Sarunetum (*Sargans*) in Thermis Fabarianis captus cùm fuisset; Joannes Palus, Capitaneus Austriacus, cum milite aliquo ad castrum Gutenberg venerat, vbi Thieffenbachius ipsi consignatus fuit.

Senatus Rhæticus, Gregorium Meyerum, Consulem Curiensem, ad Casparum Comitem Alto-Amisianum, qui præfectus Comitatus Velcurij pro Austriacis erat, misit, vt eius animum, atque intentionem, cognosceret. Inde verò nonnisi bona verba, & quòd Austriaci fœdus hæreditarium seruare velint, retulit. Ad Helueticos etiam litteræ de la-

niena & rebellione horrenda ſcriptæ; ſed expreſſa auxilia non petita fuere. Decem Juriſdictionum autem fœdus, à Tigurinis, & Bernatibus, & Glaronenſibus, expreſsè, ſeparatim ſcriptis litteris, auxilia petijt.

Die Sabbathi XXV. Julij, Sexamnienſes, & Vallis-Rhenani, circiter trecenti, quibus præfectus erat Frilius Fumianus: item Foueani, quos Capitaneus Chriſtophorus Montalta, ſenior, & Commiſſarius Caſpar Schmidt à Grueneck, ducebant: item Tuſcienſes, & Montani, quibus præfectus Caſparus à Schauenſtein, fuit: denique Furſtenouiani, & Ortenſteniani, quibus Capitanei dati Jacobus Ruinella, & Commiſſarius Ludouiſius à Caſtelmuro, Clauennam venerunt. Die Dominica ſequenti, Curienſes, quorum Capitaneus Michael Finerus; itemque Rhætienſes, Alto-Triniani, & Flemiani, ductoribus Stephano Mucklio Amiſiano, & Jacobo Calandro, Alto-Triniano, etiam Clauennam ingreſſi ſunt. Et poſt, die Lunæ, Supraſaxenſes, quorum Capitanei Lucius Scarpatectus, & Caſpar Friſchius erant, aduentarunt. Prægalli, tàm Supra-portani, quàm Infra-portani, circiter trecenti, Clauenna repente diſceſſerant. Die Veneris autem XXIV. Julij, ductoribus Colonello Baptiſta à Salis, & Capitaneo Theodoſio à præpoſitis (aderat etiam Capitaneus Ulyſſes à Salis) Vallem Malenchi, cum aliquibus proteſtantibus, ingreſſi ſunt; vbi pontes vbique fractos tranſituſque occluſos inuenerunt. Cùm Volturenis, qui ibi erant, aliquantùm certarunt. Vicoſupranus quidam in fœmore globo tormētario ſauciatus, poſt ex vulnere obijt. Ex hoſtibus tres quoque deſideratos fuiſſe dixere. Poſt ad montem dell' Oro, vt ibi tranſitum cuſtodirent, reuerſi ſunt.

Die Martis XXVIII. Julij, manè conſilium bellicum Clauennæ, quò etiam venit Fortunatus à Juualta, præſes Engadinæ ſuperioris; & Chriſtophorus Lhenerus, à Triumuiris Curia miſſus, habitum fuit. Deliberatum, inter alia, cum milite omni, qui tamen numerum mille quingentorum hominum non excedebat, verſus Vallemtellinam ſtatim mouere. Jacobus Ruinella, Locumtenens Colonelli (nam Gulero Seniori officium primarij Ducis reſeruabatur) & Capitaneus

taneus Michael Finerus, Centurio maior (*Sargentus* maior) creati. Adhæc ad Regem Christianissimum, atque ad vniuersam Heluetiam (quod tamen Curiæ mutatum à Deputatis Trium Fœderum, & tantum ad protestantes ciuitates, Glaronenses, & Valesianos, scriptum fuit) litteras dare, & expressa auxilia efflagitare, constitutum. Ad Ducem Feriæ per Franciscum Oldratum Clauennensem epistola, amico stylo concepta missa, qua; rebellione, atque laniena descripta, petitum, ne rebellibus milite aut commeatu auxilia suppeditaret; eosque etiam, qui ex Ducatu Mediolanensi in Vallemtellinam milites profecti erant, reuocaret. Promissum vicissim, nos bonam vicinitatem cum Ducatu Mediolanensi culturos. Porrò Proclamà (vt vocant) Germanico, & Italico sermone publicata fuit; prohibitumque, ne quis, sub pœna corporis, templa spoliare, atque Ecclesiasticos homines vllò modo offendere ausit: vtque arma tantùm contra resistentes, & hostes expediantur. Die Martis centum circiter Aceriani Rhetigoij, ductore Barone Rodolpho à Salis, aduenerunt; qui Clauennæ nihil morati, statim Nouatum ad cætera signa militaria, quæ iam Clauenna discesserant, se contulere. Aluonouani, & Coruantij, qui iam etiam appulerant, circiter ducenti, ad ripam Mezolæ castrametari iussi fuere.

Cæterùm via ordinaria iuxta Lacum à rebellibus abrupta cùm esset; de modo montem & hostem superandi, consilium initum; adeoque Jacobus Ruinella, & Finerus, assumptis aliquibus Campodulcinensibus, (è quibus Jacobinus quidam viarum peritus erat) per crepidinem montis cum trecentis circiter die Mercurij XXIX. Julij, paulò post diluculum, hostes incautos ad Saxum Corberij aggressi sunt. Primus, quem ex hostibus reperiere, à dicto Jacobino scloppetto occisus fuit; tres alij mortui, & quinque ex eis sauciati. Ex Rhætis, Christianus Antonius de Erascha, Curiensis, cùm caligas Italico more cõfectas haberet, à Tumiliascensibus non agnitus, interfectus fuit. Aquilifer Rusca, Frãciscus Casamarra, & Girardonus, ductores hostium, qui circiter ducenti erant, primi fugã capessere visi sunt. Capti ex hostibus duo, qui dicebant, se Mediolani sub Comitis

Joannis Serbelloni legione nomen militiæ dediſſe, & ad extirpandos Lutheranos in Valletellina, & tota etiam Rhætia, deſtinatos fuiſſe. Prædam quadraginta duorum moſchetorum, loricarum quinque, itemque veſtium & eſculentorum nonnullorum, nacti ſunt. Porrò hoſtes aliqui ad aggeres in Proueſcio adhuc ſe continebant: quos etiam miles Rhæticus, vbi aliquantùm ex itinere refectus fuiſſet, adortus, profligauit. Joannes à Capaulis, Flemianus, in brachio ſauciatus fuit. Duo equi, quos hoſtes Proteſtantibus Volturenis furati erant, recuperati fuere. Iter autem ordinarium, propter frequentes tormentorum maiorum ex fortalitio Fontæo eiaculationes, Rhæti non ſunt ingreſſi; ſed verſus S. Julianum per montem tenderunt. Ubi, præ nimio æſtu Thomas à Caſtelberg, Vexillarius Juriſdictionis Foueanæ, cùm lorica indutus etiam eſſet, exſpirauit. Dubini, & in vicinis locis, hac nocte caſtrametati ſunt. Die autem Jouis ſequenti, cùm cognouiſſent, Volturenos maiores vires ſuas ad pontem Mantelli (aggeres ad S. Petrum infra Coſium iam deſtruxerant) congregatas habere; Griſæi per montem verſus pagum Ruſterlani; Curienſes autem, Furſtenouiani, & Aceriani, recta ad pontem Mantelli progreſſi ſunt. Aceriani primi hoſtes aggreſſi ſunt, ſtatimque ſubſecuti alteri. Voltureni, & miles exterus (inter quos Tiberius Robba, Adiuua, primus terga vertiſſe dicitur) poſt aliquam ſcloppettorum exploſionem in fugam verſi fuere. Atque ponte ibidem ſuperato, Joannes Guizardus aſſeres aliquot tolli iuſſerat. Sed Aceriani aliqui (inter quos Chriſtianus Pernierus, vexillum vna manu tenebat, altera vnum ex hoſtibus gladio vulnerabat) vltra pontem hoſtes inſecuti ſunt. Ex hoſtibus vnus, ruſticus Volturenus, globo tormentario tranſuerberatus fuit. Octo bombardas (caualletos vocant) Rhæti ibi nacti ſunt. Ex eis duo Aceriani, Joannes Teſcherus, & Michael Vundererus, ſcloppettis occiſi. Id quod incuria Griſæorum factum putatur: qui, dum ex monte ſcloppettos exonerarēt; Aceriani medij inter ipſos, & hoſtes erant. Quatuor etiam Aceriani, dum pulueren tormentarium ab hoſte relictum diuidere vellent; caſu, cōcepto igne, grauiter læſi fuere. Hoſtes verſus Colicum auffugerunt:

fugerunt: atque in itinere deinde, cum prædam in Valletellina partam, diuidere vellent; ad arma milites Doctoris Antonij Mariæ Parauicini, & Girardoni, venere; atque aliqui occisi, & multi sauciati fuere. Rhæticus miles adhuc ea die, relicto aliquo præsidio ad pontem Mantelli, Trahonam, vnde omnes mares auffugerant (Morbennium quoque occupare debuissent) tendit. In domo Thomæ Parauicini, Protestantis, vbi hospitium sibi sumpserat Doctor Antonius Maria Parauicinus, multæ epistolæ, multarumque apographa, inuenta fuere: inter alias vna, quæ ad Julium Turrianum mitti debebat; in qua gloriabatur, quòd illud, quod ante septemdecim annos (tempore nempe constructionis arcis Fonteæ) tractatum, iam demùm fœliciter executioni mandatum fuerit. Sanctum consilium nuncupat, & honoratam actionem; cui Deus ita benedixerit, vt nulli Catholici mortui, hæretici omnes, aut occisi, aut conuersi sint. Nunc sibi videri, tempora S. Lactantij rediisse, quando gentes conuertebantur. Repertum ibi etiam est exemplum commentitij cuiusdam scripti, sub titulo, Consilium Ministrorum Rhæto-Venetorum, ilantij, M.DC.XX. die XV. Junij habitum. Hoc, inquam, ementitum, ac fictum erat, ad imitationem alterius effícti scripti publicati (Casparum Scopium aliqui authorem dicunt) sub titulo: Instructio secretissima Gallo Britanno-Bataua, Friderico quinto, Comiti Palatino, Electori, data &c. Principium vtrinque idem erat; nempe; Jacta est alea: ingressi sumus Rubiconem, &c. Porrò, scripto illo author fingebat, Ministros protestantes Rhætos, sollicitos de retinendo gubernaculo Reipublicæ, spem maximè in Engadinis suis ponere; sed simul etiam ab eis sibi timere. Subiungebat tandem, Ministros rem suam saluam fore putare, si trecenti ex primoribus Rhætis morte aut auxilio mulctarentur. Ministri protestantes deinde scripto se purgauerunt, & falsitatem auctoris satis redarguerunt. In ædibus Doctoris Fabricij Parauicini, Trahonæ, tria vexilla militaria; atque in prætorio, inque proximis ædibus, aliqui moschetti maiores, & copia pulueris, plumbi, & funiculorum scloppettariorum, inuenta fuere. Incolæ multi iterum ad ædes suas

rediere: quorum nullus læsus fuit. Die sequenti Veneris XXXI. Julij, Capitanei, Michael Finerus, Rodolphusà Salis, & alij, assumpto manipulo militum, Pontem Gandæ (qui est supra Abduam, infra Morbennium) petunt, excubias rebellium pellunt, & duodecim cauallettos (vt vocãt) cũ cætero apparatu militari nanciscũtur, pontẽ milite muniunt: deniq; Gallum in Riedt, Vallis-Rhenanũ, cùm tympanista, Morbennium mittũt, petuntque vt se dedant. Sed milites, vti etiam incolæ, ferè omnes auffugerant. Solus Joannes Regazinus, qui mentis nõ compos, assumpto tympano, nocte antecedenti, & sequentibus etiam, per oppidum, illud pulsans, circumiuerat. Capitaneus Ludouicus Castellus, cum Gallo aliquantùm collocutus, pòst ex oppido discessit. Interea caupo quidam Paulus, ex ditione Bergomensi oriundus, Gallo vini haustum porrigens, eum admonuit, vt non diu tardaret. Nam mox quadraginta equites, pro quibus cœna paretur, aduenturos. Cùm iam Gallus ad pontem Gandæ satis tardè rediret; Finerus, & B. Rodolphus à Salis, cum circiter viginti aliis, Morbennium versus tenderunt: qui, cùm iam ad oppidum venissent, obuios habuere illos equites, quos Locumtenens N. Gariboldus, Mediolanensis, cum quo etiam Georgius de Constantinopoli Capelletus profugus, erat, ducebat: atque cum his etiam quadraginta moschettarij sub Sergente Vallono erant. Ubi tùm nostri, numero victi, recessere: duobus, Abrahamo Sellario, Curiensi, & quodam Vallis-Rhenano, ex nostris desideratis. Jacobus Schmidt, Parpanensis; & Joannes Huotterus, Curiensis, sauciati fuere. Porrò in Vallemtellinam iam quoque venerant Vatienses superiores, Cathedralis; ac Vurtiani, & Laaxienses, Fœderis superioris incolæ. Hostes, inter quos Jacobus Simon, quidam Discertino-Grisæus, Rhætus (profugus quoque erat) audaciores facti, explicitis signis ponti Gandæ appropinquarunt. Atq; tum scloppettis tota etiam die Sabbatthi certatum fuit. Ex hostibus tres, & equus vnus, cecidit: ex nostris nullus desideratus fuit.

Sed historia requirit, vt etiam quæ in aliis partibus acta sunt, narremus. Dauosiani, Cœnobiani, Castrenses, ac

Scanauicani,ad quos iam Gulerus ſenior maiori cum militum numero,venerat,in Engadinam ſuperiorem tẽderunt. Engadini autem aliqui ſuperiores,atque Berguenienſes,quibus aliqui Dauoſiani,& Rhetigoij, ductoribus Paulo Buolio ſeniore, & Florio Sprechero,fratre meo,adiuncti fuere, Peſclauium verſus iam profecti erant. Gulerus ſe, cum milite ſuo,cum Prægallienſibus coniunxit. Qui die Sabbathi, prima Auguſti,Vallem Malenchi ingreſſi, cuſtodias rebellium pepulere: cumque ad locum, Eccleſia dictum, deueniſſent, inuenerunt ibi Volturenum Malenchenſem, Proteſtantem,modò tunc à rebellibus interfectum. Ira itaque commoti milites aliqui priuati, ignem (contra mandata Capitaneorum) tribus rebellium ædibus iniecerũt. Actius Beſta, qui Volturenis rebellibus,& militi extero ibi præfectus erat, ſemper primus in fuga fuiſſe dicitur. In ingreſſu oppidi Sondrij,ſicarij illius Beſtæ Lucretiam, & Catharinam de Marlianicis, ſorores, quæ iam Miſſam etiam frequentaſſe dicebantur; & in montibus Alboſagiæ Hippolitum Balbienum, Catholicum,& Annam Fogerolam Proteſtantem, occiderunt. Die Dominica ſequenti, ſummo manè, Rhæti oppidum habitatoribus (qui plerique cum milite verſus Alboſagiam auffugerant) ferè vacuum occuparunt. Petrus Antonius Cerdo,cum ſcloppettum adhuc manu teneret; à Proteſtante Valtellino interfectus fuit: reliqui habitatores,qui aderant,ſupplices facti,veniam obtinuerunt. Aliqui Proteſtantes in carceribus prætorij detenti,inediaque ferè conſumpti, liberati fuere. Cæterùm miles Rhæticus eò loci quinque cohortium erat: vna Prægallenſium,cui Colonellus Baptiſta à Salis præerat: altera, Dauoſianorum,quam Buolius regebat:(Gulerus ſenior autem, vt diximus, Dux primarius erat) tertia, Cœnobiana, ſub Martino Graſſo: quarta, Caſtrenſis, ductoribus Florio Sprechero, & Chriſtiano Florio: quinta, denique Scanauicẽſis,cuius Capitaneus Uldricus Buolius erat. Numerus omnium millenarium vix excedebat. Dum Officiales in prætorio congregati eſſent; miles oppidum deprædatus fuit. Die ſequenti Lunæ, Capitaneus militiæ Sondrienſis, Doctor Fabricius Lauizarius, habita fide, Sondrium ve-

niens; ſpem faciebat, populum libenter ad obedientiam rediturum, venia omnibus, prӕterquàm primis authoribus, promiſſa: qui tamen Alboſagiam, vbi populus ſe continebat, profectus, non redijt. Interim Joannes Roueda, Bruſienſis, Joannem Antonium Interiortulum, Catholicum, qui Sondrium venerat, cùm de frumento altercarentur, quod Interiortulum ſocero ſuo abſtuliſſe Roueda dicebat, occidit: quo facinore Gulerus maximè offenſus fuit.

Cùm mihi Gulerus ex Engadina ſuperiori de deliberatione occupandi Sondrium ſcripſiſſet, diemque Dominicam etiam nominaſſet: die Sabbathi antecedenti in Volturenam profectus ſum, vt eadem die (hoſtibus in diuerſas partes diſtractis) Morbennium etiam occupare poſſemus. Placuit deliberatio militi qui Trahonӕ erat. Proinde, oppido Trahona per Sexamnienſes, & Vallis-Rhenanos cuſtodito, ad pontem Gandӕ, vbi Jacobus Ruinella, cum cohorte ſua, in excubiis erat, tendimus. Hoſtes iam numero aucti erant. Nam Petrus Ciapianus, Locumtenens turmӕ equitum Capitanei Joſephi Giraldi; item pedites aliquammulti, ſub Joanne Campaccio, Comenſi, & Sargente Migna, cohortis Philippi Serbelloni, qui poſtea Tiranum, & Bormium verſus miſſi ſunt, Morbennium aduenerant. Atque in campis infra Morbennium equitatus iam comparebat: vbi caſu fortuito, cùm Rhӕti hoſtes petere vellent, Michael Brandus, Rhӕtus, famulus Hartmanni Plantӕ, ab vno ex eis, mali ominis ergo, vulneratus fuit, poſteaque ex vulnere obijt. Griſӕi, vti in fœdere primi, etiam primi in acie ſtare volebant: quos Equites Giraldi cùm laceſſerent, iamque ipſi intempeſtiuè ſcloppetta diſploſiſſent; equites per medios Griſӕos Rhӕtienſes, Alto-Trinianos, & Flemianos, irruerunt; atque leuiſſimo & feſtinanti curſu (caracollum vocant) cùm eos aliquantum diſſipaſſent, ſe equites illi ad caſas proximas contulerunt; vt ſcloppettis paratis ad prӕlium redire poſſent. Rhӕti nondum omnes, prӕſertim aliqui ex Acerienſibus (qui ex his cum Curienſibus, & aliquibus Griſӕis, pontem ſuperarant, firmo pede contra hoſtes ſteterunt, nec hoſtis ad prӕlium redire auſus eſt) tranſ-

transuecti erant. Duos equos, vnde hostes deturbarunt, Rhæti nacti sunt. Unus ex hostibus etiam occisus. Ex Rhætis occubuere tres, nempe, Capitaneus Stephanus Mucklius, Georgius Matthias, & N. de Caflis. Quindecim vulnerati fuere: quorum tamen nullus ex vulneribus obijt. Morbennij, vt postea ex tympanista Germano cognitum fuit, se ad recessum omnes, ipsi etiam equites, qui sarcinas & vidulos suos equis impositos habebant, parauerant: sed cùm irritus fuisset Rhætici militis conatus; animos resumpserunt. Furstenouianis Curienses quoque, excubiarum agendarum causa, ad pontem Gandæ adiuncti fuere: reliqui in castra Trahonam rediere. Die sequenti Lunæ III. Augusti, Præsides Trium Fœderum, Jo. Simeon Florinus, Lucius Belinus, & Joannes Petrus Gulerus, Trahonam venerunt. Unde postea die sequenti IV. Augusti, instructio Gregorio Meiero, Consuli Curiensi, missa, (ipsi postmodum adiunctus fuit Rodolphus à Salis, Malansianus) vt ab Heluetiis, Tiguro, Berna, Glarona, & Valesianis (qui Cantones cum omnibus Tribus Fœderibus perpetuo fœdere iuncti sunt) sex mille militum áuxilio quàm maximè diligenter sollicitaret. A Venetis etiam, litteris proin ad ad illos datis, quinquaginta millia aureorum mutuo petita. Litteræ verò, num tuto ad illos perlatæ fuerint, ignoro: responsum enim non receptum fuit. Cæterùm Dux Feriæ ad illas nostras, de quibus supra diximus, responsione dada, se excusauit, Quòd rebellionis & lanienæ nullatenus particeps fuerit. De reliquo, quam amicitiam cum Ducatu Mediolanensi coluerimus, nos ipsos probè scire: se tamen bonam vicinitatem non respuere. Interim Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ, ipso quoque sanguine suo, ad inseruiendum se obligatum esse.

Die ergo Mercurij V. Augusti, Clauenna litteræ, publicis Trium Fœderum sigillis munitæ, per eundem Oldratum ad Ducem Feriæ missæ fuerunt. Iis significauimus, Nemini vim quoad conscientiam, nec in aliis rebus, illatam fuisse: nosque libertatem vtriusque Religionis sartam tectamque cupere. Atque, vt mutuæ amicitiæ studeret, nec Rebelles nostros vlla re adiuuaret, petiuimus. Querela addita erat,

quòd ex arce Fontana Hiſpani milites tormenta maiora bellica contra noſtros tranſeuntes exonerauerint. Ille mox ad eaſdem reſcripſit, Juris bellici eſſe, cùm exercitus aliquis propè fortalitium aliquod tranſit, & Gubernatorem priùs tranſitus ſui non certiorem reddit, vt tum huiuſcemodi minùs amica ſalutatione excipiantur. Atque in his iterum ſuam verſus Eccleſiam Romanam dèuotionem prędicat. Triumuiri, Clauenna Paulum quoque Florinum, ad Diſertinos, & Leguntinos, miſere, vt illi præſto etiam cum ſuis in caſtra venirent. Jamque eadem de cauſa Gregorius Gugelbergerus, cum alio quodam ex Fœdere X. Juriſdictionum, ad eoſdem miſſus fuerat. Atque Diſertini iam in Vallem Leguntinam vſque, & Leguntini aliqui in Vallem S. Petri peruenerant, vt in Vallemtellinam venirent: verùm ibi à proſcriptis aliquibus Rhætis, ne vlterius proficiſcerentur, impediti fuere. Nam proſcripti illi Rhæti, qui ex Valle Miſaucina iam, vt diximus, pulſi erant, in eandem Vallem ingreſſi ſunt, vbi (Rogoreti) Capitaneus Valens Ragazinus, ab illorum ſatellite vno, Joanne Dominico, interfectus fuit. Joannes Antonius Gioerius, die prima Auguſti, litteris ad Leguntinos exaratis, narrauit, verum quidem eſſe, quòd miles Rhæticus in Vallemtellinam ingreſſus ſit; ſed eundem non procul à Dalebio, ab equitatu extero, & Volturenis, circumdatum fuiſſe, atque ſexcentos ex Rhætis cecidiſſe. Proinde eos exhortatus eſt, ne ſe in hoc periculum coniicerent: præſertim cùm Voltureni ſe offerant cum Catholicis Rhætis viuere, & mori velle. Addebat præterea, Rhętos indignabundos Clauennam reuerſos, viginti duos Sacerdotes Catholicos ibi occidiſſe. His mendaciis populus miſerè deceptus fuit.

Doctor Jacobus Paribellus à Volturenis in Heluetiam ad Catholicos miſſus, in itinere Caſtillione cum proſcriptis quibuſdam Rhætis collocutus fuit. Præterea à Robuſtello litteras ad Sebaſtianum à Caſtelberg, Abbatem Diſertinenſem, & alios Rhætos Fœderis Griſæi, habuiſſe dicitur, quibus rebelles ſimulabant, ac ſi ſe Rhætis iterum ſubmittere vellent: hæc enim ſe tantùm ad extirpandam hæreſin perpetraſſe.

Anno

Anno M. DC. XXI. V. die Aprilis, in Monasterio Disertinēsi, inter alias epistolas, ad Abbatem scriptas, inuentæ fuere duæ: Una, Ludouici Saregi, Episcopi Hadriæ, Nuntij Apostolici in Heluetiis, anno M. DC. XX. mensis Augusti die XVII. Lugano scripta, in qua inter alia, Nunc tempus esse, aiebat, Vesperum Sicilianum cum Ministris Lutheranis, sicut illi cum prælatis, & Sacerdotibus Catholicis voluerint, celebrandi. Cumque maior pars hæreticorum Rhætorum iam in Valletellina sit; Catholicos, quos exhortari debeat, facilè hæreticos occidere posse; vt semel regio ab hac peste liberetur. Sed negotium requirere, vt maiori promptitudine, celeritate, ordine, & animositate procedatur. Altera epistola erat Legati Guefferij, Soloduro die vltima Augusti anno M. DC. XX. ad Abbatem data. Scribebat inter alia, Vocem & famam certam esse, si Catholici Rhæti versus Volturenam proficiscantur, fore vt ab hæreticis omnes strangulentur: atque nisi Tigurinos, & Bernates, Rhæti iterum ex Rhætia ablegent, in re Rhætica nihil perfici posse. Denique, Catholicos Heluetios contra promissa protestantibus transitum permisisse, conquerebatur.

Sed ad Volturenam reuertor. Cùm Trahonæ in castris cognitum esset, Rhætos Sondrium occupasse; custodia Squadræ Trahonensis Grisæis, & aliquibus cohortibus Cathedralibus, commissa fuit. Curiēses, Furstenouiani, & Ortensteiniani Tumiliascenses, ac Acerienses Rhetigoij, die Mercurij V. Augusti Sondrium profecti sunt. Ardenni in transitu à milite, contra iussa ductorum, ignis ædibus Benedicti Parauicini iniectus fuit, quo ea domus, & alia vicina, vastatæ; sed non omninò combustæ fuere. Ibi tribus post diebus nouem Aceriani Rhætigoij, cùm Sondrium ad suos proficisci vellent, à Volturenis intercepti & occisi fuerunt. Sondrium oppidum aggeribus communitum cùm fuisset; die Veneris VII. Augusti Montaneam, & Trixiuium versus manipulum militum misere. Trixiuij Rhetigoius quidam in brachio vulneratus fuit. Atque ibi captiuum nostri fecerunt Jacobum Pelosium, qui postea Sondrij tortus cùm fuisset, authores præcipuos rebellionis enarrauit. Ex rebellibus etiam aliqui sauciati fuere, inter quos Nicolaus Ca-

puccius, qui in pollice manus dexteræ vulnus accepit, ex eo post obiit. Pagani plerique ex Communitate Castioni, Montaneæ, Postalesij, atq; ex Valle Malenchi, Rhætis supplices facti, veniam omnes obtinuere: atque solùm iuramentum fidelitatis, salua religionis libertate, ab eis exactum fuit. Tirani etiam nulli ferè milites erant: nam Magistratus Venetus, graui comminata pœna, omnes suæ ditionis reuocauerat: iamque Martinus Manfredotus, Parochus Tiranensis, deposita veste Sacerdotali, militem agebat, & paganos vndique ex vineis ad excubias agendas colligebat. Doctor Franciscus Venosta Vezenum versus in Vallem Camonicam auffugerat; quem tamen sicarij quidam iterum Tiranum concomitati sunt. Robustellus, Ioannes Guizardus, Jo. Maria Parauicinus, & alij, Dalebij in Monasterio Aquæ frigidæ erant; ibique ex Ducatu Mediolani milites, arma, aliaque ad bellum necessaria, accipiebant. Hi exploratores suos (vti pridie Franciscum Pigliascum, Mediolanensem, vt melius animum Rhætorum cognoscerent, ad colloquium cum Capitaneis nostris miserant) diligentes habebant. Baptista Nouallia, Volturenus, presbyter Cosij, iam miles etiam erat: cumque propè Cosium Abduam cum aliquibus equitibus tranare vellet; septem ex eis, inter quos duo nobiles de Varesio Mediolanensis ditionis erant, rapido flumine absorpti fuere. Cæterùm, cùm hostes cognouissent, excubias ad pontem Gandæ minùs diligenter agi (erant ibi Tuscienses, Montani, Laaxienses, Vurtienses, Stussanienses, omnes circiter centum & octuaginta milites, cum Capitaneo Casparo à Schauenstein: item quinquaginta plus minus Quatuorpagici, quos ante tres dies Capitaneus Andreas Mengus eò duxerat) die sequenti Sabbatthi VIII. Augusti ante lucem Jo. Jacobus Pirouanus Mediolanensis, miles strenuus, assumptis quinquaginta militibus (inter quos duo Voltureni, Jo. Petrus Francisci filius, & Raphaël Dauidis filius, Parauicini, viarum periti erant) superato flumine Abdua, ex improuiso à summitate excubias nostras aggressi sunt. Quod tamen Rhætienses, & Alto-Triniani, qui Caspani erant, si diligentes fuissent, facilè impedire potuissent. Atque Schallerum

lerum Tuſcienſem, qui in ſtatione erat, Pirouanus primus occidit. Ab altera quoque parte pontis, Voltureni aliqui, atque cum his Capitaneus Joſephus Giraldus, Sicilianus; eiuſque Locumtenens, Petrus Ciapanus; item Capitaneus Jo. Antonius Caroſius; eiuſque Locumtenens, Ambroſius Rhandenſis, atque Capitaneus Julius Bregondius (octuaginta equites, & trecenti circiter pedites, hi omnes erant) acriter inſtitere. Rhæti primò fortiter ſe in ponte, domo, & torculari proximo, oppoſuere: & Franciſcum Gaionzellum, nobilem Camonicanum proſcriptum, cum duobus militibus, occidere: poſt verò, cùm ab vtraq; parte intercepti eſſent, loco ceſſerunt. Ex Rhætis triginta duo, nempe, quatuordecim ex fœdere Griſæo, octodecim ex Quatuorpagicis, inter quos Capitaneus Andreas Mengus erat, deſiderati: & quatuor capti fuere. Hoſtes domum propè pontem igne cremarunt: & pontem, ne Griſæi, qui Trahonæ, & Caſpani caſtrametati erant, pontem iterùm ſuperare poſſent, abrupere: vbi tum quinque Voltureni ruſtici in opere aquâ ſuffocati fuere. Sed timor hoſtium vanus & ſuperfluus fuit. Nam cum ad caſtra Trahonam nuntium allatum fuiſſet; Squadram Trahonenſem deſeruerunt, atque Nouatum, & ad ripam Mezolæ ſe contulerunt. Qui Sondrij erant, probè videbant omnia fruſtra agi, niſi hoſtibus ingreſſus in Vallemtellinam præcluderetur. Gulerus ſenior ergo, Finerus, & Ruinella, aſſumptis quadringentis militibus, die Lunæ x. Auguſti, Trahonam ad Griſæos proficiſci, indeque Squadram Morbenienſem occupare, ſtatuerunt. Sed cùm ad pontem Maxini infra Ardennum veniſſent, per litteras, à nobis Prouiſoribus per montem Malenchum miſſas, certiores de noſtrorum ex Squadra Trahonenſi receſſu facti, Sondrium reuerſi ſunt.

Aliqui hoſtium equites portum S. Gregorij propè Ardennum tranauerant; ſed à Rhætis in fugam acti fuere. Cùm Berbennum in reditu veniſſent; ruſtici, præſertim Polagienſes, ſe crebris ſcloppettorum ictibus oppoſuere. Ibi Bonhomus de Rubeis, Polagienſis, à milite Rhæto antè occiſus fuerat. Iidem Polagienſes, inter quos Petrus Mercadantus fuit, Theoſinam Parauicinam, matrem Baptiſtæ &

T

Horatij, fratrum Parauicinorum, necnon Adamum Scaramucciam, Tiranensem, crudeliter mactarunt. Rhætum quinetiam quendam, quem Ruinella ibi ad custodiam pulueris tormentarij reliquerat, pagani occiderunt. Duo Dauosiani, ex itinere lassi, ibi mortui quoque sunt. Fuxinenses Voltureni, cum aliis, ibi in Insula Abduæ, non procul à pago Fusinæ, aperto signo militari se opposuere: sed in fugam acti fuere. Equitatus hostium iam totus etiam Rhætos insequebatur. Ad Sanctum Pancratium (locus Postalesio & Castiono interiacet) aliquandiu velitatum fuit: vbi equus Jo. Iacobi Pirouani, Casparum Gazuolium Scanauicanum, qui non promptè secutus erat, per capillos comprehensum discerpsisse dicitur. Cùm Rhæti iam ad Saxellam deuenissent; ab altera parte Abduæ hostium pedites acriter scloppettos contra eos disploserunt: ast Rhæti tres ex eis occiderunt; & ita, seruatis ordinibus, Sondrium reuersi sunt. Rhæti, dum Sondrij essent, duos nuntios, habitu opilionum indutos, in ditionem Bergomensem ad Moderantem Scaramellam, Secretarium Venetum, misere; petentes, vt auxilio Veneti venirent. Hic nuntium, cum schedula baculo imposita, remisit, aiens, in confiniis equites & pedites esse; sed sine licentia superiorum sibi nihil licere. Denique, cùm nihil certi, num Heluetij protestantes transitum per Catholicorum loca habere possent, innotesceret; & Grisæi iam Valletellina excessissent, militesque quotidie præda onusti dilaberentur: die Sabbathi XV. Augusti Sondrio per Vallem Malenchi discesserunt. Aliqui ex hostibus (rebelles postea gloriati sunt tantùm sedecim equites fuisse) à longinquo insequuti, duos Dauosianos, Uldricum, & Joannem Buolium, atque Benedictum Aiardum, Veneta ditione oriundum, ob Religionem exulem, iam defessos, occiderunt.

Hac eadem die Sabbathi, Hieronymus Pimentellus, Ducis Feriæ consobrinus, Hispanus, cum quingentis circiter militibus Ripam Mezolæ, & Nouatum occupauit. Hîc verò nos rem paulò altiùs repetere oportet. Legatus Guefferius, ira contra Judicia censoria totus æstuabat: & cùm iam de laniena Volturenensi cognouisset, ad Capitaneum Rodolphum

Rodolphum à Schauenstein, qui in Thermis Fabarianis erat, litteris datis, inter alia, innuebat, Si Rhæti sibi obsequerentur, se certò sperare, rem sine maiore sanguinis effusione componi posse. Rhæti tamen ad ipsum, quem plus quàm suspectum habebant, scribere tunc temporis noluerunt. Ipse interim cum Alphonso Casato, & Heluetiis Catholicis, per internuntios, vt protestantibus Heluetiis transitus occluderetur, tractasse dicitur: quod ipsum etiam litteræ ipsius antè citatæ satis innuunt. Atque insuper itineri se accingens, cum Alphonso Casato, Uraniæ, contulit; Biltionam, & Comum vsque excurrit; adeoque eo ipso tempore, quo Ripa capta fuit, propè Biltionam *(Bellinzonam)* fuisse dicitur. Pecunias tamen, quas Legatus Mironus Interpreti Regio Molinæ (quadringentæ duplæ Hispanicæ fuisse dicebantur) numerari curauerat (cùm iam omnis suspicio de renouãdo fœdere Veneto euanuisset, quod impedire æquè Gallicis, ac Austriacis, & Hispanicis Ministris cordi erat) repetiit. Dux Feriæ, anno M.DC.XXI. mense Januario cùm fœdus cum Legatis Fœderis Grisæi tractaret, apertè fassus est, Se nonnisi ex pactis inter Guefferium, & Alphonsum Casatum, initis, militem Hispanum ad Ripam, & in Vallemtellinam, misisse. Hæc cùm deinde Curiæ Guefferio nunciarentur, omnia negauit; hanc astutiam Hispanicam esse inquiens, vt Gallicos Ministros Regios Rhætis exosos redderet. In tractatu quodã in Gallia, ex dictatu Guefferij, anno M.DC.XXIV. impresso, inter alia dicitur, Regem Galliæ non impediuisse, quin Hispanus Catholicis Volturenis succurreret: sed inuasionem, & occupationem Vallistellinæ, non approbasse. Idem Dux Feriæ dictis Legatis Fœderis Grisæi confessus est, quòd si adhuc per octo dies auxilia Volturenis mittere distulisset, mandatum à Rege suo acceperit contrarium, vt nempe à negotio Volturenensi abstineret.

Sed ad historiam redeo. Rhæti aliquandiu naues Pimentelli, quæ tamen contra ictus moschettorum, duplicatis tabellis, munitæ erant, in lacu remorati sunt. Sed cùm Nouati, vbi exiguus numerus militum erat, tandem littori approximassent; Ripam quoque, quem locum iam Rhæti,

quorum tamen multi iam à præſidio ſe ſubtraxerant, communire incipiebant, proiecto in lacum puluere tormentario, deſeruerunt. Hac quoque die, Alexander, famulus Commiſſarij Clauennæ, Samolici à Soricenſibus interfectus fuit. In Vallem S. Jacobi duo deputati, Joannes Florinus, Diſertinus; & Rodolphus à Marmore, Leguntinus, venerunt: atq; de litteris Gioerij, & aliis, edocuerunt: addentes, Suos, niſi his technis impediti fuiſſent, iamdudum aduenire voluiſſe. Miles Rhæticus Clauennæ quoq; paulatim dilapſus erat, adeò vt die Dominica, XVI. Auguſti, vix cētum milites, inter quos quinquaginta Coruantij erant, Clauennæ reliquos haberemus: qui ipſi quoque verſus Prægalliam diſceſſere. Ego Ludouico Peſtalozio, Locumtenenti militiæ Clauennæ (Capitaneus Joannes Antonius Piperellus ex crure fracto decumbebat) cuſtodiam oppidi, donec alia auxilia accerſere poſſem, commendaui; qui ſe promptum exhibuit. Cumque in Prægalliam aſcendiſſem; Caſtaſegnæ obuiam habui Prægallum, qui mihi de ſuorum aduentu ſignificauit: quod ipſum abſque mora Capitaneo & Locumtenenti Clauennenſis militiæ aperui; atque vt interim in fidelitate firmi eſſent, eos obteſtatus ſum. Porrò Joannes Antonius Bottintrochus, Capitaneus militum ſelectorum Plurienſium, cum fratre Joanne Baptiſta, & aliis circiter quadraginta, arrepto ſigno militari Communitatis, ad Ripam de Mezola ſe contulit, proteſtans ſe velle cum hoſte paciſci, & ſtare. Verùm Pimentellus iam Grabedonam iuerat: cui Bottintrochus totum Comitatum Clauennæ obtulit. Interim dum nuncium hac de re Mediolanum mitterent; Clauenna maiori militum numero communita fuit. Qui cum Bottintrocho ad hoſtes tranſire volebant, poſtmodum, obtenta venia, plerique reuerſi ſunt. Clauennæ iam quoque deliberatum fuerat, ad Hieronymum Pimentellum mittere, & mentem ipſius reſcire: cùm, ecce, ipſe epiſtolam ad Gubernatores Clauennæ directam mittit: qua ſe Ripam minimè occupaſſe, vt ſe Dominum eius loci faceret, ſignificauit; ſed eo tantùm fine, vt hæreticis tranſitus præcluderetur, ne Catholicos in Valletellina offenderent. Cæterùm Catholicis acceſ-

ſum.

ſum fore liberum; nec quemquam, dum in loco Ripa ſit, offenſum iri. Heri etiam, quamuis Rhæti frequentibus tormentorum eiaculationibus aduerſus Hiſpanos arma mouiſſent; ſe tamen non permiſiſſe, vt quiſquam Rhætorum offenderetur. Hanc epiſtolam, eiuſque exemplum ſtatim ad Doctorem Jacobum Schmidt à Grueneck, qui in Campodolcino erat, & ad me in Prægalliam, Clauennenſes miſere. Curienſes, & Furſtenouianos Caſacciæ inueni: vbi Capitanei Michael Finerus, & Joannnes Viſſius, atque vexillarius Leonhardus Lenerus, pleriſque militibus Curienſibus; ſicuti Ruinella quoque Furſtenouianis, perſuaſere, vt ipſa die Lunæ XVII. Auguſti, manè, Clauennam tenderent. Colonellus Baptiſta à Salis, cum Prægallienſibus, quos quidem feſtinanter colligere potuit, ſummo manè Clauennam ingreſſus eſt.

Sed aliò etiam ſermo nobis deflectendus eſt. Engadini ſuperiores, cum aliis, vt diximus, Peſclauium profecti erant. Atque tum die XXVII. Julij, Conſtantinus Planta, in confiniis Vallistellinæ, cũ Jacobo Robuſtello ad Colloquium venit: qui, inter alia, proſcriptos illos ſicarios Venetæ ditionis ipſi oſtendens, Ecce, ait, ſubditos amicorum veſtrorum Venetorum! Scilicet Veneti vos ita diligenter de omnibus rebus edoceant: ſed hoc negotium non ſatis clarè vobis explicuerunt. Addebat: Hodie, aut cras, Capitaneus Rodolphus Planta, Vallem-Monaſterij, occupabit: ſecus ſi fecerit; promiſſa non adimplet. Nam ſic inter nos conuentum eſt. Die V. Auguſti, cùm Peſclauienſes, Engadini, & Bergunienſes, in inferiori Bruſij parte caſtrametati eſſent, (Dauoſiani, & Rhetigoij, magis vicini lacui, ad cuſtodiam pontis erant) & negligentes in excubiis eſſent; Bruſienſes aliqui, præſertim illi de Celendis, itemque Voltureni (qui plerique Groſſubtenſes, & Groſienſes erant) necnon exteri aliqui milites, Ductore Jo. Paulo Martignono, Moretto dicto Mediolanenſi, Peſclauienſem, qui in ſtatione eſſe debebat, dormientem offenderunt, eumque cultro occiderunt; atque deinceps in incautos Rhætos irruerunt. Sic maior pars profligata fuit. Aliqui tamen, vti Joannes Antonius Andreoſcia, Peſclauienſis; Ottho Paulus Iodocus, & Ri-

gertus Raſerus, Jacobus Planta, veteranus miles, (qui cum tribus aliis occiſus fuit) diu fortiter dimicarunt. Stephanus à Jochberg, Bergunienſis, captus fuit. Die xxi. Auguſti, Auguſtinus Trauerſius, qui modò Engadinenſium, qui Peſclauij in præſidio erant, Capitaneum agebat, cum Robuſtello (qui neptem ex ſorore dicti Auguſtini vxorem habuerat) Bruſij ad colloquium venit. Ubi poſt longos ſermones, Robuſtellus vrſit, vt Rhæti ad certas conditiones cum Volturenis deuenirent, nec auxilia externa accerſerent. Aiebat: Vos Tigurinos, & Bernates, & vltimò Diabolum accerſetis: & nos Archidiabolum in auxilium noſtrum vocare volumus. Marcus Antonius Venoſta, Groſienſis, exclamabat, Potiùs ſub Turca, quàm Rhætis, viuere volumus. Et iam tunc Capitaneus Dauid Onellius, Hibernus, cum turma equitum ſuorum, aderat.

Ad collimitia Vallis Monaſterienſis, Planta, & Steigerus, cum milite, die Dominica xxvi. Julij reuerſi ſunt. Eadem die Vallis-Monaſterienſes ducentos Engadinos inferiores auxiliarios receperunt. Maximilianus Henlius, Capitaneus Auſtriacus quartarij militaris, vt vocant, in Vennonibus, ad Engadinos, & Vallis-Monaſterienſes litteras amiciſſimas antè exarauerat: in quibus innuit, Animitùs ſe bonam colere vicinitatem, & fœdus hæreditarium obſeruare velle. Adhæc die irruptionem præcedente Vallis-Monaſterienſes ad Auſtriacum Præfectum, & Cancellarium Glorij, aliquos ex ſuis miſere, vt reſcire poſſent, ad quem finem milites eò conuolarent. Qui reſpondebant, Se nulla planè de hoſtilitate ſcire: atque ipſos, vt ſecuri, tanquam boni vicini, viuerent admonebāt. Die Lunæ xxvii. Julij ad pagum Monaſterium Vallis-Monaſterienſes, & Engadini auxiliarij, conuenerunt, & populum luſtrarunt. Porrò Monaſterienſes, qui Catholici, & plerique Plantæ addicti erant, (inter ipſos Sacerdos loci, Andreas Lafranchus, Peſclauiēſis, rem Plantę ſollicitè promouiſſe dicitur) cùm pluuioſum cœlum eſſet, reliquos domum ire iuſſerunt, promittentes ſe diligenter excubias acturos. Die ergò Martis xxviii. Julij ſummo mane Planta, & Steigerus, cum milite adſunt, à Monaſterienſibus tranſitum petunt; qui

ſtatim

ſtatim ipſis conceſſus fuit. Engadini, & cæteri Vallis-Monaſterienſes à Nicolao Carolo ab Altobalckono, qui Monaſterij Plantam exſpectare noluerat, de irruptione admoniti, ad àrma concurrunt; hoſti ad pagum, Sylua dictum, obuiam eunt: cum hoſtibus (quos Simon Hochmuot, natione Bohemus, modò Æniponti habitans, ſignifer; & Chriſtophorus Schmid, Heluetius, Locumtenens Steigeri; duoque Adiuuæ, Raina, & Gallus, ducebant) ibi in prato ad prælium deueniunt. Rhæti veterano militi impares, mox loco ceſſere; quos Blaſius Alexander, nullo modo, quamuis ſtrenuè inſtaret, ad prælium redintegrandum compellere potuit. Ex Rhætis Antonius, Guercius dictus, Vallis-Monaſterienſis, occiſus: ex hoſtibus Italus quidam vulneratus fuit. Cæterùm, cùm iam etiam timerent, ne à monte Braulio à Bormienſibus & Volturenis interciperentur; mille quadringentæ & octuaginta perſonæ Engadinam verſus ſe contulerunt. Multi, qui factionis Plantanæ erant, in patria manſerunt. Pagum Syluam milites incenderunt. Pagum quinetiam S. Mariam, atque viciniam, cui Vallis-cauæ nomen, cùm omnia deprædati eſſent, igne penitùs deuaſtarunt. Adhæc ſeptem ſenes, qui prima fuga euadere non potuerant, occiſi fuere. Dum Planta in ædibus Danielis Urſi S. Mariæ comeſſaretur; ignis ita improuiſus ſuprauenit, vt equos ex ſtabulo educere vix potuerint. Aloyſius Baldironus, ex Valle Flemmia, Tridentinæ ditionis, oriundus, iam, vti Commiſſarius Generalis Imperatoris & Principum Auſtriacorum, etiam in Vallem-Monaſterienſem, venit: ſed ſub veſperam deinde Tuberium reuerſus eſt. Mille ſelecti milites Tirolenſes, quibus præfectus Maximilianus Henlius, ea ipſa die, ad confinia, nempe, intra Tuberium, & Monaſterium, caſtra ponunt. Steigeriani autem in pratis propè combuſtum pagum S. Mariam caſtrametantur. Planta deinde, ſuo, & ſociorum ſuorum proſcriptorum nomine, ad Communitates Engadinenſes ſcribit; & tranſitum liberum & iudicium neutrale ſibi conſtitui petit: aliqui deputati ad ipſum mittuntur. Poſt aliquot dies, Monaſterienſes, & alij, qui in Valle permanſerant, in verba Imperatoris Romani, præeunte ipſis Baldirono, illis ipſis conditionibus, quibus

alij ſubditi Tirolenſes, iurant. Senatus Rhæticus, de hac inopinata irruptione certior redditus, tres Legatos, Bartholomæum Cazinum, Petrum Jecklinum ab alta Rhætia, & Joannem Bircherum, ad Baldironum & Plantam mittunt; vt de inuaſione, non indicto bello, & de violato fœdere hæreditario, conquererentur. Baldironus reſpondet, Plantam, cùm aliis Proſcriptis petere; vt ſibi ius, & iuſtitia adminiſtretur: quod idem Planta affirmat. Baldironus poſtea, cùm de aduentu Heluetiorum cognouiſſet, atque timeret, ne verſus Vallem-Monaſterienſem exercitus tenderet; ſe per litteras, ad Senatum Rhæticum datas, excuſauit, inquiens, Se Vallis-Monaſterienſes, cùm à Rhætis derelicti eſſent, in tutelam Imperatoris recepiſſe: in reliquis ſe fœdus hæreditarium obſeruare velle. Porrò totum hoc negotium in eum finem directum erat, vt cùm inter Ducatum Mediolanenſem, & Comitatum Tirolenſem, ſola Vallistellina, Bormium, & Vallis-Monaſterienſis (vigintiquatuor horarum iter eſt) interpoſita ſit; his occupatis, coniunctio Dominiorum Auſtriacorum, Germaniæ & Italiæ, non intercluderetur. Paulò poſt Auſtriaci, ſub Capitaneo Mullero, ſexaginta milites, ex cohorte Hieronymi Auguſti zum Jungen aſſumptos, in Vallem Druſianam (Montaſunum) miſerunt: vt proximi Rhetigoij ſic domi retineri poſſent.

Voltureni interim, in Heluetiam, & ad omnes Italiæ Principes (imò etiam Bergomum ad Rectores Venetos ſuos nuncios miſiſſe dicuntur; vbi tamen parùm grati fuere) ſcribunt, & de laniena crudeliſſima gloriantur. Romam miſſus fuit Pater Ignatius Cappuccinus: qui primò Lugani in Heluetiis cum Nuncio Apoſtolico Sarego collocutus, inde die XVI. Auguſti Romam ad Pontificem tendit, vt, ſcilicet, factum excuſaret, & Volturenam Epiſcopo Curienſi reddi procuraret. Pontificem, lanienam, & actiones violentas non approbaſſe, Ignatius ipſe mihi narrauit. Cumque aliquo pòſt tempore Romam quoque veniſſet Jacobus Paribellus, itemque poſt hunc, Jo. Antonius Parauicinus, Archipreſbyter Sondrienſis, cum Parocho Caſpanenſi, ipſo quoque Parauicino, Pontificem iiſdem violentiam exprobraſſe, & inter alia, Cur non etiam Sedi Apoſtolicæ,

licæ, cùm res Religionis, vt ipſi aiunt, ageretur, rem priùs ſignificauerint, quæſiiſſe, quidam referunt. Hos verò ſe excuſaſſe; Quòd aliqui Cardinales Gallizãtes, & Venetizantes eſſent, qui, procul dubio, rem propalaſſent. Ad Archiducem Leopoldum, Horatium Taurellum Volturenum Jeſuitam miſerunt. Ad Ducem Sabaudiæ ablegarunt Jo. Abundium Venoſtam I. V. D. qui Eporediæ in Dominio Pedemontano Prætor fuerat. Aſt Generoſiſſimus Princeps, qui iam tunc prouidebat, quò id genus hominum tenderet, illum audire minimè dignatus eſt.

Publicum quinetiam ſcriptum, typis, primò Mediolani excuſum, poſt in Germania auctum, in lucem emiſerunt, cuius titulus: Rationes, & motiua conſilij à Volturenis, contra tyrannidem Griſonum, & Hæreticorum, initi. Ubi falſiſſima multa, & inuidiæ plena, miſcentes, de oppreſſa religione Catholica, propter expulſos Monachos exteros, atque Jubilæorum, Indulgentiarumque prohibitiones: item de enormitatibus in ciuilibus, & criminalibus cauſis, præſertim Tuſcienſis (hîc mortis Archipreſbyteri Sondrienſis quoque mentio fit) & Dauoſiani Tribunalium, conqueruntur. Subduntque, ſibi ad hæc conſilia venire licitum fuiſſe; præſertim cùm Voltureni Griſonibus, non tanquam veri ſubditi, aut vaſalli, ſubiecti; ſed horum potiùs confœderati ſint; vti ex Capitulationibus appareat: cúmque Rhæti Epiſcopum Curienſem etiam poteſtate exuerint. Adiiciunt deinde, quòd Voltureni, quę hactenus patrarunt, cum conſenſu, voluntate, & auxilio ſanioris partis Griſonum, egerint. Citantque fictitias, & ſuppoſititias Capitulationes, Anno M. D. XIII. Ilantij, in publicis Comitiis, inter Epiſcopum Curienſem, Tria Fœdera, & dictos Volturenos, tractatas; quarum archetypum Curiæ in archiuis inueniri poſſe aiunt.

Cæterùm, capitula fictitia, quæ citant, hæc ſunt:

Primò, Quòd homines Vallistellinæ, & Communitatis Tilij, velint, & debeant, Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Curienſi, & Tribus Lighis, perpetuis temporibus, in omnibus, & ſingulis licitis, & honeſtis, parere, & obedire.

Secundò, Quòd prælibati homines Vallistellinæ, &

Communitatis Tilij, ſint, & eſſe debeant noſtri, videlicet, Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, & omnium trium Ligarum, cari & fideles confœderati, & tales permanere: & pro tempore, quo neceſſe fuerit, ad Dietas noſtras vocari, in conſiliis pariformiter nobiſcum ſedere, & conſulere omne id, quod eis Communitatibus magis expediens videbitur. Et quando ad Dietas ſic, & prout ſupra, vocabuntur, tunc debeant de quolibet Tertiario, & Communitate Tilij, vnum mittere conſiliarium.

Tertiò, Quòd homines Vallistellinæ, & Communitatis Tilij, gaudeant, & vtantur eorum priuilegiis, & antiquis conſuetudinibus, ſi ſaltem fuerint de iure laudabiles, & Deo conſonæ.

Quartò; Quòd prælibatus Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus Curienſis, & omnes Ligæ, ſint, & eſſe debeant dictis hominibus Vallistellinæ, & Communitatis Tilij, adiutorio, & erga Cæſaream Maieſtatem, & Ducatum Mediolani, aut alibi vbicumque oportuerit, vt liberi fiant à taleis, & ſimilibus, vti homines trium Ligarum.

Quintò; Quòd homines Vallistellinæ, & Communitatis Tilij, teneantur ſingulis annis dare, & ſoluere Reuerendiſſimo Epiſcopo Curienſi, & omnibus tribus Fœderibus, Rheinenſes mille, in promptis denariis perſoluendos, per quemlibet, aut quoſlibet habentes bona in dicta Valle, ad ratam bonorum ſuorum, exemptum, & non exemptum. Ecce autem nequitiam hominum! Eſto namque, Voltureno hæc à Rhætis, Dominis ſuis, ſupplices petiiſſe, aut petere potuiſſe: Rhæti tamen nihil tale vnquam illis conceſſerunt. Hi verò petitionem, pro conceſſione & reſolutione, qua tandem fronte, vel fide, venditāt? Nec verò etiam vnquam ad Comitia, & conſilia, vocati; nec etiam vlla alia conditione, quàm qua Ducibus Mediolani, & Regibus Galliæ, ſubiecti erant, in fidem recepti; aut aliter quàm ſubditi; in quos merum & mixtum imperium iure competebat, tractati fuere.

Voltureni, cum milite extero iàm etiam loca præcipua Vallis, pontem, nempe, Gandæ, Morbennium, (vbi verſus Venetam ditionem pontes & vias abrumpunt) caſtrum de Maſagrio,

Masagrio, Sondrij; adhæc Oppidum Tiranum mœnibus circumductis, ac Castrum Plattamala (cui nomen, Fortalitium Serbellonum, indunt) communiunt. In Bormiensi territorio propè Terræplanum, magnos aggeres erigunt. Hispani Ripam de Mezola, & castrum Vetus Coderæ festinanti opere muniunt. Curiæ die XVII. Augusti Rhætorum Comitia habita, atque Guefferius potioribus duorum Fœderum, Grisæi, & Cathedralis, suffragiis, accersiri iussus; litteræ autem, ab omnibus Tribus Fœderibus, ad Regem Christianissimum pro auxiliis impetrandis exaratæ, & Capitaneo Rodolpho à Schauenstein, qui Solodurum ad Mironum, & Guefferium, Legatos Gallicos, profectus est, concreditæ fuere. Badenæ in Heluetiis etiam Comitia celebrata fuere; vbi, inter alia, propositum fuerat, vt octo Heluetici Legati, quatuor Protestantes, & totidem Catholici, ad res Rhæticas & Volturenenses componendas, eligerentur. Sed nec hoc effectum habuit. Et, instructio Catholicorum Heluetiorum dicebatur à Nuncio Apostolico, Legatis Gallicis, & Hispanicis, in Heluetia, composita.

Interim Rhæti, per Consulem Meyerum indesinenter apud Heluetios, Tigurinos & Bernates præcipuè, vt auxilia accelerarent, institere. Cantones autem quinque Catholici transitus occludere moliuntur; adeoque oppido Mellingæ, quod Tigurinorum, & Bernensium Dominia intersecans, octo Cantonum Veterum (in quorum numero Tigurum & Berna quoque sunt) Imperium agnoscit, præsidium mille & quingentorum virorum imponunt. Adhæc è suis Præfecturis Transalpinis quadringentos milites accersunt; & in Comitatu Vznachensi, ac vicinis locis, collocant. Suitenses etiam, cum aperto signo militari, in Marcham (terminus Heluetiorum antiquitùs dicebatur) proficiscuntur. Tigurini, contrà, confinia sua versus Suitenses, & Tugianos, militibus & aggeribus firmant. Cum Bernates Mellinga iam non procul abessent; liberum per oppidum transitum petierunt. Ubi cùm responsum aliquantùm dilatum fuisset; inibi fuit, vt tormenta maiora bellica iam Lenzburgo aduueherentur, atque Baro à Spiez, cum septem aliis cohortibus, his succedaneus aduocaretur. Sed Legatorum

Helueticorum,Glaronensium,Basileensium,& Scaphusianorum interuentione,transactum fuit,vt non per oppidum Mellingam,sed propè Vindonissam Bernates,sine præiudicio Jurium suorum,iter sumerent. Legio illa constabat septem cohortibus,seu,bis mille & centum militibus. Dux primarius, quem Colonellum vocant, Nicolaus à Myllinen: Locumtenens,Colonellus Jodocus à Bonstetten; reliqui Capitanei, Jo.Rodolphus Vagnerus, Abrahamus à Grafenriedt, Dauid Sturlerus,Bartholomæus à Romestal, & Abrahamus Binderus. Cùm Tiguri biduum commorati essent; Rutenum versus iter ingressi, Comitatumque Tockenburgicum, Duriæ Vallem, & Comitatum Sarunetum emensi,in Rhætiam venerunt. Tigurinorum tres cohortes,mille nempe milites,etiam cum ipsis venerunt. Horum Colonellus, Jo.Jacobus Steinerus; Capitanei,Casparus Schmidt,& Jo. Vilhelmus Stuckius,fuere. Die Mercurij XIX. Augusti, in Rhætiam; in Dominium,nempe,Maiævillanum,appulerunt. Die Veneris XXI. Augusti,Tigurini, per Vallem Rhetigoiam, & Dauosium, se in Engadinam superiorem contulerunt.Bernates autem Curiam,indeque per Vallem Rheni,Clauennam profecti sunt.

Jam Misaucienses se cum Leguntinis, & Disertinis coniunxerant;& oppidum Ilantium ingressi, tormenta maiora bellica septem, quæ ibi erant, in sua potestate cum omni apparatu habebant. Atque non Catholicos solùm fœderis Grisæi omnes; sed protestantes quoque plerosque, nolentes volentes,ad se attraxerant. Duo Fœdera, Cathedrale, & Decem Jurisdictionum, Curia, Legatos ad ipsos Ilantium miserunt, hortatum, vt vires suas cum Heluetiorum, & reliquorum Rhætorum,copiis,coniungerent,& ad recuperationem Vallistellinæ, & reliquorum amissorum locorum, omnes vnanimiter, sepositis odiis,tenderent. Ast ipsi respondebant, Se certas & firmas promissiones à Legatis maximorum Monarcharum, & ipsis subditis Volturenis, habere; omnia sine sanguine sibi restitutum iri. Se modò procurare velle abrogationē,& rescissionem omnium actorum,tam Tuscienfis quàm Dauosiani Censorij Tribunalis, & damnorum suorum pensitationem. Foueani centum moschet-

moſchettarios voluntarios cũ Heluetiis mittere volebant; ſed ab aliis impediti fuere. Tuſcienſes autem, Montani, Sexamnienſes, & Vallis-Rhenani, certum numerum militum Clauennam in præſidium miſerunt. Quò etiam Coruantij, & Aluonouani, à Decem Juriſdictionum fœdere miſſi fuere. Maiæuillani in cuſtodia confinium ſuorum remanſerunt.

Reliqui autem ex Decem Juriſdictionum fœdere, cohortes ſuas, cum Heluetiis, in Engadina ſuperiori, quò, vltima Auguſti, Bernates etiam Clauenna per Vallem Prægalliam venerunt, coniunxerunt. Porrò Decem Juriſdictionum eò loci quinque cohortes erant, octingenti nempe circiter milites. Dux primarius, Joannes Gulerus, qui etiam Dauoſianæ cohorti præerat: Cœnobianis, Joannes Jeuchius: Caſtrenſibus, Florius Sprecherus, & Chriſtianus Florius: Acerianis, Baro Rodolphus à Salis: Scanauicanis, Florius Buolius, præfecti erant. His deinde ſe etiam ducenti Engadini inferiores, ſub Antonio Violando; & ducẽti Vallis-Monaſterienſes, ſub Nicolao Nuttino, ſociauere. Die Martis 1. Septembris, in Vallem, Luuinum dictam, Bormienſis ditionis, omnes appulerunt. Incolæ ferè omnes in ſyluas auffugerant; ſed, cùm viderent, militem nemini vim inferre, mox reuerſi ſunt, rogaruntque, num ſibi Religionis libertas futura ſit: quod cùm eis affirmaretur; in genua omnes prolapſi, veniam petiere: qua habita, fidelitatem iterum iurauere. Die Mercurij ſequenti, verſus vallá, & aggeres, quos hoſtes intra Terræplanum, & Primadium, ingenti labore ex lapidibus, lignis, & ceſpitibus, ab vno montis pede ad alterum, vt omnem tranſitum præcluderent, conſtruxerant, ſigna mouent. Primò autem in Valle Pedenucis, in vicinia Tſcharorum, propè templum S. Martini, hoſtes excubias ſuas poſuerant; quæ profligatæ, & ædes paucæ ibi combuſtæ fuere. Rhæti, vt valla ſuperare poſſent, per crepidinem montis inceſſere. Tigurini autem per vallem & planitiem iter tenuerunt. Ad valla autem cum militibus erant, Jo. Antonius Caroſius (qui ea die appulit, & equus ſub ipſo occiſus fuit) Joannes Campaccius, Julius Bergundius, Jo. Jacobus Pirouanus, & multi Bormienſes, cum aliquibus

V 3

Volturenis. Ex equitatu porrò, Josephus Giraldus, Petrus Ciapanus, Gariboldus (qui primus eò venit) Dauid Onellius, Michael Aspurz. His omnibus iussa dabat Joannes Medicæus, Florentinus; qui etiam iam tum aduenerat. Mille & quingentis viris circiter copiæ hostium constabant. Rhæti iam per syluam summo impetu in hostes feruntur; atque aliquandiu acriter pugnatur: tandem hostes superati, paulatim loco cedunt. Primus valla hostium superauit Capitaneus Florius Sprecherus, frater meus; qui duos ex hostibus ibi interfecit. Hostilis equitatus amnem Isolacciam tranare volebat, vt se cum peditatu coniungere posset: sed Tigurini se fortiter opposuerunt, & crebris scloppettorum eiaculationibus equitatum depulerunt. In fugam acti, versus Vallem Cepinam, & Volturenam, fugam arripuerunt: oppidum Bormium, milite vacuum, reliquerunt. Ex hostibus supra quinquaginta cecidere, inter quos quatuordecim ex cohorte Carosij erant. Aliqui Bormienses, Joannes, nempe, Jacobus Albertus, Franciscus Cadulus, Franciscus del Dosso, & alij, occubuere. Tres cauallettos, & non exiguam copiam comeatus bellici, nacti sunt. Ex Rhætis occubuere quatuor; Andreas Ruedius, Dauosianus; Bernhardus Carinus, & Balthasar Burcherus, Vallismonasterieñses; item, Joannes Nutlius, Rhetigoius; qui cùm puluis tormentarius fortè incensus fuisset, inde læsus, post aliquot dies obijt. Certamen ad noctem vsque durauit. Tigurini in planitie; Rhæti intra valla; Bernenses, qui secuti erant, etiam in proximo loco pernoctarunt. Die Jouis III. Septembris, castra mouerunt. Bernates, cum quibus etiam Rhæti aliqui erant, primi in ingressu oppidi Bormij fuerunt. Petulantes aliqui milites, contra mandata ductorum, Presbyterum Bartholomæum Florinum, duos Gabrieles Imeldos, Ruggierum Pirò, & Jo. Petrum Culturum, Bormienses, occiderunt. Præconis voce, à præfectis militiæ statim edictum fuit, ne quis templa, aliaque dissiparet. Cæterùm nefarios aliquos milites ex templis, contra mandata ducum, aliqua surripuisse, verum: & contra, falsissimum est, quod calumniosè contra Bernates, & alios, maleuoli publicarunt; quòd hi equos suos in templa deduxerint, &

aquam

aquam lustralem eis potandam præbuerint; atque oleo, vt vocant, sancto calceos inunxerint. Nam ego Bormienses aliquos Catholicos, qui ibi semper fuerunt, diligenter interrogaui: qui hæc vera esse negarunt. Dum Bormij exercitus commoratus esset; circiter mille & quadringenti in fidelitatem, habita venia, Rhætis, Dominis suis, iterum iurauerunt: eisque religionis libertas permissa fuit. Bormienses aliqui profugi ad Baldironum, vt auxilia sollicitarent, profecti sunt: sed pedem ille non mouit. Die Veneris IV. Septembris, Eques Hercules à Salis, & Constantinus Planta, ad Rempublicam Venetam ab exercitu Oratores destinati, per montem Gabiam in Vallem Camonicam tenderunt, vbi Andreas Parutta prouisor Venetus, erat.

Leopoldus, Archidux Austriæ, his diebus ex Alsatia litteras ad Tria Fœdera Rhætorum exarat; in quibus affirmat: Se, vti antecessores suos, nihil aliud in animo suo secum constituisse, quàm fœdus hæreditarium obseruare. Jam verò cùm intelligat, Tigurinos, Bernates, & Rhætos, cum magno exercitu versus confinia Austriaca mouisse; proinde æquum esse, vt & ipse rebus suis inuigilet: nec tamen adduci se posse, vt credat, ipsos aliquid contra fœdus hæreditarium tentaturos. Interim in illis de inuasione in Vallem-Monasteriensem, ne verbum quidem. Exercitus ipsius etiam ad confinia auctus fuit.

Nostri Bormij responsum à Venetis anxiè exspectabant: sed Eques Hercules, propter morbum, iter accelerare non poterat. Die Dominica VI. Septembris, Colonellus Myllinæus, cum octingentis moschettariis ad locum *Leprese* dictum, (primus Vallistellinæ pagus est) processit, & Serralium (sunt muri illi veteres, quibus transitus olim occludebatur) demoliri iussit. Sub serum Bormium reuersus est. Interim Bormium, cum stipendio militari mensis vnius, pro Bernatibus venit Joannes Frischingus, ciuitatis Bernensis Vexillarius. Instructio quoque duobus Concionatoribus Joanni à Porta, & Casparo Alexio, ad Vnionem protestantium in Germania, atque ad Ordines Unitarum prouinciarum Belgij, (qui litteras amicissimas ad Rhætos exararunt, inter alia ad concordiam, & fortitudinem, & vt se vicinis

amicis, Venetis nempe, fœdere iungerent, exhortati sunt) denique ad Regem ipsum Magnæ Britanniæ deferenda, parata: quorum cõsilium & auxilium implorare debebant. Bormio quoque Gabrielem, & Ioannem Antonium, dictum del Medico, ambos ex familia Zuccola, ex Valletellina oriundos; sed modò ciues Bormienses; cum litteris publicis ad Volturenos misere: quibus ipsis Volturenis venia præteritorum, & Liberũ Catholicæ religionis exercitium, promissa, si modò ad debitam obedientiam redirent. Præcipui autem rebelles, & milites aliqui exteri, non permisere, vt coram populo quicquam proponerent: sed vtrumque captiuum fecere, & illum del Medico quæstionibus subiecere, & non exigua pecuniæ summa vtrumque mulctauere. Postea etiam Leonem Baraccum, Bormiensem, erga Rhætos bene affectum, Vallistellini in Valle Grossina occiderunt. Cùm nemo à Venetis Bormium veniret; die Mercurij IX. Septembris, versus Sondalum in Vallemtellinam exercitus mouit. Vallis-Monasterienses, & ex qualibet cohorte Heluetica, & Rhætica, viginti milites, Bormij in præsidio relicti fuere. Cùm aliqui gregarij milites exercitum præcessissent; duo Heluetij, & Rhetigoius vnus, infrà Cepinam ab equitatu hostili circumuenti fuere: alter ex Heluetiis occisus; alter sauciatus in capite: & Rhetigoio equus ablatus fuit. Cùmque iam exercitus ad Serralium illud, supra *Leprese* venisset; hostes, qui plerique Voltureni, & Bormienses erant, ex rupibus magnam saxorum vim deturbarunt. Unde milites ira accensi, magnam partem pagi Montadiciæ combusserunt. Propè pagum Sondalum hostilis equitatus, & peditatus, substiterunt, & crebris tormentorum ictibus aduenientes lacessiuerunt. Rhætorum autem legio, quam proximè sequebatur Tigurina, eos loco pepulit. Quinque ex hostibus interfecti fuere. Aliquot moschettas maiores æneas, cum suo apparatu, adepti sunt. Pagus, contra ductorum seuerissima mandata, in cineres redactus fuit: quod idem etiam vico Tiolo superiori accidit. Hostes, præsertim equites, indefessis velitationibus exercitum nostrum fatigarunt. Qui, dum pontem Grosij abrumperent; duo ex illis interfecti fuere. Legio Tigurina, & Rhæ-

& Rhætica, ad ripam Abduæ, ex aduerso pagi Grosij, castra posuerunt: Bernates verò, cum aliquibus Rhetigoijs, iterum ad pontem superiorem, vt ab altera parte hostem aggredi possent, reuersi sunt; adeoque per totam ferè noctem iter fecerunt: manè verò, propè pagum Grosium in acie comparuere. Pons etiam interim constructus fuit. Bernates primi pagum occuparunt. Lacupratensis quidam Rhetigoius, cùm cæteros cursu anteuertisset; in ingressu pagi à tribus equitibus hostium occisus fuit. Hac die Jouis x. Septembris, Grosium venit Nicolaus Barbulius, ex Valle Camonica, Venetorum Capitaneus; & Joannes la Grange, Locumtenens cohortis equitis d'Aulagne de Roquelaure, à Prouisore Veneto missi. Hi referebant; circiter duas legiones Hispanorum, & aliquas cohortes Italicas, ac Don Hieronymum Pimentellum, cum equitatu, Vallemtellinam ingressos esse, & Tiranum petere, eoque etiam tormenta maiora bellica ex Ducatu Mediolanensi deuehi: nec sine aliis tormentis maioribus bellicis oppidum iam munitum capi posse. Proinde eis, vt exspectarent, suaserunt, donec Veneti necessaria mittere possent. Vera referebant: sed alij, ob longam moram, indignati, impatientes erant. Præterea Barbulio, quòd Jacobo Robustello, & Actio Bestæ, semper familiarissimus fuerat, minùs fidebant. Dimissi ergo fuerunt, vt Dominis suis referrent, auxiliorum accelerationem à nostris vehementer expeti, atque interea nostros fortunam velle ad Tiranum experiri. Andreas Parauicinus, Pesclauiensis, qui nomine militis, qui Pesclauij erat, Grosium venerat, atque comeatum bellicum petierat, die Jouis, sub noctem per montem Albiolam dimissus fuit, vt suis significaret; ipsi die Veneris xi. Septembris, se versus Tiranũ apertis signis militaribus ostentarent: vt hostis in diuersas partes distraheretur. Sed hic senex iter in tempore perficere non potuit. Atque Engadini superiores, Bergunienses, & Pesclauienses, cùm se non mouissent; defectum pulueris tormentarij & funiculorum in sui excusationem obtenderunt. Duobus pagis, Grosio, & Grossubto, à soluto milite, seu veriùs, lixis, ignis iniectus fuit: qua re duces primarij exercitus valde commoti, in-

authores inquisiuere. Sed nemo alterum prodere volebat. In pago Mazij (vbi pons per Abduam etiam iterùm construendus fuit) die Jouis noctu castrametati sunt; vbi magna vini generosi copia, exercitui parum proficua, inuenta fuit. Hostilis equitatus indefessus erat, & Mazium vsque excurrebat, ibique in hara militem, qui suem abducere volebat, comprehendit, ex quo de statu exercitus planè cognouit. Die Veneris xi. Septembris, concionem primò Pastoris sui Bernates audiuerunt: pòst consilium bellicum habitum fuit: vbi tum Gulerus, inter alia, claris verbis, Hodie, inquiebat, hostes paratos inueniemus: atque si vultis, nos Rhæti, cùm pro regione nostra certetur, in prima acie stabimus. Molinæus autem, & Frischingus petebant, Bernatibus primas in impressione concedi. Igitur conclusum fuit, vt primò trecenti tam Heluetij quàm Rhæti (quibus Abrahamus Binderus, Bernas; & Joannes Fauschius, Rhetigoius, ductores dati) tanquam Volones, & prima acies exercitus, præmitterentur: post, in prima acie Bernenses sequerentur: ac, quando ad locum, S. Gotthardum dictum, (templum & ædes aliquæ sunt, infra pagum Sernium, quæ domus postea igne conflagrarunt) ventum esset; tum legiones omnes tres ibi altera alteram exspectarent. Atque propè S. Gotthardum vallis est, quæ Clausa dicitur, quam hostis non facilè, si aliqui milites ibi substitissent, superare potuisset. Bernates mediam viam, nempe regiam; Tigurini autem, partem inferiorem versus Abduam; Rhæti mõtem, vt magis assueti, tenere: sicque vno impetu, ac coniunctis viribus, oppidum Tiranum adoriri debebant. Sed Bernates, cùm ad locum destinatum venissent; ab equitatu hostili lacessiti, vltra Vallem Clausam pedem tulerunt. Hostis iam numero, vt diximus, auctus, & præparatus erat.

Aderant enim Don Hieronymus Pimentellus, Octauianus Custodes, Commissarius generalis equitatus in Ducatu Mediolanensi; Philippus Spinola, Ambrosij Marchionis filius, Joannes Gusmannus, Franciscus Viues, Petrus Baro à Vatteuila, Manfrinus Castilionæus, Hercules Camera, Locumtenens turmæ equitum Don Alphonsi Carilli; atque cum his multi alij nobiles Hispani, & Itali, præter equitatum,

tum, qui ante in Valletellina erat: vt iam equites quingenti essent. Ex peditatu aderat Joannes Brauus, cum vndecim cohortibus ex legione sua; cuius Centurio maior Don Joannes de Origliana erat: item, vndecim cohortes ex legione Ludouici Cordubensis, quibus Centurio maior Don Diaz Samoranus iussa dabat. Adhæc adfuere quoque milites illi Itali, qui Bormij fuerant: itemque sex cohortes Volturenensium, sub Capitaneis Antonio Maria, & Ioanne Maria, Parauicinis; Jacobo Taurello, Simone Venosta, Francisco Guicciardo, & Joanne Campaccio, quem pro Voltureno assumpserant. Iste exercitus omnis, aut vesperi ante, aut ipsa die Veneris, Tiranũ ingressus est: ita, vt multi Hispani tãtùm sarcinas deposuerint, & ad prælium in campum prodierint. Tormenta maiora bellica iam aduecta erant: sed tantùm tribus vti potuerunt. Unum in campum ipsum extra oppidum, vbi aliquos aggeres excitauerant, extraxerunt. Hispani in vineis proximis post muros, & aggeres, in insidiis latitabant: in aliquibus locis etiam vites inciderant, & muros complanauerant, vt cursus & pugna equitatus liberior esset. Cùm iam illi trecenti nostri Volones cum hoste velitarentur (nec infœliciter: nam parte montis & muris iam defendebantur: sed iam puluis tormentarius ipsos deficere incipiebat) Bernates, per viam regiam incedentes, in hostium insidias incauti inciderunt. Molinæus imperterritus, Capitaneos suos ad consilium vocat; atque in aciem cohortes tres primas, nempe, suam, Jodoci à Bonstetten, & Joannis Rodolphi Vagneri, disponere vult: sed locus admodum iniquus, nempe ager aliquantum pendens erat, in quem per rectam lineam Hispani ex insidiis scloppettis eos petere poterant. Rollmannus, Molinæi Secretarius, primus in genu, Molinæus ipse in brachio vulnerantur, eiusque puer, nobilis ab Effingen, scloppetto occiditur: atque, qui in primo agmine stabant, omnes ferè aut interficiuntur, aut lethaliter sauciantur. Approperat equitatus hostilis; quem tamen Bernates viriliter excipiunt. Octauianus Custodes, cum cassidem capiti non imposuisset; globo per frontem acto occiditur. Dauid Onellius in crure vulneratur: equus Pimentelli sub

ipſo interfectus fuit. Et iam remiſſiùs equites inſtare videbantur. Sed Onellius, viribus reſumptis, acriùs cum ſuis vrget. Molinæus ſaucius ſuos ad virtutem auitam exhortatur, arrepta ſariſſa ex manibus militis Bernatis vnum ex ephippio deturbat. Jam verò peditatus hoſtilis cum equitatu coniunctus, Bernates fortiùs premunt. Ubi tum Molinæus, cùm ſe ad murum contuliſſet, & adhuc intrepidè ſe defenderet, vt ſe dederet interpellatus fuit. Ipſe verò renuit, & nomen ſuum Italicè, vti linguæ gnarus erat, profeſſus, ſe velle, vti militem decet, in armis mori, reſpondit. Sic ipſe, & Friſchingus, atque omnes Capitanei Bernenſes, præter Binderum, dum ſtrenuè ſe (præſertim illi duo, à Bonſtetten, & Vagnerus) defenderent, interfecti fuere. Bartholomæus à Romeſtal, ad Abduam flumen properans, à lapide decidente occiſus fuit. Aliqui Abdua abſorpti: multi tranarunt, atque per pontem proximum, ad Tigurinos, alij quidem recta, venerunt; alij per montem Albiolam Peſclauium verſus euaſerunt.

Tigurini, acie bene formata, adſunt: ſic etiam Rhæti iuxta montem celeriter incedunt: atque hoſtes iam denuò aggreſſi, poſt acre prælium, ex campis & aggeribus fugant. Tigurini aliqui, inter quos Capitaneus Stuckius fuit, tanto impetu ferebantur, vt ad ipſa portæ limina Tirani tres hoſtes interfecerint. Equites plerique ſpoliorum cauſa ex equis deſcenderant, & in ſumma confuſione erant. Nam impedimenta bellica tam Tigurinorum, quàm Bernenſium, quæ inter vtramque legionem portabantur, hoſtis nactus erat. Tormentum illud maius, quod extra mœnia hoſtes traxerant, dereliquerunt; ſed priùs à curru deiecerunt, vt vſui eſſe non poſſet. Cùm iam Gulerus ſenior, cum filio Joanne Petro (qui etſi Præſes Fœderis eſſet; tamen bello aderat) & aliquibus Rhętis, ex montis parte, in locum, Camponum dictum, qui propè mœnia Tirani eſt, ad Tigurinos iret, atque frater meus, Florius, in proximo Caſtaneto ſupra Tiranum milites ad pugnam exhorteretur; contigit fortè, vt duo milites Rhetigoij inter ſe altercarentur: quos dum ipſe compeſcere vellet; proindeque aliquantum pedem firmaret; ab hoſtibus ex oppido cum lorica lucenti, & pluma

plumaalba, conſpectus, ſtatimque Falckonetto petitus, in lumbis ſub latere ſiniſtro tranſuerberatus fuit; atque ita in inuocatione Nominis Diuini, cùm Patriæ libertatem, vxorem, & liberos, aſſtantibus nepotibus commendaſſet, animam Deo reddidit. In proximo loco Colognæ in Cœmiterio ſepultus; ſed pòſt ab hoſtibus extra cœmiterium tractus fuit. Decem Juriſdictionum milites iam ex caſtro ſupra Tiranum hoſtes omnes ferè depulerant: & ab altera parte Tigurini, quibus etiam mixti Bernates, cum aliquibus Rhætis, ſub mœniis fortiter dimicabant. Tres Tigurini, & duo Rhæti, mœnia ipſa propè molatrinas conſcenderant; & ignem tribus domunculis ſubiecerant: ſed à multitudine ſuperuenientium Hiſpanorum oppreſſi fuere. In oppido trepidatio non exigua, præſertim inter Voltureносs,erat. Jacobus Robuſtellus, Doctor Franciſcus Venoſta, conuaſatis ſarcinis, iam equos conſcenderant, & auffugere volebant. Simon Venoſta, qui vnus Volturenenſium Capitaneus erat, per medios vicos oppidi currebat, & omnes ad fugam hortabatur. Don Joannes de Origliana autem baculum ei in faciem impegit, vt copia ſanguinis profueret. Nec Hiſpani ipſi tamen metu carebant. Omnem enim apparatum bellicum ex Prætorio, vbi aſſeruabatur, vt aueheretur, efferri curauerant: tormentum vnum maius trans pontem vexerant: oppidoque cis pontem ignem iniicere animus erat: equites etiam plerique oppido egreſſi erant: & duæ cohortes peditum verſus Templum B. Virginis progrediebantur. Ad Caſtrum Plattamala trecenti milites, ſub Moreto, & Franciſco Bulla, erant: qui cùm neminem à parte Peſclauij comparere viderent; ex iis aliqui ad Ripam Abduæ ſe contulerunt: quibus deinde Franciſcus Caſamarra, cum aliis, ſe coniunxit: indeque per Abduam flumen Tigurinos à latere maximè ſcloppettis vexarunt. Porrò, cùm iam noſtri puluere, & globis tormentariis, deſtituerentur, nec ſcalas, aliaque ad oppugnationem neceſſaria, in promptu haberent, iamque pluſquam per decem continuas horas in pugna ſtetiſſent; de receſſu deliberarunt: atque, poſtquam prius Molinæum, & alios Capitaneos inhumaſſent; aſſumptis ſecum ſauciis, lento gradu, Mazium ver-

ſus reuerſi ſunt. Cùm aliquantum proceſſiſſent, ſubſtiterunt, expectantes num aliqui oppido egredi vellent: ſed nemo comparuit. Laudari autem præ aliis debet virtus & induſtria Stephani Fineck, Underualdiani, Heluetij; qui ſub Duce primario Tigurino, vti gregarius militans, duodecim hoſtes, ſemper in vno tuto loco ſtans, ſcloppetti diuerſis ictibus interfecit: vti ipſe Pimentellus, & alij Capitanei Hiſpani, Legatis Fœderis Griſæi, anno M.DC.XXI. Mediolani confeſſi ſunt, qui ipſum per ſtaturam & veſtes deſcribere nouerant. Ex hoſtibus, quadraginta ſeptem Hiſpani, inter quos conſanguineus Joannis Braui, titulo Capitanei ornatus, propè Molendinum interfectus fuit. Pluſquàm quinquaginta ſauciati. Ex Italis triginta quatuor mortui; inter quos, præter Octauium Cuſtodem, fuit Capitaneus turmæ equitum, Joſephus Giraldus, qui in brachio læſus, poſtea ex vulnere obiit: atque Officiales quinque alij, tam Hiſpani, quàm Itali, alicuius nominis, interfecti etiam fuere; multique vulnerati. Ex Bernatibus ducenti & viginti duo deſiderati: inter quos pluſquàm viginti capti. Atq; ex his aliquos, cùm Mediolanum deduci deberent, propè pontem S. Petri, ſub Berbennum in profluentem Abduam deturbarunt. Præter primarium Ducem, & Capitaneos nominatos, hi etiam officiales, Dauid Kymannus, Centurio maior vigilum legionis; Petrus Pfiferus, ſignifer Cohortis Romeſtalleri; Antonius Hermannus, Sergentus ſub Capitaneo à Grafenriedt; Rollmannus, Secretarius Molinæi; Hofmannus, Scriba Vagneri; Tilbergerus, ſcriba Bonſtetteri, occubuere. Tigurini quadraginta duo deſiderati: inter quos tamen nullus officialis fuit. Rhæti octodecim, inter quos octo Dauoſiani fuere, occubuerunt. In impedimentis Heluetiorum decem mille aurei in pecunia numerata, quatuor torques aurei, & aliqui boni equi fuere, quos hoſtis nactus eſt. Signa militaria omnia ſeruata, & nullum in manus hoſtium peruenit.

Nocte Mazij iterùm noſtri caſtrametati ſunt; vbi, conſilio bellico habito, Capitaneus Binderus ſuadebat, vt antè lucem verſus Tiranum proficiſcerentur, & hoſtem iterùm aggrederentur: multique etiam conſenſiſſent. Sed pulueris,

globorum,

globorum, ac funiculorum tormentariorum, & aliarum rerum necessariarum, summa penuria erat: multos etiam vulneratos trahebant. Die Sabbatthi XII. Septembr. Bormium remeantes, quòd pontes via regia ab incolis abruptos opinarentur, iuxta montem Mortirolum declinarunt: militibus nonnullis, itinere & laboribus defatigatis, loricas & alia arma abiicientibus. Rustici rebelles scloppettis, & saxis, nostros ex monte vexarunt, vnum ex equis Capitanei Vlyssis à Salis, duosque alios abduxerunt: ast Bernensis miles vnum scloppeto interfecit, vnde reliqui mox in fugam acti sunt. Postmodum cùm cognouissent, pontem Grosij non abruptum esse; illac per Vallem recta via Bormium venerunt. Aliqui Engadini, & alij, suprà pagum Luerum per Durenam montem, Monum in Vallem Camonicam venerunt: vbi Capitaneus Antonius de Riuiera la Longue, Gallus, cum cohorte sua, & aliis, erat; qui iam partem bellici apparatus, puluerem nempe nitratum, funiculos, & pilas, in Mortirolum montem miserant, vt ea Mazij nostri recipere possent. Tres milites Galli ex dicta cohorte cùm præirent; à Volturenis rebellibus in monte capti, & postea Mediolanum ducti fuere. Venere deinde per montem Gabiam in oppidum Bormium vndecim asini, & quatuor muli onerati puluere, globis, & funiculis tormentariis. Gregarij verò milites, cùm non maiorem copiam missam viderent; iam tum multi ex castris discessere. Die tamen Dominica XIII. Septembris, in consilio bellicò deliberatum fuit, Bormij permanere, oppidumque munire, & maiora auxilia accersere. Ast die sequenti, atque ipsa nocte, magna pars militis dilapsa fuerat. Tigurini, Vallis-Monasterienses, & aliqui Dauosiani, cum primario Duce Gulero, cùm omni ope anniterentur, vt milites sistere possent; atque omnis labor frustraneus esset; vltimi in recessu fuere. Die Lunæ, sub vesperam, in Vallem Luinum, & inde in Engadinam Superiorem venerunt: vbi Heluetij Zuzij, Scanfij, Maduleini, & Campouasti, castrametati sunt. Rhæti domum redierunt.

Hispani vix credere potuerunt, ita negligenter Bormium derelictum esse, atque per quatuor dies nullus miles

exterus eò venerat. Tandem cohortes aliquas Hiſpanicas, & Italicas, ex legione Hieronymi Rhaudenſis, eò miſe-runt. Venetorum Prouiſor Paruta poſtea dictum Locum-tenentem La Grange, Gallum, vt omnem rem certò cogno-ſceret, per Gabiam montem, & Vallem Furbam, Bormium verſus miſit; qui aſſumptis quinquaginta moſchettariis, ad pontem Bormij peruenit, ibique, cùm ſe transfugam cum ſociis ex caſtris Venetis ſimularet, cum ſtationariis Hiſpa-norum collocutus dicitur; indeque ad Prouiſorem cum rei enarratione rediit. Hercules à Salis, cum Conſtantino Planta, Venetias ægrotus appulit; vbi triſte nuncium de clade Tirani, & inopinato ex Bormio diſceſſu, morbum ita ipſi auxit, vt publicè nihil agere; tantùm priuatim quædam verba cum Secretario Joanne Baptiſta Padauino, conferre poſſet. Die XXVII. Septembris extremum diem obiit: filio Abundio, & aſtantibus, ante mortem, conſtantiam in Re-ligione Proteſtantium, & incorruptam in patriam, Heluetios, & Rempublicam Venetam, fidem, commendauit. Mo-nuit etiam, vt Fœdus Gallicum magni facerent; ſed tamen pro viribus procurarent, vt Legati Gallici, ſiqui in Rhætiam venirent, Hiſpanizantium amicitiam fugerent. Laudabat maximè coniunctionem Rerumpublicarum, hocque vni-cum libertatis conſeruandæ remedium eſſe aſſeuerabat. Corpus pollinctum fuit, & in ſacello aſſeruatum, donec in patriam deportari poſſet. Erat vir in litteris, & rebus politi-cis, maximè verſatus, & inſigni eloquentiæ dono dotatus. Dux, & Senatus Venetus, omnes Rhætos in Dominio ſuo, vti ſunt multi, præſertim Engadini, & Prægallienſes, ad de-fenſionem patriæ ſuæ exhortati erant: & eis trecentos du-catos, vt arma & alia neceſſaria comparare poſſent, dona-uerant. Hi Jacobum Barettam, Prægallum, Capitaneum elegerant: & iam Brixiam vſque cum ſigno militari deuene-rant: ſed certiores de infœlici prælio ad Tiranum facti, non vlterius progreſſi ſunt. Joannes Baptiſta Padauinus iam in Heluetiam Legatus deſtinatus erat, vt militem auxiliarem pro Rhætis conſcriberet. Sed noſtrorum ex Bormienſi ter-ritorio diſceſſu, omnia præpedita fuere. Conſtantinus Plan-ta à reditu ſuo affirmauit, quantum explorare potuerit, Ve-

netos

netos eò inclinasse, vt, si aliquem locum nostri in Valletellina, aut Bormiensi territorio, tenuissent, suo milite eum firmarent: cæterùm bellum offensiuum contra Hispanos minimè gesturos fuisse. Petrus Raimundus d'Aulagne de Roquelaure, Gallus, apud Venetos Vltramontanorum Primarius Dux, postea, per Laurentium Cortesium, Pesclauiensem, schedulam ad duces Primarios Heluetios, Tigurinos, & Bernates, atque Rhætos, ex Valle Camonica exarauit, quæ in Engadinam Superiorem delata fuit: qua, vt bono animo essent, hortatus, se cum copiis suis etiam promptum futurum spem fecerat. Sed nostri iam Bormio, vbi eos putabat esse, discesserant.

Curiæ Comitia celebrantur, deque Guefferio Legato in Rhætiam vocando, deliberatur: adeoque Samuel Burgauerus, cum humanissimis litteris, ad eum Solodurum mittitur. Ipse rescribit, Se priùs in Rhętiam non venturum, quàm omnia acta in præiudicium Coronæ Christianissimæ, suiipsius, & Interpretum Regiorum, Tusciana, Ciceriana, & Dauosiana, reuocentur, & abrogentur: quod à Senatu Rhętico, & Communitatibus, mox factum fuit. Burgauerus referebat, Guefferium etiam ægrè tulisse, quòd nostri Bormium reliquissent: faciliùs enim pacem maiori cum Rhætorum honore tractari potuisse. Guefferius paulò post Altorffium in Uraniam proficiscitur, vbi etiam Alphonsus Casatus erat, & aliquandiu ibi commoratur.

Joannes à Porta, & Caspar Alexius, iam se ad iter accingunt; &, cùm Arouiæ in Heluetiis apud Legatos Protestantium fuissent, Basileam petunt. Inde secundo Rheno Argentinam petentes; die xxv. Septembris, Brisachij, in ditione Austriaca, capti, & Oonipontum deducti, ibique per viginti septem menses in carceribus detenti: postea dimissi fuere.

Sed modò stylus ad Grisæos, nempe Catholicos, flectendus est. Ex his aliqui, Jacobus, inquam, Toscanus, Canonicus Curiensis, & Vicarius Vallis Misaucinæ (hic postea dixit, se tantùm ad accersendum Guefferium Legatum Solodurum cum Lucio à Monte, non autem ad vocandos Heluetios, profectum esse) Lucius à Monte, Jo. Antonius

Gioerius, cum litteris à Judice Prouinciali, sigillo Fœderis munitis, insciis tamen, vt asseuerabant, Protestantibus, ad quinque Pagos Heluetiorum Catholicorum profecti sunt: & ibi multa, imò etiam ficta, de Lutheranis Rhætis conquesti dicuntur. Finxerunt, vt illi ipsi Heluetij Catholici postea affirmarunt, iam septem Templa Catholicorum Protestantes in Rhætia occupasse. Nec minùs solliciti apud vtrumque Legatum, Gallicum, & Hispanicum, fuere. Hispanus, qui ad omnem occasionem vigilabat, sumptus ad alendas quinque cohortes obtulit. Guefferius quoque voluntate, non autem sumptu, concurrisse dicitur. Conscriptus statim miles, prætextu, ac si quinque Cantones Catholici eum mitterent, & contribuerent: proinde etiam in vexillis insignia Cantonum suorum habebant. Colonellus electus fuit Jo. Conradus à Beroldingen, Uranius; Locumtenēs Colonellus, Joannes Lussius, Underualdius: qui duo non proprias Cohortes habebant. Capitaneus autem Lucernensis cohortis erat, Ægidius Fleckensteinius: Uraniæ; Sebastianus Henricus Trœschius: Suitensis, Petrus Schellius, & Casparus Schorerus: Underualdensis, Jo. Zellingerus, & Jo. Jacobus Imlingus: Tugianæ; Beatus Jacobus Meienbergerus, & Volphgangus Brandembergerus. Erant omnes, mille quingenti milites. Isti, die x. Septembris, Disertinum appellunt: inde Ilantium veniunt: posteaque ad pontem Richenouiæ, & in vicinis locis, castrametantur. Grisæi Catholici horum aduentu alacriores, Protestantes Fœderis sui imperata facere cogunt. Tuscienses se opponere videbantur, & viam intra Rhætium, & Cazium, abruperant: sed mox, suasu Caspari à Schauenstein, iter iterùm construxerunt, & Grisæos receperunt. Tusciæ Grisæi litteras fœderis sui cùm iurassent; aliquos articulos publicarunt. Horum Summarium: Religionis vtriusque libertas: &, vt licitum sit omnibus Ecclesiasticis, cuiuscunque ordinis, in Rhætia liberè habitare; & Seminaria, Monasteria, & Collegia, extruere: ita tamen, vt personæ Ecclesiasticæ se rebus Politicis minimè ingerant. Literas fœderales suæ præcipuè, & Trium Ligarum, Fœderaq; cum Heluetiis, cum Rege Galliarum, & Fœdus Hæreditarium cum domu Austriaca, ob-

ca, obseruare: fœderi cum Venetis pangendo in perpetuum renuntiare, & practicantes eius seuerè castigare constituunt. Omnia Acta Judicialia, Tuscienśia, Ciceriana, Dauosiana, abrogant, & reuocant: Curiensia autem confirmant. Grauatis personis, ratione damnorum & prætensionum suarum, Tribunal neutrale constituere, & iustitiam ex æquo omnibus administrare: seditiones, & officiorum nundinationes, posthac, sub graui pœna vitare: Legatum Guefferium in Rhætiam vocare: & denique de recuperatione amissorum deliberare, vocatis in auxilium Rege Christianissimo, & Heluetiis, concludunt. Sexamnienses, etsi Fœderi Grisæo inserti essent; tamen cum eis, nonnisi communi voto Trium Fœderum, prout codicilli fœderales dictitant, stare, & in consiliis concurrere volebant: quos proin, ceu rebelles sui Fœderis, castigare; & armis Vallem cæteri inuadere volebant. Hique vicissim vallis & milite suo regionem suam muniebant, & auxilia ab Heluetiis Protestantibus, qui in Rhætia erant, & à Fœdere Decem Jurisdictionum petebant. Sed cùm hi potiùs amica compositione, quàm armis, rem decidi suaderent; Sexamnienses tandem etiam Grisæos admiserunt. In pactis tamen expresse petitum; Ne Calanchenses armati in ipsorum regionem venirent. Nam paucis antè diebus, dum excubiæ in Viamala agerentur, Misauciensis quidam senem octuagenarium in Roncalea scloppetto occiderat. Jam Fœdus Grisæum vnitum, per nuntios & litteras, Cathedrales, præter Engadinos Inferiores, & Vallis-Monasterienses; item ex Decem Jurisdictionibus Maiæuillanos, Aluonouanos, & Coruantios, ad se inuitat. Sed hæc tectè agebantur: nam à dispositione codicillorum Trium Fœderum apertè nemo videri volebat recedere velle. Grisæi autem Catholici timebant, ne si Senatus Trium Fœderum conuocaretur, etiam Protestantes sui Fœderis se cum cæteris coniungerent, & inde Protestantes potiores suffragiis fierent.

In Valletellina interim incolæ, & milites execrandis modis in corpora defunctorum sæuierunt. Sondrij, Berbennij, Caspani, & Trahonæ, ex sepulturis extracta, combusta, & cineres in aquam deportati fuere. Berbennij aliqua à cani-

bus lacerata. Atque iidem rebelles etiamnunc ob prædas, ceu Cadmæi fratres, mutuis vulneribus cecidêre. Joannes Jacobus Parauicinus, cum aliis, Trahonæ Cancellarium Prosperum Parauicinum cum famulo interfecit. Doctor Joannes Jacobus Paribellus, fratrem suum proprium Horatium sclopetto transuerberauit. Inter militem exterum etiam, & incolas, frequentia dissidia erant. Mense ineunte Octobri, aliqui Hispanici milites Brusium iuerũt, vt fœnum inde abducerent. Rustici Brusienses, qui cum Volturenis rebellibus stabant, se his opposuerunt, duos Hispanos interfecerunt, aliquósque sauciarunt. Brusiensis etiam vnus occisus fuit. Et parùm abfuit, quin Joannes d'Origliana vicum delle Calende igni perderet. Hispani milites, qui ad Ripam Mezolæ erant, in Vallem Coderæ irruperunt: sed incolæ eos fugârunt, vnum occiderunt, & aurem ipsi amputatam Clauennam detulerunt.

Rhetigoij, & alij, curâ premebantur, ne Grisæi, prout iam fama volabat, in Dominio Maiæ-villano, & in Quatuorpagis castrametarentur. Proinde Heluetij Protestantes, ex Engadinâ, mense Octobri, venerunt: atque Tigurini in Dominio Maiæ-villano: Bernates in Quatuorpagis apud Igesianos & Cicerianos, castrametati sunt: simúlque transitum illum ad Cliuum S. Lucij custodiuerunt.

Aduenêre interim ad priorem militem Austriacum, qui iam in finibus erat, mille selecti viri, à Paride, Comite Ladrono, Archiepiscopo Salisburgensi, missi. Horum Capitaneus Major erat Josephus Ciurlettus; Capitanei etiam alij duo; Joannes Ballionus, & Joannes Keiserus. Ex his aliqui Oonotrij etiam castra ponunt. Et iam Archiducales in loco Aquella, non procul à Finstermüntz, magnam syluam cædere satagunt; (discessu enim Heluetiorum Protestantium ex Engadina erant audaciores facti) operariis addunt custodes milites Salisburgenses.

Locus autem hic semper in Jurisdictione Engadinensium fuit: quamuis ab aliquo tempore etiam Austriaci ibi iura prætenderint. Celinenses autem Engadini, vt propinquiores, éxeunte Octobri, armati eò accurrunt, & milites atque operarios inde depellunt, atque Austriacorum ibi aggeres

occupant.

occupant. Die ſequenti etiam Eremuſiani adſunt: atque identidem Auſtriaci numero augentur. Ita ſclopettis vtroque die certatũ fuit. Ex Auſtriacis duo interfecti, & aliqui vulnerati: ex Engadinis Antonius Matthæus lethale vulnus in femore accepit, ex quo paucis pòſt diebus mortuus eſt. Ab eo tempore Auſtriaci à lignis cædẽdis abſtinuerunt. Archidux Leopoldus poſtea, per litteras, ad Tria Fœdera exaratas, grauem ſuper hac re querelam inſtituit. Griſæi, ſeparatim etiam, ad Archiducem reſcripſiſſe dicuntur, (etſi Proteſtantes plerique de hoc nihil reſcire potuerint) ſibi nihil negotij cum Engadinis illis inferioribus, qui ſemper tumultuarij fuerint, eſſe: nec ſua ſe arma cum eis coniungere velle. Petiêre etiam, vt duo Prædicantes Oeniponti capti diligenter ſuper rebus Rhæticis examinarentur, atque exemplum confeſſionum ſibi tranſmitteretur. Quod factum fuiſſe, aiunt.

Legatus Guefferius, per crebros nuntios, & litteras, acceſſitur: omniáque acta Judiciorum cenſoriorum, Regem Chriſtianiſſimum, eiúſque miniſtros ſpectantia, antiquata; atque codicilli publicis ſigillis muniti ad eum mittuntur. Tandem die VI. Nouembris, cum Capitaneo Joanne Georgio, Curiam ingreditur. A milite Heluetico Proteſtante in tranſitu crebris diſploſionibus, in ſignum lætitiæ, exceptus fuit: atque tota ferè nobilitas Rhætica, ciues Curienſes, & Fœderis Griſæi plerique milites armati, ipſi obuiam progreſſi: adeóque ſummo applauſu vbique exceptus fuit. Ante hoc tempus Griſæis nunquam permiſſum fuerat, vt ciuitatem Curienſem armati intrarent: modò nunc occaſionem quærunt aliqui, Conſuli Gregorio Mejero infenſi, non tam ipſius cauſa, quàm quòd Guleri ſenioris filiam vxorem haberet, quæ etiam amita Baronis Rodolphi à Salis erat: contra quos duos Primores aliqui Griſæi mirè debacchabantur. Ductoribus ergo Lucio à Monte, Georgio de Georgiis, & Jo. Antonio Gioerio, domum Conſulis cingunt, & eum captiuum Richenouiam, & inde Ilantium, abducunt. Ciues plerique Curienſes, per Tribus ſuas diſtributi, merendam ſumebant, atque adeò pauci illud reſciebant. Duo fœdera Legatum Guefferium adeunt, conqueruntur de captiuita-

te Meieri; idque eò magis, quòd eodem die reditus ipsius accidisset, ipseque Meierus, nomine Rhætorum, ipsum Legatum excepisset. Orant itaque, ipse operam det, vt fideiussione præstita, dimittatur. Guefferius subridens, respondebat, Se quidem ægrè ferre, quòd hac die captiuus factus fuerit: cæterùm Meierum nihil de se mereri, cùm contra Gallos, & se quoque, verba contumeliosa antehac effuderit. Spondet tamen apud Grisæos operam suam, vt fideiussione dimittatur. Porrò imputabant Meiero, quòd Curiæ aliquando in conuiuio, cum aliqui dicerent, Legatum Mironum contra Gulerum, ipsius socerum, iracundè quædam verba protulisse; quòd nempe Gulerus ea, quæ in Gallia promiserat, non præstiterit; Meierus tum ad hæc regesserit: Socerum suum omnibus viribus suis, vt, quæ in Gallia dixerat, effectui darentur, operatum esse: sed nec Gallos omnibus stare promissis. Meierus autem clarè semper asseruit, Se contra Regem Christianissimum ne verbum quidem contumeliosum protulisse: sed tantùm de modo procedendi Ministrorum ipsius aliquorum conquestum esse. Vocauitque testes omnes, qui præsentes sermonibus illis fuerant. Legati Heluetiorum, & Rhætorum duorum fœderum, sæpius Ilantij apud Grisæos, vt cautione habita illum dimitterent, instabant. Et Grisæi multi (quorum aliqui apertè fatebantur, præcipuè ob affinitatem Guleri ipsum vexari, & nihil alicuius momenti in processu contra ipsum extare) ad dimissionem consensissent: obstabant autem alij captiuitatis auctores. Tandem, exeunte mense Decembri, opera amicorum euasit, & Tigurum se contulit. Capitaneum Carolum à Marcha, Misaucìensem, quem ex præcipuis Venetizantibus vnum agnoscebant, etiam liberiori custodia detinebant: vt ex ipso practicas, vt vocant, Venetizantium expiscari possent. Sed nec ex hoc quicquam rescire potuerunt. Qui proin fideiussione data, dimissus fuit.

Paucis pòst diebus, Guefferius, cùm Grisæi Curiam venire recusarent, ad eos in locum, Planum-Rheni dictum, (intra Curiam & Amisium est) iuit: & eò duo Fœdera deputatos suos etiam miserunt. Ibi tum Guefferius cum Grisæis

ſæis tractans, volebat, vt quicquid poſthac deliberandum eſſet, communi conſilio Trium Fœderum fieret. Griſæi iam audaciores Heluetiorum Catholicorũ præſentia facti, vtpote quorum conſilio, præcipuè Colonelli Jo. Conradi Beroldingeri, multi regebantur, renuebant. Engadinos enim inferiores, & Vallis-Monaſterienſes (hos Hiſpani propter tranſitum ſeparatos volebant) excludere tentabant. Idem de Dauoſianis, & Rhetigoiis; ſed non ita apertè; innuebant. Griſæi etiam pecunias ab eo flagitabant: ſed non ita promptus iam in ea numeranda erat. Die x. Nouembris, Heluetiorum Legati toties per litteras à Rhætis expetiti, Curiam appellunt; nempe, Tigurinus, Henricus Bræmius: Bernenſis, Samuel Jennerus: Lucernas, Joannes Jacobus Sonnebergius: Uranius, Emanuel Beſlerus: Suitenſis, Ægidius Friſchherz: Underualdius, Melchior im Feldt, & Joannes Luſſius: Tugienſis, Caſparus Brandenbergerus: Glaronenſis, Adamus Bæningerus: Baſilienſis, Jo. Lucas Iſelius, iunior: Friburgenſis, Joannes Riffius: Solodurenſis, Victor Hafnerus: Scaphuſianus, Joannes Peierus: Abbatiſcellenſes, Achatius Viſerus, & Joannes Schüſſius: denique Valeſianus, Nicolaus im Eich.

Porrò duo Fœdera expetebant, vt Curiæ, Legatus Gallicus, & Heluetiorum omnes Rhætorum, controuerſias amica compoſitione definirent. Offerebant etiam omnibus liberum acceſſum. Sed Griſæi, Heluetico, & ſuo militi confiſi, Ilantium ſemper nominabant. Duo Fœdera etiam tandem conſenſerũt: atque iam Legati omnes ad Ilantinum iter ſe accinxerunt. Aſt duobus diebus, ante quàm Guefferius cum Heluetiis, & Rhætis duorum Fœderum Deputatis, Ilantium appelleret, Griſæi Jo. Antonium Gioerium, ſub prætextu, ac ſi liberam ex Valletellina abeundi poteſtatem, pro duobus Cancellarij Michaëlis Lazaroni filiis procurare deberet, Mediolanum miſerant. Inſtructio autem præcipua erat: Vt pro ſuſpenſione armorum apud Ducem Feriæ, atque pro Reſtitutione Vallistellinæ, inſtaret. Nempe Hiſpanicorum ſtratagematum hoc vnum quoque fuit, qui Gallici Legati negotiationem hoc modo interruptam, prætereaque Rhætos ſibi ſupplices fieri, volebant. At-

que Guefferius ægerrimè hoc tulit: persuaserat enim sibi, Grisæos nihil sine suo consilio acturos. Gioerius, post tres septimanas, vnà cum Pompeio Planta, Fabio à Præpositis, & Johanne Leone (qui ex Valle-Monasterij, inscio Balderono, Mediolanum versus discesserant, proindeque Tirani per quindecim dies in itinere detenti, & retardati fuerant) Ilantium rediit, & suspensionem armorum pro Grisæis, necnon pro duobus Fœderibus reliquis, si modò id expetant, obtinuit. Litteras præterea à Duce Feriæ attulit, quibus asserebat, Se tantùm ad tutandam Catholicam Religionem Vallistellinensibus auxilia tulisse: Quòd si hæresis inde profligetur, & Volturenis, cùm hoc zelo religionis egerint, abolitio præteritorũ impertiatur; facilè rem cõponi posse. Deputati Fœderis Grisæi deinde rescripsere: Duo quoque Fœdera suspensionem armorum acceptare: prout reuera erat; etsi duo Fœdera scribere non vellent. Præterea Duci gratiis actis, quòd Gioerium benignè audijsset, satis innuerunt, Legatos se, prout Gioerius ex mente Ducis Feriæ expetierat, Mediolanum mittere velle.

Ilantij interim aliqui Deputati ex Grisæo & Cathedrali Fœdere (iam tum secessionem Hispanizantes à Decem Jurisdictionum Fœdere quærebant) quotidie conueniebant. Engadinos tamen inferiores, & Vallis-Monasterienses, qui expulsi etiam Ilantij suos deputatos habebant, non admittebant: Jamque articulos antè conceptos nouis superadditis augebant, atque Guefferium etiam adibant: qui petebat ijsdem articulis hoc etiam augmentum addi, quo Episcopo Curiensi, & Capitulo, ibidem omnia prætensa iura antiqua restituerentur, Ecclesiastici à foro Politico eximerentur, atque res matrimoniales solis illis dirimendæ relinquerentur. Adhæc, alia quædam, quoad reditus pro Ecclesiasticis Catholicis, desiderabat. Deputati tamen ad pleraque consentire non volebant. Cæterùm quod Guefferius maximè vrgebat, hoc erat: Ut Rhæti, etsi Respublica libera esset; tamen, pro quiete patriæ, cum nullo Principe fœdus aliquod, sine consilio & voluntate Regis Galliæ, inire possent. Vocabat hoc, Articulum Neutralitatis. Sed plerosque Grisæos hoc ipsum maximè offendit.

Comi-

Comitiis Ilantij finitis, Abbas Disertinensis, die XV. Decembris, ad Nuncium Apostolicum, qui Lugani erat, de successu omni scripsit. Atque Nuncius Apostolicus Saregus litteras responsorias ad Abbatem Disertinensem Lugano die XXIII. Decembris M.DC.XX. (hæ postea anno M.DC.XXI. cum aliis Disertini inuentæ fuere) exarauit; quibus, inter alia, laudat consilium (*partito* Italicè vocat) multoties à se propositum, & ab Abbate toties approbatum; nempe, hæresin ex tota Rhætia extirpandam, & solam sanctam fidem Catholicam plantandam esse.

Beroldingerus his diebus cum Joachimo Puntinero, Alphonsi Casati interprete, Ilantium venit, eoque non exiguam pecuniæ vim attulisse dicitur. Sæpè hic cum Guefferio tractauit, &, vt postea Guefferius (cùm minùs inter illos, præcipuè propter articulum neutralitatis, conueniret) nobis aperuit, voluit Beroldingerus, vt Engadini Inferiores, Vallis-Monasterienses, Dauosiani, & Rhetigoij, à cæteris Rhætis segregarentur, & excluderentur: sic enim fidem Catholicam, & quietem, in Rhætia plantari posse. Sed Guefferius ad separationem istam consentire noluit: inquiens, Regem Galliæ hoc nunquam permissurum. Quòd si ipse consentiret, à Rege suo meritò capitis supplicio se afficiendum fore. Articulos de redditibus Ecclesiasticis quod attinet, constitutum, vt vbi maior pars Protestantium in aliqua parœcia est, illi redditibus Ecclesiasticis eius Communitatis soli fruantur: sic vice versa, vbi maior pars Catholicorum; & ipsi eis frui possint: de reliquo in religione sua nemo impediatur.

Cæterùm, vbi iam pacta conuenta inter aliquas Communitates (vti Cazij & Almeni) sunt, illa firma maneant. Controuersia, quæ in Quatuor pagis ob redditus Ecclesiasticos, & Templa agitabatur, Rodolpho à Schauenstein, & Gregorio Gugelberg à Moos, decidenda committatur. Venetorum etiam (sic suadente Guefferio) nulla expressa mentio fiebat: sed in genere omnes nundinationes prohibebantur. Atque hæc omnia vt perpetuò obseruarentur, vades & executores nominati, Rex Galliæ, & Heluetiorum tredecim Cantones, cum Valesianis. Quibus propterea litteræ

Z

repromissionis, & obseruationis, à Rhætis dari debebant.

Cùm iam omnes articulos ex voto duorum Fœderum Deputati ordinassent, Procurante Guefferio, Decem Jurisdictionum Fœdus, Engadini Inferiores, & Vallis-monasterienses, etiam in consilium vocati fuere. Ubi à Grisæis aliquibus illis obiiciebatur, quòd seditionum authores semper fuerint. Illis contrà ab his Hispanismus, imminutio litterarum fœderalium, denique tergiuersationes in recuperatione Vallistellinæ, exprobratæ fuere. Legatus Guefferius apud Cathedrales, & Decem Jurisdictionum deputatos, obtinuit, vt, reseruata ratificatione Communitatum, articulum illum neutralitatis approbarent. Jam etiam tractatum fuit, vt omnis controuersia, quæ inter Rhætos esset, in Legatum Guefferium, & Deputatos Helueticos, compromitteretur. Atque Cathedrale, & Decem Jurisdictionum Fœdus, hac cum limitatione consenserunt, vt res Politicæ omnibus in genere committerentur: quæ verò Religionem spectant, pari ab vtraque Religione Jusdicentium numero deciderentur. Ast Grisæi semper vanam suam prætensionem contra Fœdus Decem Jurisdictionum, Engadinos Inferiores, & Vallis-monasterienses, data opera, vt effugium aliquod haberent, excipiebant. Et iam quæstio etiam mouebatur, Num Legati Guefferij suffragium in decidendis controuersiis pro vnico, vel pro pluribus censendum. Quinquepagici enim aiebant, Se super articulo neutralitatis, & votis Guefferij, nullam à superioribus suis authoritatem habere. Sic tandem discessum Ilantio, vt res videretur composita; nempe, vt de suffragiis Legati Gallici, inter ipsum & deputatos Heluetios conueniretur. Sed mox Grisæi formam compromissi faciendi Ilantio ad Duo-fœdera Curiam mittunt, atque adhuc antiquam suam cantilenam repetunt; contra fœdus Decem Jurisdictionum iterum quædam excipiunt; denique, se Legatos suos Mediolanum mittere velle significant: atq; Duo-fœdera, præsertim Cathedrale, etiam eò inuitant. Ad quæ duo fœdera, Grisæis rescribendo, ipsos exhortantur, vt, prout Ilantij conclusum fuit, omnem controuersiam arbitrio Gallici Legati, & Heluetiorum definiendam permittant, atque interea nihil innouent.

nouent. Sed frustra. Guefferius, Grisæis iratus, aliquorum Grisæorum peruicaciam causam mortis myriadum personarum fore, dicebat. Addebatque, Regem Christianissimum sibi plenas habenas in negotio Rhætico concessisse: seque, obtento à Tribus fœderibus articulo neutralitatis, statim Mediolanum profecturum, & à Duce Feriæ restitutionem Vallistellinæ petiturum; &, si vanas dilationes Dux quæsiuisset, bellum nomine Regis sui denuntiaturum. Grisæi quàm citissimè Legatos suos Mediolanum misere. Hi erant, Jacobus Baliel, Lucius à Monte, Casparus Schmid à Grueneck, Casparus à Schauenstein, Georgius de Georgiis, & Jo. Antonius Gioerius. Protestantium Heluetiorum Legati, cùm mentem maioris partis Grisæorum cognoscerent, viderentque ipsos Mediolanum proficisci velle; & ipsi die XVIII. Decembris ex Rhætia discessere. Bernensis Legatus legionem militum Bernensium, iussu, vt aiebat, magistratus sui, secum abduxit: Tigurini tamen suos in Rhætia reliquerunt. Catholicorum Heluetiorum Legati etiam ante festum Natalitium abierunt. Omnes autem se mox redituros spem faciebant.

Guefferius interim per cursorios equos Joannem Paulum, Interpretem Regium, in Galliam misit, qui vix supra mensem abfuit. Retulit, se Regem Christianissimum in vrbe Samarobriga Ambianorum (*Amiens*) inuenisse: qui se benignum declarauerit, nec Rhætos suos confœderatos se deserere velle dixerit. Et iam tum tractabatur de mittendo Francisco Bassompetra, Heluetiis, & Rhætis, vti ipsorum in Gallia Colonello generali, maximè accepto, tanquam Legato extraordinario in Rhætiam. Sed, mutato consilio, pro sollicitanda restitutione Vallistellinæ in Hispaniam missus fuit. Serenissima ac prudentissima Respublica Veneta, etiam per Legatum Ordinarium suum, Angelum Contarenum, necnon per Extraordinarium, Priulum, Philosophum dictum, in Gallia, Vallistellinæ restitutionem, causis adductis maximè vrgentibus, diligenter vrsit. Et Serenissimus ac Generosissimus Sabaudiæ Dux, qui antiquis experimentis Hispanorum consilia meliùs quàm vllus mortalium nouit, studio libertatis Italicæ conseruandæ, maximè mo-

tus, sapientissimis suis admonitionibus, & in aula Romana, & in Gallica, aliisque, negotij grauitatem strenuè pro Rhætis promouit.

Grisæorum Legati Mediolani benignè excepti fuere. Atque etiam ibi fuerunt Colonellus Beroldingerus, & Maximilianus Morus. Præterea ibidem Cathedralium aliqui Deputati exspectati, vt potiora vota Trium fœderum habere possent. Sed nemo comparuit. Voltureni etiam suos Deputatos Mediolani habebant, atque summopere instabant, ne Dominio Rhætorum iterum subiicerentur, vtque omnes Protestantes Valle excluderentur. Atque Julius Turrianus mense Decembri antè in Valletellina fuerat, & procurauerat, vt Consilium reges octodecim virorum constitueret, quorum Magistratus biennalis esset. Robustellus, quoad viueret, gubernatoris munere fungi volebat. Tirani, Doctor Joannes Thomas Canobius; Tilij, Actius Besta: Sondrij, Doctor Jo. Antonius Peranda: Morbennij, Jacobus Maalaguzinus: Trahonæ, Doctor Jo. Andreas Lauizarius: Bormij, Jason Folianus, Prætores electi erant. In Principio tractationis, Dux Feriæ se magis benignum ostendisse dicitur: postmodum de die in diem, de anno in annum, durior factus. Consiliariis præcipuis, Francisco de Badilia, Caettano Castellano Mediolanensi, Hieronymo Pimentello, Casparo Ferrario, magno Cancellario, & Don Joanne Viue, Legato Regis Hispaniarum apud Genuenses, & Antonio de Peres vsus fuit.

Tandem VI. Febr. M. DC. XXI. ad fœdus, & pactiones, deuentum: quarum summa hæc fuit: Vallistellina, & Comitatus Bormij, Rhætis, sequentibus conditionibus restituantur: vt, nempe, Propugnaculum Bormij in eodem statu permaneat, ibidemque, necnon Tirani, Sondrij, in castro Masegrij, Morbennij, & ad ripam Mezolæ præsidia à Rege Hispaniæ imposita, in tanto numero, quantus ipsi Regi placuerit, tolerentur: Claues tamen oppidorum Bormij, & Tirani, penes Prætores Rhætorum conseruentur. Bormij, & ad ripam Mezolæ, fortalitia per quinquennium stent; post solo æquentur. In cæteris verò locis per octennium præsidia persistant: quo tempore elapso, iterum octo deputati

ab vtra-

ab vtraque parte conueniant; atque si hi consultum iudicauerint, vlteriùs permaneant: tumque etiam de arce Fontana demolienda inter ipsos deliberetur. In tota Valletellina, & Comitatu Bormij, nulla alia Religio quàm Catholica Romana, locum habeat. Jurisdictio Ecclesiastica ad Comensem Episcopum tota pertineat. Tridentini Concilij Decretis pareant, atque Gregoriano Calendario vtantur. Protestantes exules bona sua diuendere, aut iis alio modo frui possint: sed tantùm per quatuor menses, quolibet anno, duabus distinctis vicibus; sine familia tamen eò proficiscantur: & deinde apud Consulem loci se constituant, ne tempus præscriptum transgrediantur: nullos etiam libros prohibitos secum ferant: denique scandalum nullum dent. Volturenis omnium in hac seditione commissorum venia, potestasque statutis & consuetudinibus suis fruendi, datur.

Fœdus perpetuum Dux Feriæ, nomine Regis Hispaniæ, cum fœdere Grisæo, iisque Communitatibus, quæ ex duobus Fœderibus (Cathedrales præcipuè nominat) præsentes conditiones acceptare volunt, pangit; vt nempe pax, & amicitia perpetua inter eos vigeat, & duodenis quibusque elapsis annis renouetur. Commeatus & commercia libera sint. Transitum Regi Hispaniæ Rhæti per Rhætiam, ad defensionem regionum & dominiorum Regiorum, atque Belgij, liberum dent: ita tamen, vt ad eum modum, qui in Capitulationibus cum Heluetiis Catholicis expressus est, non plures ducentis simul, per Rhætiam inermes quidem; per Vallemtellinam autem armati, transeant: atque vnius diei itinere cohortes semper à se inuicem distent: denique omnes expensas, atque si quæ etiam damna dederint, deputatis super eo Commissariis persoluant. Rhæti sex mille viros, viginti quatuor vexilla ad summum, Hispano concedant: atque idem pauciores tribus millibus non conscribat. Præterea mille quingentos ducatones annuos cuilibet fœderi pendat. Atque insuper, in casu necessitatis, eum numerum equitum, atque peditum, quo Rhæti opus habuerint, auxilio mittat, & suis impensis alat. Denique studiosos nonnullos Rhætos Mediolani, vel Papiæ, sustentet. Por-

rò expreſſè adiectum fuit, Vallemtellinam, & Comitatum Bormij, iis tantùm Rhæticæ Reipublicæ Communitatibus reſtituenda promitti, quæ capita hæc amplecterentur: atque his protectionem Hiſpanicam paratam fore. Rhætis ſpatium vnius atque alterius menſis ſuper hac tractatione ſe declarandi indultum. Dux verò Feriæ ratificationem à Rege Hiſpaniæ intra ſex menſes promittebat. Hiſpanus, more ſolito, ſuos Confœderatos: nec minùs Griſæi fœdera quoque ſua, ac nominatim Gallicum; cum litteris reuerſalibus, reſeruarunt. Atque ipſe ſeorſim, litteras reuerſales de promiſſione deſtructionis Fortalitii Fontæi, ſed ſatis implicitè conceptas; nec non de ædificanda ad merces porticu, (*ſuſta* dicitur) ad ripam Mezolæ dedit. Illi viciſſim reuerſorias litteras dedere, quibus promittebant, Oenipontum ſuos Legatos mittere, vt ibi controuerſiæ ex tenore fœderis hæreditarij deciderentur. Dux enim Feriæ in ſcriptis affirmabat; Se in hoc negotio cum Cæſare ex compacto agere. Legatos, liberaliter tractatos, & bono viatico inſtructos, eodem menſe Februario, in Rhætiam remiſit: vbi tùm articuli Communitatibus prælecti fuere. Pleræq; autem fortalitia deſtructa, & præſidia ſublata, volebant. Proteſtantes ad excluſionem Religionis ſuæ in Valletellina neutiquam conſenſuri fuiſſent: ſed ſui iuris non amplius erant. Nam Quinquepagici milites (vti Alto-Trinij, Fleckenſteiniani fecere) dum conuentus celebrarentur, armati populum, vt nemo vel hiſcere auderet, circumſtitere.

In Valletellina interim morbus contagioſus, Cephalalgia, graſſabatur. Multi, ex plebe præſertim, atque in Communitate Tirani maximè, abſumpti. Ex Medicis erant qui aſſererent, morbum hunc metu, quem inter armorum ſtrepitus conceperant, procreatum fuiſſe. His diebus Nicolaus Schennius, Miniſtralis Vallis-Rhenanus, ab aliquibus Vallis-Rhenanis, tanquam Venetizans, captiuus detinebatur: quē proin Ioãnes Caſimirus, Herculis à Salis filius, Iacobus Curtabattus iunior, Jo. Petrus à Sonuig, aliique, qui Clauenna in Vallem-Rheni venerant, ex cuſtodia liberarunt, atque Clauennam ſecum abduxerunt. Griſæi, Ilantij congregati, iam ſeptuaginta milites in Vallem S. Petri præmiſerant,

ſerant, vt eum captiuum Ilantium deducerent. Ad ripam Mezolæ, cum Hiſpanicis præſidiariis, erat quoque Joannes Antonius Bottintrochus, Plurienſis profugus. Hic, aſcitis aliquibus, die 8. Januarij noctu in Communitatẽ Pradam Comitatus Clauennæ cùm veniſſet, ex ſtabulo Buſchetti Proteſtantis ſeptem beſtias abduxit, ædeſque ibidem expilauit, & poſt incendit; atque tum, antequam Præſidiarij Rhæti accurrere poſſent, fugam arripuit. Menſe eodem Ianuario, Andreas Coſta Nouatenſis, cui ſe adiunxerant Carolus Stampa, Joannes Petrus Malacrida, Joannes & Franciſcus Bardellæ, Clauennates, omnes Proteſtantium Religioni addicti, ad locum, Malaguarda dictum, ab aliquibus Nouatenſibus, ſub ſpecie colloquendi de rebus familiaribus, euocati, ſtatim à manipulo Hiſpanicorum militum circumdati fuerunt. Carolus Stampa, & Jo. Petrus Malacrida, ſcloppettorum ictibus grauiter vulnerati, & vna cum Coſta captiui ad ripam deducti, atque poſt aliquod tempus dimiſſi fuere: Bardellæ duo fuga euaſerunt.

Porrò iam etiam Ilantium venit Legatus Hiſpanicus, Scaramuccia, ex Vicecomitum Mediolanenſium familia oriundus. A Griſæis pleriſque ſummo applauſu exceptus fuit. Pecunias namque ipſis diſtribuit, & octo vexilla fœderis Griſæi, ſumptibus Hiſpani aluit. Hic poſtea Ilantio in caſtrum Rhætienſe venit, vt maiori commoditate Communitates fœderis Cathedralis ad fœdus ineundum pellicere poſſet. Curiẽſibus, aliiſque, exemplaria capitulationũ miſſa fuere; ſed Proteſtantes conditiones admittere noluere. Supraſaxenſes Cathedrales autem fœdus iam ingreſſi erant. Pompeius Planta in Rhætiam, vt diximus, reuerſus, modò in caſtro Riedtberg, in Valle Tumiliaſca, habitabat. Vallis-monaſterienſes autem exules, qui plerique iam in Rhætia ſtipem colligebant, cũ aliis in vindictam cõtra ipſum, quòd Vallis-Monaſterij occupationi, & deuaſtationi adfuiſſet, conſpirarunt. Atque ipſe quidem admonitus, cùm centum Heluetios Catholicos ſequenti die, ad ſui cuſtodiam, in proximo pago Rottels collocare vellet; die Jouis xxv. Februarij ante lucem, ex pago Crucio in Rhetigoia, vbi congregati erant viginti circiter, quos Blaſius Alexander,

Georgius Jenathius, Nicolaus Carolus ab Altobalckono, ducebant, equis vecti, ad castrum Riedtberg ipso diluculo appulerunt. Ubi, comprehenso vno ex famulis Pompei, securim ab eo extorserunt, portasq; infregerunt. Pompeius, audito strepitu, ex suo cubiculo in partem alteram castri, quam ipsius affinis Hercules à Salis, Antonij filius, inhabitabat, auffugit, & per caminum se demisit. Tandem verò comprehensus, & securi capiti impacta; aliisque vulneribus inflictis, occisus fuit. Referunt eius domestici, quòd à percussoribus petierit, vt eum captiuum abducerent: quod cùm frustrà fuisset, exclamasse dicitur: O canes cruenti, exsatiate vos. In agone verba vltima ipsius hæc fuisse aiunt: Jesu Nazarene, ne me desere. Alterum famulum, Joannem Toenzium, qui equos iam parauerat (nam Pompeius ea die ad castrum Rhætiense, & Ilantium, proficisci volebat) etiam in capite vulnerant: equos & arma Pompei secum abducunt: denique, contemptus causa, per custodias Quinquepagicorum Amisij, atque per ipsam quoque ciuitatem Curiensem, in Rhetigoiam reuertuntur. Dehinc Blasius, Jenathius, Gallus im Riedt, assumptis aliquibus Engadinis, & Vallis-Monasteriensibus in Engadinam inferiorem profecti, Rodolphi Plantæ aliquos fautores, vt aiebant; nempe, Lauinij, Joannem Adamum; Ardetij, Fortunatum Plantam, Joannem Bardum, Dominicum, & Bartholomæum Gulfinos, occiderunt. Nec multò post aliqui Monasterienses Andream Pult Eremusianum interfecerunt. Et, sequenti mense Aprili in Valle Scarla, dum excubias agerent, Joannes Crapfius, Petrum Rauchium scloppetto transuerberauit.

Jamque Engadini inferiores, cum Vallis-Monasteriensibus, se ad arma parabant, dicentes, Se non velle exspectare, donec ab Hispanis, & Hispanizantibus Rhætis, in lectis trucidarentur: sed tempestiue anteuertere. Ortensteiniani autem Cathedrales, sub prætextu, ac si sibi ab Engadinis timerent, etiam fœdus Hispanicum iniuerant: & Supra-vatiẽses iam in procinctu erãt Legatus Guefferius, cùm videret fœdus Hispanicũ promoueri; Engadinis inferioribus, & Vallis-monasteriensibus, qui submissionis plenas litteras ad ipsum

ipſum exarauerant, humaniſſimè reſpondit. Joannes Baptiſta Leonellus, Venetorum Tiguri Legatus, ſuis quoque in Rhætia amicis, vt fœdus hoc Hiſpanicum impedirent, ſcripſiſſe dicitur. Engadini inferiores Dominicum Gulſinum; etſi Commiſſarius Clauennæ eſſet; Capitaneum ſuum elegerunt. Vallis-Monaſterienſibus, Nicolaus Nuttinus præfuit. Atque hi omnes erant quingenti viri. Zuzium in Engadinam ſuperiorem vbi veniſſent; ſtatim ibi ducenti viri, quibus præfecti Conſtantinus Planta, & Volfgangus à Jualtis, ſe ipſis adiunxerunt. Mox, ſuperato monte Albula, Bergunienſes vltra centum viros addiderunt. Inde Vatium ſuperius cùm petiiſſent; Supraſaxenſes Cathedrales de fœdere Hiſpanico inito ſe excuſantes, ipſi quoque ſua ſtudia obtulere. Ibique tum ductores bellici conſilio habito, ſtratagemate huiuſcemodi Heluetios Catholicos, & Griſæos, fallere conati ſunt; Theodoricum Jecklinum ab Alta Rhætia, Conradi filium, cum litteris fictis ad ſuos, quos in fœdere Griſæo, & Cathedrali, habebant (nullius tamen nomine expreſſo) miſerunt. Porrò iniunctum ipſi fuit, vt per caſtra Heluetiorum Catholicorum, & Griſæorum, iter teneret; monueruntque ſeriò, ſicubi examinaretur, prout iam diligenter in tranſeuntes quoſque inquirebatur, ſe miris modis excuſaret, tandemque litteras promeret. Accidit autem, vt in aliquos Heluetios Catholicos Amiſij incideret: qui cùm litteras ab ipſo extorſiſſent, quas aiebat ſibi Curiæ ab Engadino fortè datas fuiſſe; ſtatim legerunt. Argumentum autem erat: Se, nempe Engadinos, cùm nulla auxilia comparere videant, domum redire velle: hortari proin & ipſos, vt omni meliori modo rebus ſuis prouideant, & ſe quieti dent. Griſæi, hoc nuntio habito, ſecuriores viuebãt. Hiſpanicus autem orator, die Dominica XXVIII. menſis Martij, octo vexilla fœderis Griſæi Amiſij luſtrauerat. Nam iam tum de aduentu Engadinorum vbique innotuerat. Capitanei horum vexillorum erant Jo. Simeon Florinus, Judex Prouincialis, & Dux Primarius, qui etiam cohorti Vurtienſi imperabat; Jacobus Baliel, Diſertinenſis: Leguntinis præerat Chriſtianus à Bluomenthal, & Vincentius à Caduffo: Foueanis, Caſparus Schmidt à Grueneck: Rhæ-

tiensibus, Pedrottus Willius: Tuscien sibus, Casparus à Schauenstein: Sexamniensibus, & Vallis-Rhenanis, Joannes Catharina: Misauciensibus, Johannes Antonius Schenardus. Disertini, Leguntini, & Vurtienses, post lustrationem, Tusciam profecti sunt, vt ibi transitum custodirent. Die autem Martis xxx. Martij, iam certiores de Engadinorum aduentu facti, noctu etiam Misaucienses Tusciam ad se aduocarunt. Ea ipsa autem nocte Engadini, Bergunienses, & Vallis-Monasterienses, plus minùs nongenti, per viam illam angustam, Muri dictam, Vatio superiori in Vallem Tumiliascam descenderunt. Ubi tùm duo Engadini, opaca nocte, de via illa per cautes incauti deciderũt. Cùm iam ad custodias Furstenouianas Cathedralium (nam Grisæi volebant, vt & ipsi excubias agerent) peruenissent, transitus eis liber concessus fuit: ibique, in duos manipulos diuisi, Georgius Jenathius, & Dominicus Gulfinus, aliquos Engadinos, pluresque Monasterienses, circiter centum & quinquaginta, secum versus pagum Silium duxere: vbi quadraginta plus minùs Silienses se cum eis coniunxere. Blasius Alexander, & Gallus im Riedt, versus pontem Telonij (vt vocant) recta tenderunt. Magnus clamor, vno momento ab Engadinis editus: mox conticuere omnes. Famulus Telonarij scloppetto bis disploso (signo tali priùs inter eos dicto) Grisæos admonuit. Qui se ad arma pararunt, & pago Tuscia in proximum pratum versus pontem egressi sunt. Sed, cùm iam omnis rumor, & clamor cessasset, negligentiùs excubias egerunt. Jenathius tres exploratores in pagum Tusciam miserat, qui referebant, se pagum milite vacuum, & tantùm ignes à vigilibus militaribus accensos, in foro inuenisse. Porrò hora vna ante diluculum Jenathius, cum militibus ferè octuaginta, in primis ordinibus versus Grisæos egressus, per transuersum, maximo edito clamore, in ipsos irruit. Grisæi perterriti, vno impetu, scloppettos irritis displosionibus exonerarunt: atque in fugam mox plerique acti fuerunt. Nam ab altera parte Blasius cum suis, magno cum strepitu aduentabat. Jo. Simeon Florinus, primarius Dux, cùm suos ad constantiam exhortaretur, ferè à

Jenathio,

Jenathio, si scloppettum ignem concepisset, interfectus fuisset. Joanni Antonio Bucchetto, fœderis Grisæi Centurioni maiori, digitum indicem abscîdit. Ex Grisæis viginti nouem, plerique Misaucienses, qui Casij sepulti fuerunt, ceciderunt. Duo Calanchenses captiui facti, ibique in arboribus quæstioni subiecti fuere. Hos Engadini dicebant confessos fuisse, Se pagos, Tusciam, & Silium, sequentibus diebus, exurere, & Protestantium religionem pro virili eradicare statuisse. Ictibus scloppettorum in arboribus occisi fuere. Ex Engadinis, horumque sociis, nullus interfectus; solus Simon Christlius, Engadinus, vigilum præfectus, per errorẽ à Jenathio in capite leuiter læsus fuit. Tres equos, & aliquam pecuniam Grisæorum nacti: & ad pagum Cazium vsque Grisæos insequuti sunt. Cohors Træschij Heluetij, quæ in proximo pago Rhætiensi erat, cui etiam ducenti ex reliquis cohortibus additi fuerant, cum Beroldingero Grisæis auxilio venire voluit: sed Engadini iam transitum angustum, intra Cazium & Rhætium, obsederant: prætereaque illi, à fugientibus Grisæis, ne vlteriùs progrederentur, admoniti fuerant. Heluetius quidam in stricta illa via sauciatus fuit.

Legatus Scaramuccia totus attonitus cum Heluetiis discessum cogitauit. Intelligebant enim, Dauosianos & Rhetigoios in armis esse. Quocirca ne interciperentur, atque vt auxilia commodiùs ex Ducatu Mediolani (vnde exspectabant equitatum sub Manfrino Castilionæo) & ex Heluetiis peditatum recipere possent: die sequenti Mercurij, assumptis simul duobus tormentis maioribus bellicis, quæ Heluetij antea ad pontem Richenouiæ Ilantio deduxerant, iterum Ilantium cum Suprasyluanis Grisæis remearunt. Calanchenses aliqui, Taminio & Alto-Trinio transeuntes, ædes Pastorum Protestantium spoliarunt, domumque quandam ad molendinum Alto-Trinij incenderunt. Sexamnienses, qui Amisij fuerant, Curiam primò venere; inde Tusciam iuere, quò iam die Martis antecedenti reliqui Sexamnienses etiam ad Engadinos venerant. His deinceps etiam Vallis-Rhenani, atque Tuscienses, se coniunxerunt. Georgius de Georgiis, & Jo. Antonius Gioerius, cum

aliquo milite extero, bannitis plerisque, Ilantium, ex Ducatu Mediolani, per Heluetiam, venerunt. Engadini, ipsa die Mercurij, vltima Martij, cum sociis in Dominium Rhætiense appulerunt: atque castrum Rhætiense cùm apertum inuenissent; soli primò Capitanei ingressi sunt, atque inuentarium conficere constituerunt. Sed cùm iam militem victus deficeret; idem etiam eò se cōtulit. Sic factum, vt comeatus, atque suppellex multa (pretiosiora quæque ab ipso Bartholomæo Planta, Rhætij feudatario, antea abducta fuerant) inde exportata fuerit. Sed & domestici ipsimet, domino absente, seipsos non neglexisse dicuntur. Signa quædam militaria, quæ Prosapiæ Stamparum fuerant, atque quasdam moschettas perinde diripuerunt. Senatui Rhætico hoc maximè displicuit: cumque proinde Capitanei interpellarentur; hi se excusarunt, quòd tantùm propter comeatum castrum apertum inuentum intrauerint. Addiderunt præterea; omnia oppida, & castra in Rhætia sita, sub quibus Dominium Rhætij etiam comprehensum sit, tenore litterarum fœderalium, tempore belli, confœderatis Rhætis aperta esse debere. Dauosiani iam, per Engadinos, etiam ad arma capessenda expergefacti, die Mercurij vltima Martij, Curiam venerunt. Die sequenti Jouis, summo mane ad pontem Richenouiæ profecti sunt. Et, eadem die, Rhetigoij, Taminium, & Alto-Trinium petierunt. Capitanei Decem Jurisdictionum fœderis, Guefferium Legatum Gallicum accesserunt, vt eius consilium exquirerent, simulque ipsi exponerent, Sibi propositum esse, libertatem vtriusque religionis tueri, litteras fœderales, & confœderationes, quæ consensu Trium Fœderum initæ sint, obseruare; ab aliis autem hoc tempore abstinere. Laudauit ipse propositum, regem Galliæ illos non deserturum, affirmans. Porrò Dauosiani, ab Engadinis, vt cum eis, & aliis adiunctis, Valendaunum peterent, inuitati fuere. Heluetios enim, & Grisæos Catholicos, ibi castra ponere velle dicebant. Et Valendaunenses aliqui iam ab Engadinis petierant, vt sibi auxilio venirent. Eò ergo pedem flectentes, cùm iam tres horæ noctis elapsæ essent, illuc appulerunt. Rhætigoij eos etiam sequi volebant: sed à Capitaneis,

Ulysse

Ulyſſe à Salis, & Jacobo Ruinella, admoniti fuerunt, vt tranſitum Alto-Trinianum cuſtodirent, ne pons Richenouiæ iterum à Griſæis occupari poſſet. Cæterùm vix Valendaunum Engadini cum aliis intrauerant, cùm iam Underualdiani, & Tugiani, Heluetij, quoque huic pago appropinquarent, & locum altum, Prada dictum, occuparent. Engadini, per exploratores, de horum aduentu certiores facti, ad arma conclamarunt, nulloq; ſeruato ordine ex pago proruperunt, & rupem quandam ſuperare ſategerunt; ſed hoſtes iam locum commodum magis occupauerant. Sic tum per ſeptem continuas nocturnas horas die Veneris 11. Aprilis, pugnatum fuit. Atque poſtea etiam reliqui Heluetij ſuis auxilio venerunt. Griſæi quinetiam in proximo loco ſe oſtentarunt. Rhetigoij pontem ſupra Rhenum conſtruere conabantur, vt ſuos mox adiuuare poſſent. Sed qui Valendauni erant, cùm viderent vires hoſtium iam coniunctas, quodque etiam duo tormenta maiora bellica Ilantio aduexiſſent; pago exceſſerunt. Heluetij lento gradu ipſos ſecuti ſunt. Beroldingerus, qui ex captiuo Engadino cognouerat, illis puluerem tormentarium deeſſe, ſuis vt gradum accelerarent, ſuadebat: alij autem Capitanei, ſibi à proximis Rhetigoijs, vti à quibus intercipi poſſent, timebant. Sic aliquamdiu ab vtraque parte in acie ſteterunt. Interim miles Helueticus, prædæ nunc magis, quàm pugnæ intentus, pagum Valendaunum ingreditur, & eum diripit, atque armenta, ſupellectilemque abducit. Stabulum etiam Pradæ noctu combuſſerant. Ex Heluetiis aliquammulti, vti ex veſtibus cognitum fuit, occiſi: quamuis illi ſe vnicum Brandenbergerum, militem Tugianum, amiſiſſe affirmarent. Capitaneus Petrus Schellius, Underualdius, in crure vulneratus fuit: & Locumtenens Fleckenſteinij, pollicem in manu dextera amiſit. Ex Rhætis verò quinquaginta & vnus deſiderati fuere: inter quos octo Caſtriſienſes Griſæi, quos Heluetij aliqui milites, cùm Valendauno Ilantium reuerterentur, iugularunt. Multi ex Rhætis vulnerati; ex quibus aliqui pòſt etiam ex vulneribus obierunt. Ex Officialibus ſolus Locumtenens Joannes Calgerus, Sexamnienſis, grauia vulnera accepit; ſine tamen

discrimine vitæ. Rumor de hac velitatione Curiam delatus cùm fuisset; Maiævillani, Aluonouani, & Coruantij, qui iam in itinere Amisium versus erant; nec non Curienses, Quuatuorpagici, Furstenouiani, Scanauicani, & posteà quoque Ortensteiniani, signa mouerunt, & ad pontem Richenouiæ conuenerunt. Ibi Michaël Finerus, Curiensium Capitaneus, fœderis Cathedralis; & Paulus Buolius senior, Dauosianorum Capitaneus, Decem Jurisdictionum fœderis, primarij Duces, seu Colonelli, electi fuere.

Flemium die Sabbathi III. Aprilis, omnia Vexilla (cum quibus se iam etiam Rhætienses coniunxerunt) ascenderunt, ibique pernoctarunt. Indeque litteras ad Heluetios milites exarauerunt, atque ipsis depopulationem, hostilesque actus Valendauni perpetratos, exprobrauerunt: petentes, vt, restituta omni præda, euestigiò ex Rhætia sine damno discederent. Heluetij nihil responsi dedère. Grisæi, qui Laaxij erant, nocte sequenti Ilantium progressi sunt. Die Dominica IV. Aprilis, summo mane Rhæti castra mouentes, aliquos Dauosianos, aliosque versus montem, nempe ad pagum Falæram, vt semper loca superiora tenerēt, mittunt: reliqui omnes recta via Ilantium versus tendunt: vnde iam ante Legatus Scaramuccia, die Jouis, per Vallem Medelam, Mediolanum versus profectus fuerat. Heluetij ipsi quoque, quatuor circiter horis antè Rhætorum aduentum, cum Disertinis, & Misaucienfibus, & aliquibus ex Jurisdictione Vurtiana, Ilantio excesserant, atque tormenta maiora bellica, & maiorem partem prædæ Valendauni nactam (nam aliqua armenta Gabriel à Jochberg, persoluto pro quolibet capite floreno, nomine Valendaunensium Ilantij redemit) secum abduxerant. Consilium aliquorum erat, vt per mōtem, versus Suprasaxum, cum aliquo milite, iter ipsis precluderetur: ast maior pars tenuit, vt coniunctis virib. per rectam viam Rhæti incederent. Porrò Leguntini se iam dedidere: ex quibus aliqui verberibus excepti, & vexillum vnum militare, Balthasaris à Monte (nam præterea duas alias cohortes Disertini & Leguntini conscripserunt) in frusta scissum: alterum autem, quod Communitatis erat, ipsis iterum restitutum fuit. Atque Leguntini ipsi cum cæteris

teris Rhætis iam etiam Heluetios insecuti sunt: qui Sonuici,& in proximis locis; Rhæti verò non procul ab ipsis, Vurtij,& in viciniis, pernoctabant. Aliqui Calanchenses Pradellæ, infra Vurtium, domum vnam tum combusserunt. Heluetij tormenta maiora vlteriùs ducere cùm nequirent; rotas, vt inutilia fierent, confregerunt. Minora tria tamen Disertinum vsque deduxerunt. Die Lunæ, v. Aprilis, vterque exercitus summo manè castra mouit. Misaucienses, per Vallem Medelam; Heluetij, per Vallem Ætuatiam, *(Tauetsch)* iter tenuerunt; atque, vbicunque Heluetij locum commodum inuenere, per scloppettarios faciem obuertentes crebris eiaculationibus (etsi postea conquesti sint, quòd ob penuriam pulueris, non prout voluissent, pugnare potuerint) Rhætos retardarunt. Tandem verò centum circiter Rhetigoij, vt ipsis iter præuerterent, summitatem montis, per altam niuem, petierunt. Quod cùm Heluetij viderent; prædam omnem, equos triginta sex,& multa armenta, post se reliquerunt. Solius Capitanei Henrici Sebastiani Træschij equus Ursariam peruenit. Aliqui vltimi milites Heluetici in monte à Rhetigoiis inuenti fuere: quos tamen hi illæsos dimisere, fide habita nunquam in Rhætiam animo hostili amplius redituros. Ultra fines suos Rhęti pedem proferre noluerũt. Ex Heluetiis tredecim, ex Misaucienſibus tres, ex Disertinis vnus tantùm, cecidere. Ex Rhætis solus Thomas Casparus, Rhetigoius, à Rhætis ipsis per incogitantiam, cùm iam inter primos contra Heluetios pugnaret, ictu scloppetti interfectus fuit. Heluetij posteà, vt discessum suum excusarent, de inopia & defectu pulueris tormentarij & globorum, conquesti sunt. In arcula quadam, inter alia, Jo. Petri Schleiningeri, Uraniensis, exemplum epistolæ famosæ, quàm antè octiduum ad patrem suum exarauerat, inuenta fuit: in qua, postquam multas calumnias contra Rhætos in genere,& deinde contra Catholicos (etsi ipse Catholicus Heluetius esset) in specie effudisset; subdidit tandem, In principio, cùm ipsi Heluetij Catholici in Rhætiam venissent, plus cohortem vnam quàm nunc duas efficere posse: Engadinos, & Rhætigoios se contra eosdem Heluetios ad bellum parare: sed Hispanum cer-

tò ſtatuiſſe, Engadinam, & Rhetigoiam totam igne deuaſtare: quod ipſum cum tempore certò futurum ſit. Diſertini deinde etiam veniam obtinuerunt. Duo ipſorum ſigna militaria in ſtrue lignorum inuenta fuere. Quod Communitatis erat, ad pontem Richenouiæ eis reſtitutum fuit: alterum, quod inſignia Regis Hiſpaniæ appicta habebat, Antonio Violando, Engadino, ceſſit. In ædibus Abbatis litteræ Saregi, Nuncij Apoſtolici, & Legati Gueſſerij, de quibus antè mentionem fecimus, inuentæ fuere. Griſæi (vti etiam Supraſaxenſes, & Ortenſteiniani, qui cum Vatienſibus ſuperioribus Ilantium vſque venerunt) in litteras fœderales; &, quod nunquam, nec cum Hiſpano, nec Venetis, tam nociua fœdera pangere vellent, iurarunt. Pœna pecuniaria aliquibus Communitatibus impoſita quidem; poſtea tamen remiſſa fuit. Curienſes, iuſſu exercitus Rhætici, aliqua tormenta maiora bellica Alto-Trinium vſque die Dominica IV. Aprilis deduxerant. Tigurini quoque, qui in Dominio Maiæ-villano caſtra habebant, die Veneris II. Aprilis, Amiſium vſque venerant, vt Rhætico exercitui magis propinqui eſſent. Sed, cùm Rhæti iterùm Curiam redirent; & ipſi in caſtra ſua reuerſi ſunt. Dum Rhæti Ilantium ad reditum accingerentur; venit eò Julius Cæſar Cicer, mercator Mediolanenſis, quo Dux Feriæ, etiam in Rhæticis rebus, vtebatur, atque cum Barone Rodolpho à Salis colloqui petiit: qui, comitibus aliquibus cinctus, vt ſuſpicionem apud populum omnem amoliretur, ipſum audiuit. Inter alia, multum conqueſtus eſt de vanis aliquorum Griſæorum promiſſis, eoſdemque tacitè, vt fortalitia & præſidia in Valletellina manerent, petiiſſe, affirmauit. Fides penes relatorem hunc eſto: ego enim nihil certi hac de re affirmare auſim. Litteræ, ipſius hortatu, ad Ducem Feriæ de omni ſucceſſu perſcriptæ fuere: quibus Duci ſignificatum, hanc expeditionem in Fœdus Griſæum tantùm in eum finem ſuſceptam fuiſſe, vt Griſæi litteras fœderales Trium fœderum obſeruarent, nec ſeparatim fœdera tractarent: præterea Legato Scaramucciæ iniuriam inferre aliquam ſe nunquam conſtituiſſe. Rogare proin ipſum, vt militem è Valletellina, & regionibus, occupatis abducat: ſeque viciſſim promittere, ſince-

ſinceram & bonam amicitiam & vicinitatem obſeruare velle. Miſaucinæ vallis incolæ nondum litteras fœderales denuò iurauerant: ad quos proin tres Legatos, Andream Riſium, Jo. Petrum Jecklinum ab Alta Rhætia, & Antonium Gugelbergium à Moos, miſerunt, vt eos amicè ad fœderales litteras, & articulum, de non acceptandis ampliùs capitulationibus adeò exitialibus cum Hiſpanis, & Venetis, prout alij iurauerant, obſeruandum exhortarentur. Superioris Vicariatus homines plerique prompti erant. Sed Jo. Simeon de Floriniſ, Georgius de Georgiis, Gioerius, ac alij iam Mediolanum, nomine Vallis Miſaucinæ, (vti litteræ, ſigillo Vallis Miſaucinæ firmatæ, præ ſe tulerunt) Præpoſitum Jacobum Toſcanum miſerunt, vt auxilia accerſeret. Miſſę quatuor cohortes; (plerique Burgundi, aut Vallones) quas mox ſubſecutæ duæ aliæ, ſub Duce Primario Petro Barone à Vatteuila; (cuius pater ex ciuitate Bernenſi in Comitatum Burgundiæ ſedes tranſtulerat) qui tamen ipſe non aderat; ſed Franciſcum Gambarellum Mediolanenſem eis præfecerat. Numerus militum omnium millenarium non excedebat. Præpoſitus Toſcanus, voluntatem reliquorum, atque ipſius etiam Ducis Feriæ, fuiſſe ait, vt Biltionæ hi ſubſiſterent, & viderent, quæ intentio Rhætorum eſſet: ſed Gioerium, vt vindictas priuatas contra aliquos exerceret, militem in Vallem ducere voluiſſe. Die Dominica XI. Aprilis, ergo Vallem Miſaucienſem ingreſſi ſunt. Ad pagum S. Victorem cùm veniſſent, Antonius del Tognio, S. Victorianus Miſaucinus, Joanni Antonio Gioerio, dexteram præbere voluit: hic verò ſtatim ſclopettum contra eum diſploſurus erat, ſed ignem non concepit. Juſſit ergo duos Italos, inter quos Georgius de Brentano fuit, eum ictibus ſcloppettorum occidere: qui confeſtim id fecerunt. Omnes, qui non Hiſpanicæ factionis erant, ſe ad fugam parauerunt. Cùm Legati Rhætici Rogoreti, vbi iam coram Communitate comparere volebant, Gioerio inſtructionem oſtendiſſent; eam ipſe dilacerare voluit, &, ſputo ſigilla conſpurcans, dira minitatus eſt. Legati proin mox Curiam reuerſi ſunt. Sed iam antè eò rumor peruenerat. Vallis-Rhenani confeſtim ad cuſtodiam montis S. Bernhardi prope-

rantes, vbique auxilia ſollicitarunt. Nam Heluetiorum Quinque-pagicorum ſigna militaria, quæ in Rhætia fuerant, præter Uranienſe, quod Urſariæ manſit, Biltionam quoque venerant. Interea dum Rhæti in fœdus Griſæum profecti eſſent, Heluetiorum Legati (qui antea in Rhætia fuerant omnes) & iidem (Berna ſola iam alium, nempe, Jo. Rodolphum Hornium deſtinauit) Veſenium vſque, vt in Rhætiam redirent, peruenerant. Ubi tum Catholici, cùm de clade Griſæorum ad Tuſciam accepiſſent, ſubſtiterunt. Proteſtantes autem Curiam, & inde ad pontem Richenouiæ, profecti ſunt; vbi iam Rhætica ſigna in reditu ſibi obuia habebant, quæ tormenta maiora bellica ex fœdere ſuperiori eo quoque deduxerant. Heluetij Proteſtantes, vt aliquas pecunias, ad alenda præſidia Rhætica mutuò darent, interpellati, poſtea quadraginta mille florenos mutuò dederunt. Porrò Catholicorum Legati, cùm iam quoque Veſenij nuntium de diſceſſu Quinque-pagicorum militum ex Rhætia audiuiſſent, domum reuerſi ſunt. Die Jouis VIII. Aprilis, Rhætici milites, ex fœdere Griſæo Curiam plerique reuerſi, domum ad celebrandum Paſchatis Feſtum iuerunt: Vexilla ipſa tamen Curiæ reliquerunt. Verùm, allato nuncio de inuaſione Miſaucienſis Vallis, ſtatim Comitia Curiæ celebrata fuere: Ubi Legatus Guefferius quoque comparuit, & pecunias nonnullas, in ſolutum publicæ annuæ penſionis, diſtribuit. Hîc mentem Regis Hiſpaniæ optimam eſſe dicebat: tantùm miniſtros eius in Italia, vtpote Ducem Feriæ, obſtare. Sed Galliarum Regem Rhætis non defuturum: nec ſe credere, magnis copiis in Vallem Miſaucinam Hiſpanos venturos. Denique, ſe iam Solodurum vocari aiebat, vt fuſiùs res Rhæticas, cum extraordinario Legato Montholono, qui eò venturus erat, conferre poſſet. Sed reuera, vt poſt cognitũ fuit, celerius abiit, quòd ſibi à populo, propter litteras Diſertini inuentas, timeret: qui tamen timor vanus erat. Nam Rhæti, patientia & ſilentio quæuis potiùs concoquere, quàm commiſſorum qualicunque exprobratione ad deteriora fortè patranda, anſam ipſi præbere ſatiùs eſſe, ſuo damno didicerant. Deputati ergo, gratiis ipſi actis, vt in hac bona voluntate ſem-

per

per perſeueraret, ipſum rogarunt. Sed & Tria fœdera iam (ſicuti priùs duo, Cathedrale nempe, & Decem Juriſdictionum fœdus, de tractatu Griſæorum conqueſtá, fecerant) litteras ad Regem Chriſtianiſſimum exararunt, fidemq́ue & induſtriam Legati Guefferij maximè commendarunt. Deliberatum etiam fuit in Comitiis, vt iterum exercitus in Vallem Miſaucienſem duceretur. Et verò miles promptus adfuit. Engadini Inferiores, & Vallis-Monaſterienſes ad cuſtodiam Engadinæ Inferioris relinquuntur. Superiores Engadini aliqui Peſclauium, alij Clauennam, proficiſcuntur; quò etiam Bergunienſes, Supraſaxenſes, Vatiani ſuperiores, & Prægalli, deſtinantur. Leguntini, Vurtiani, & Foueani, Diſertinenſibus præſidio dantur. Reliqua verò ſigna tredecim Miſaucum verſus proficiſcuntur. Vallis-Rhenani die Veneris XVI. April. hoſtes iam à pago S. Bernhardo depulerant, tres interfecerant, vnumque, natione Anglum, captiuum abduxerant, ſimul etiam tres equos ceperant. Die Mercurij XXI. Aprilis, ad pagum S. Bernhardum, in Vallem Miſaucinam Rhæti venerunt; ijſdem, Michaële Finero, & Paulo Buolio, primariis ductoribus. Ubi de hoſte aggrediendo deliberatum fuit; qui ad S. Jacobum caſtrametatus, iam aliquomodo ſe communiuerat; atque decretum, vt die ſequenti Jouis 22. Aprilis Decem Juriſdictionum fœdus, per montem, reliqui rectà verſus hoſtes per regiam viam irent. Baptiſtæ à Salis, qui Clauennæ primarius Dux erat, Rhæticus Senatus ſcripſerat, vt trecentos circiter per montem Furculam verſus Saaziam in Vallem Miſaucinam mitteret, vt ſic hoſtes vndique intercipi poſſent. Hi verò cùm, ductore Joanne Negrino Prægallo, ad montem veniſſent, niuem adeò altam, & tabeſcentem inuenere, vt montem ſuperare non potuerint. Interim conſilium initum in Valle Miſaucina executioni mandatum fuit. Hoſtes, qui ſe deuotionibus, & coniurationibus cuiuſdam preſbyteri à Lutheranis tutos putabant, ibi (S. Jacobi) crebris ſcloppettorum ictibus ſe oppoſuere. Sed iam Rhæti (etſi aliquantùm tardè montem ſuperaſſent) omnes ſimul vno impetu in hoſtes delati, protinus eos in fugam egerunt. Violandus Bræmius, Stuſſauienſis, Capitaneo Hono-

rato Casaulto, Gallo Massiliensi, proscripto, manū amputarat, eumque occiderat: cumque iam equum Jo. Jacobi Pirouani, Centurionis Maioris, manu quoque præhendere vellet; scloppetti ictu traiectus, ipse quoque cecidit. Atque hic solus ex Rhætis (octo Misaucienses propè Soaziam, in montibus à Rhetigoijs, linguæ Italicæ ignaris, quantumuis Hispanicæ factioni illi addicti non fuissent, tamen pro hostibus agniti, interfecti fuere) occubuit. Verùm hostes propè Soaziam, ductore, & instigatore Don Felice Onello, Hiberno, qui strenuè, vti & Pirouanus, pugnabat, pugnam redintegrauerunt. Ubi tum à Rhetigoijs præsertim, (inter quos Rodolphus Suprasaxerus, cū filio Andrea, se egregiè gessit) multi interfecti, atque Rogoretum vsque hostes pulsi fuere: vbi, dum puluerem tormentarium inter se distribuere vellent, concepto igne quatuor combusti, multique læsi fuerunt, omnesque celeri fuga Biltionam petierunt. Rhæti ad fines regionis eos insecuti sunt. Nec miles Heluetiorum, qui ad pontem Meusæ collocatus erat, metu caruisse dicitur. Sed Rhæti fines excedere noluerunt. Ex hostibus supra septuaginta; nam aliqui in syluis mortui, posteà etiam inuenti; trucidati fuere. Tres milites capti, post dimissi fuere. Captiuum etiam fecerant Casparum Rotlotum, generum Gioerij, qui Curiam deductus fuit. Sed interim Albertus Rodella, Jo. Antonius Buchettus, & alij, Rogoretum in Vallem Misaucinam venere, & Henricum, filium Ministralis Thaddæi Bonalini, ex domo paterna captiuum Biltionam deduxerunt. Itaque si Rhæti liberum Henricum vellent; necesse fuit, vt etiam Gioerij generum dimitterent. In reditu quinque ex Rhætiensi dominio in monte superando frigore diriguere. Paulus Buolius, Dux primarius, in mento globo tormentario, & Vallis-Rhenanus quidam in crure, leuiter sauciatus fuit. Publicè per præconem interdictum fuit, ne quis templa spoliaret: & omnibus incolis, qui in valle permanserunt, venia data fuit. Qui hostem (vti Præpositus Toscanus) introduxerant, iterum proscripti fuerunt. Litteræ etiam ad Josuam Beslerum, Uranium, Commissarium Biltionensem, exaratæ; atque querela instituta, ob transitum Hispanico hostili militi contra fœdera permissum:

missum: necnon propter receptum aliquibus Rhætis, contra patriam machinantibus, indultum. Additum etiam; Si tale quid iterum contingat, Rhætos hæc æqua mente vlterius non laturos: cæterùm, sinceram amicitiam, & obseruationem fœderis offerebant. Ille bona verba rescripsit, atque de transitu Hispanorum, quòd improuisus fuisset, se excusauit; promittens, posthac se, vt tale quid accidat, non permissurum. Fœdera, superiores suos, quantum scire possit, obseruare velle respondit. Milites etiam Heluetij, primò Rhætos exules Biltiona expulsos volebant, eosque proditores vocabant. Sed Julius della Torre, qui Biltionam venit, & militem dispersum collegit, animos horum aliqua pecunia mitigauit. Atque homo iste, qui præcipua Vallistellinensis rebellionis, & lanienæ tuba fuit, posteà Mezani, loco obscuro, cùm Dux Feriæ illi, ne porrò Mediolanum rediret, præcepisset, ex mœrore animi obijt. Quadraginta mille plus minùs libras Mediolanenses ex suo impendisse dicuntur. Rhæti in Valle Misaucina tres cohortes, sexcentos nempe milites, sub Risio Hungero, Joanne Vissio, & Joanne Fauschio, reliquerunt: qui ibi aliquamdiu permanserunt. Sed cùm postea Hispanici milites ex finibus excederent; & Legatus Guefferius iam in Rhætiam reuersus, nostros certiores reddidisset, ab Heluetiis Catholicis periculum nullum impendere; præsidium quoque Rhæticum sublatum fuit.

Porrò, iam quoque responsum Dux Feriæ ad litteras trium Fœderum misit; quibus ille successum rerum in fœdere Grisæo, prout à suis edoctus erat, recensuit: atque denuò Rhætis capitulationes fœderis Mediolani tractatas, acceptandas obtulit. Hispani interim (quod ipsum quoque aliqui proscripti Rhæti fecisse dicuntur) apud Archiducem Leopoldum instant, vt Rhætis comeatus ex Austriaca ditione inhibeatur: prætextum & causam inde sumi posse dicentes, quòd castrum Rhætium Rhæti inuaserint, spoliauerintque. Et verò statim ab Archiducalibus Consiliariis Oeniponti (Princeps in Alsatia erat) mandatum, cum inhibitione omnis comeatus, promulgatur. Præterea militum maior numerus ad limites Rhætiæ mittitur. Ex Alsatia

aduenere centum, & duodecim equites; plerique Franco-Belgæ: quibus præfectus Erhardus de Briono. Cohors Joannis Pali aucta: atque insuper alia cohors Gaudentij Coreti, quam eius signifer N. Pfanzelterus ducebat, in Comitatum Veldcuriēsem appulit. Rhæti paulò ante, cum litteris amicissimis Jo. Victorem Trauersium, præfectum Castrensem, Oenipontum miserant, petentes, vt miles à Rhætia amoueretur, & fœdus hæreditarium, prout ipsi omninò desiderabant, etiam obseruaretur. Hic referebat se à Consiliariis benignè exceptum fuisse, & querelas contra Engadinos inferiores; nullas autem contra reliquos Rhætos tunc institutas fuisse. Eo ipso tempore, quo de comeatu inhibito, & milite versus castrum Gutenberg aduentante, in Rhætia cognitum fuerat, accidit, vt Tigurinorum militum primarius Dux, cum aliquibus suis, & Maiæuillanis, ad Rhenum equitaret, vt vada inspiceret: atque tum ab altera parte præfectus Sarunetum, Jacobus Træschius, cum Sarunetibus aliquibus, ex equo loca, vbi aggeres, & obices aquis coercendis fieri possent, quoque contueretur. Aliqui ergo milites, cùm hos Austriacorum equites esse putarent, ad arma conclamarunt. Sic factum, vt classicum per totam Rhetigoiam, & Dauosium, datum fuerit, ac confestim inde signa militaria ad Cliuum S. Lucij properarint: duce primario militiæ Dietegano ab Hartmannis creato. Joannes Vernerus, Raitnouerus, hoc cognito, cùm iam ante in armis milites suos esse iussisset; eos quoque, classico dato, ex tota ditione Austriaca cis montem Arulam, vbi præfectum militiæ generalem agit, ad arma euocarat: qui Veldcurij concurrerant. Senatus verò Rhæticus tres Legatos, Martinum à Saxo, Georgium Gambserum, & Joannem Blasium à Porta, Veldcurium ad dictum Joannem Vernerum, Dominum de Raidtnaw, misit. Hic ad propositionem Rhætorum respondit, Si causam inhibiti comeatus cognoscere velint, eam à Directore & Consiliarijs Oenipontanis, quorum iussu comeatum ipse inhibuerit, expiscentur. Joannes Blasius à Porta ante Oenipontum destinatus fuerat, vt rem omnem de castro Rhætiensi narraret: sed propter ætatem, & aduersam valetudinem, eò proficisci renuit. Itaque tum legati

legati fuerunt Oenipontum, ad Serenissimum Archiducem Leopoldum, Julius Meissenus, Fortunatus à Juualta, & Fortunatus Sprecherus. Adiunctus nobis fuit prædictus Joan. Victor Trauersius, ceu Minister Austriacus; qui rem omnem de castro Rhætiensi, & aliis ipse narraret. Protestantes quoque Heluetij ad Archiducem Leopoldum, dum in Alsatia esset, pro Rhætis scripserant. Sed Archidux totum negotium, donec Oenipontum veniret, & plenè de toto negotio edoceretur, distulerat.

Instructio autem nostra huiuscemodi fuit: Ut, nempe, peteremus militem ex Valle-Monasterij, & confinijs Rhætiæ, amoueri: commeatum, tenore fœderis hæreditarij, liberum fieri, mercesque retentas dimitti: denique captiuos duos Concionatores, nec non alios Rhætos (aliqui Engadini, qui ex dominio Veneto venientes in Tirolensi Comitatu captiui Oenipontum deducti fuerant, die Pascha antecedenti, dum omnes in templis essent, euaserant: duo adhuc remanserant, Nicolaus Laurentius, Vallis-Monasteriensis, & Petrus Mullerus, Scanauicensis) liberari.

Die XVII. Maij, coram Principe ipso nostra grauamina explicuimus: qui se attentum & benignum ostendit. Ad epulas in aula ipsa inuitati fuimus: &, quamdiu Oeniponti mansimus, voluit Serenissimus Princeps, vt Maximilianus Morus, qui iam Curiæ Oenipontanæ consiliarius erat, nobis semper adesset: omnesque expensas pro nobis liberaliter soluit. Ea ipsa die, qua coram Serenissimo Principe comparueramus, Erhardus de Briono litteras die XIII. Maij, ex Valle Dulci *(Vaduz)* ad Archiducem misit, quas nobis ipsis per Secretarium, Doctorem Villium, legendas præbuit. Iis Brionus narrabat, quòd cùm aliquos pedites (erant Pfanzelteri milites) cum parte equitatus sui ad castrum Guttenberg comitatus fuisset; iamque, in pago Baltzers, equis auenam dare vellent, dispositis pro more militari stationarijs; tunc Rhæti, & Heluetij collimitia sua excesserint, & stationarios equites depulerint. Se cũ suis, vt quid rei esset cognosceret, accurrisse: sed aliquos equos scloppettorum ictibus sauciatos fuisse. Tuncque se, communicata re cum Pfanzeltero, & Huldrico Ramschragio, Castellano Gut-

tenbergico, vt insolentiam Rhætorum coerceret, vno impetu in illos irruisse, aliquos occidisse, & primos aggeres Rhætorum superasse: atque deinceps in Vallem Dulcem reuersum esse. Princeps, his litteris commotus, per Secretarium nobis significat, facta nostrorum militum cum propositione nostra hodierna non consentire. Nos, qui de negotio nihil aliud sciebamus, petiuimus, vt ab omni hostilitate abstineret: atque vnum ex famulis nostris Curiam, vt rem omnem scriptis comprehensam eò deferret, misimus.

Paucis pòst diebus responsio ad propositionem nostram in scriptis nobis Oeniponti exhibita fuit: cuius sententia, sensusque: Quòd Rhæti castrum Rhætiense inuaserint, & spoliauerint: Cœnobium Curualdense profanauerint, & Sacerdotem expulerint: item, quòd, anno M. D. XCIII. Commissarij Austriaci in monte Rosenna indignè tractati fuerint: quòd Ministralem Stephanum Claus Christli, Engadinum, anno M. DC. XVIII, in territorio Austriaco captiuum fecerint: Pompeium Plantam nuper nefariè occiderint: atque Engadini montem Zanders iniustè occupauerint. De his donec Principi plenè satisfactum fuerit; se ad nulla postulata nostra consentire posse. Nos, dum Princeps ad aucupium exiret, Conradum Baronem à Bemdelberg, Directorem Consilij, Carolum Stredelium à Montain, & Doctorem Joannem Lintuerum, Cancellarium aulicum, qui Secretioris Consilij erant, adiuimus, vt criminationes obiectas dilueremus: atque primò, de Castro Rhætiensi, vti loco incorporato Tribus fœderibus, disseruimus. Porrò, cùm Austriaci omnem ferè belli ansam ex inuasione huius Castri sumere voluerint, operæpretium fuerit, Lectorem qui Palladem Rhæticam non legerit, de re omni edocere. Castrum ergo hoc in Rhætia, fœdere nempe Grisæo situm, quondam Barones proprij huius nominis, à Rhætio, dominos agnouit: quibus postea Brunorum prosapia successit. Ex his tres fratres, Joannes, Henricus, & Huldricus, anno M. CCCC. XXIV. cum Jurisdictionibus suis (vti suo loco narrauimus) fœdus Grisæũ ingressi sunt. Anno. M. CCCC. LIX. Huldricus, huius familiæ vltimus, fatis cedens hæredes habuit Jodocum Nicolaum, Comitem ab Hohenzolleren,

leren, atque vnum ex Liberis Baronibus à Limburg, qui ius ſuum poſtea Comiti à Zolleren ceſſit. Anno M.CCCC.LXXI. Fœdus Griſæum cum Cathedrali, & Decem Juriſdictionibus ſe perpetuò coniunxit: cui fœderi dictus Comes à Zolleren etiam, quà Rhetij Dominus, interuenit: prout in codicillis Trium fœderum, anno M.D.XXIV. ampliori forma conceptis, Joannes à Marmore, Dominus Rhetij, pro ſecunda perſona, nominatus fuit. Cæterùm horum codicillorum fœderalium, inter alia, tenor eſt: Ut omnia oppida, caſtra, & loca quæuis totius Rhætiæ confœderatæ, ſint Magiſtratui Rhætico ſemper aperta. Maximilianus Imperator, anno M.CCCC.XCVII. à Cubiculario ſuo Friderico, Comite ab Hohenzolleren, Dominium Rhætij in commutatione Caſtri & oppidi Haygerloch acquiſiuit: nec plus iuris quàm anteceſſores, qui in coniunctione fœderali cum Rhætis fuere, habere potuit. Quid? quòd anno M.CCCC.XCIX. in bello Sueuico, Rodolphus à Marmore, cum duobus filiis, etſi Rhætij Dominus eſſet, & feudum caſtri Rhætienſis poſſideret: tamen, ratione fœderis, cum Rhætis contra Auſtriacos militauit: nec proinde à Maximiliano Imperatore feudo priuatus fuit. Cæterùm effrænis militis licentiam minimè defendimus; quinimò ſi quid contra leges militares commiſſum fuerit, Rhæticum magiſtratum, procul dubio, delinquentes puniturum aſſeruimus.

Quod Cœnobium Curualdenſe attinet; illud minimè ſpoliatum fuiſſe; ſed omnia ornamenta, & res ad Monaſterium pertinentes, diligenter aſſeruari, reſpondimus. Cùm autem incolæ in Proteſtantium Religionem, maxima ex parte olim, nuperq; ferè omnes, tranſiuerint; & Cœnobium ipſum Parœcia regionis ſit: conciones proin more Proteſtantium ibi celebrari potuiſſe. Sacerdotem autem antè, nemine pellente, inde diſceſſiſſe: &, maiorem partem bonorum, & reddituum, iam ab ipſis Abbatibus dilapidatam fuiſſe. Porrò noti & aperti iuris eſſe: Si Abbatibus Curualdenſibus lis aliqua cum incolis intercedat, eam coram foro Decem Juriſdictionum fœderis (vti anno M.D.XXVII. & aliàs etiam ſæpiùs factum fuit) decidi debere: Abbateſque ſententiis latis etiam acquieuiſſe. Proindeque liberum iam

esse etiam Abbatti Rockenburgensi, qui se Patrem Domus dicit; atque aliis etiam, si qui ius prætendunt, coràm fœdere Decem Jurisdictionum, more consueto, de iuribus suis experiri. In monte Resenna, cui negotio ipse etiam Fortunatus à Juualta, vti secretarius, quoque præsens fuerat, Commissarios Austriacos minimè læsos fuisse; sed rusticos Engadinos, & Austriacos, pugnis, baculis & lapidibus certasse; atque Rhætorum Commissarios omni conatu tumultum sedasse. Stephanum Claus-Christli non captiuum, sed spontanea voluntate ex Iscla, Austriacæ ditionis, cum aliquibus Engadinis, vt rationem administrationis suæ redderet, rediisse. Pompei Plantæ mortem inimicos eius priuatos perpetrasse: neque Magistratum Rhæticum in culpa esse. Quod montem Zanders attinet; per Joannem Zobelium, Administratorem iurisdictionis Pfunzij, in Valle Ænana, nomine Tliessensium, subditorum Austriacorum; & Jacobum Janallum, Ministralem Samnunensium Engadinorum, arbitros, transactionem inter partes factam fuisse: cui, vt ab vtraque parte stetur, æquum sit.

Dùm congregati essemus; Stredelius litteras Mediolano accepit, quibus ipsi perscribebatur, Monasterium Disertinum à milite Rhætico Protestante combustum esse. Nos toti attoniti stetimus; ipsisque significauimus; Præsidiarios Disertini non tantùm Protestantes, sed & Catholicos esse. Atque hæc calumnia repentè latè sparsa fuit. Doctor Jo. Franciscus Schenardus, Romæ, coram Pontifice, & Cardinalibus, affirmare ausus fuit; Non solùm Monasterium combustum; sed omnes anteà presbyteros ibi occisos fuisse. Mironus, Legatus Gallicus, ad Protestantes Heluetios etiam scripsit, affirmans, Protestantes Monasterium incendisse. Consiliarij Austriaci petebant, vt exceptiones nostras scripto comprehenderemus: vt ipsas Principi mittere possent; sicuti factum fuit. Regestum deinde ab Austriacis, accusationes non planè dilutas esse: proindeque ad aliam deliberationem se deuenire non velle; sed diem aliquem amicæ collationis iterùm, ad vlteriorem tractationem, dici posse. Sic ergo Oeniponto discessimus. Cùm ad pagum Zambsium propè Landeckum venissemus; obuiam habuimus

mus famulum noſtrum, cum litteris ad Archiducem, atque ad nos, exaratis: quibus etiam litteræ Abbatis Diſertinenſis; de incendio Monaſterij, adiunctæ erant. Iis tum ſucceſſus velitationis ad Cliuum S. Lucij, de qua Brionus ſcripſerat; tùm incendium veridicè enarrabatur. Nempe, cum Brionus, XIII. Maij, cum parte equitatus ſui, & aliquo peditatu, Guotenbergum perueniſſet; duos equites ad fontem S. Catharinæ, limites nempe Rhæticos, vti ſtationarios, miſerat. Unus autem ex iis vltrà fines progreſſus eſt. Accidit tum, vt Doricus Enderlinus caupo ad Cliuum S. Lucij ibi in confiniis eſſet, & filiam, quam in pagum Baltzers ad emendum panem miſerat, exſpectaret. Eques ſtationarius contrà hunc gradum fert: nec Doricus, vir intrepidus, qui ipſe quoque equo vehebatur, cedere voluit; adeoque ſtationarium in fugam egit. Cùm iam ictus ſcloppettorum in pago Baltſers audirentur, ſtatim aliqui alij equites ſuperuenere, equiſque ſuis in gyrum actis confinia noſtra ingreſſi fuere. Maiævillani etiam aliqui ſcloppettorum ſono excitati, accurrerunt. Brionus pedites ex caſtro Guotenbergico euocauit; qui, vt Rhætos interciperent, verſus montis Ellerani crepidinem inceſſerunt. Pauci aliqui Rhetigoij quoq; aduentarũt. Steinerus, Colonellus Tigurinus, ſuo militi, ne fortaſſis vltra confinia efferretur, vt noſtris ſuccurreret, primò permittere noluit; aiebat enim, ſe à ſuis ſuperioribus in mandatis habere, vt in his partibus defenſiuè tantùm militet. Equites ergo pauco numero Rhætorum (quibus etiam aliqui Heluetij volones mixti erant) conſpecto, eodem impetu in eos ruerũt. Atq; tunc Jo. Lucius Cominotus, Maiævillanus, qui diu ante ægrotauerat, interfectus fuit in territorio Rhætico; & Chriſtianus Haſſius, Malanſianus, ſauciatus. Porrò, cùm Tigurini iam viderent, equites & pedites Auſtriacos longè vltrà cõfinia progreſſos eſſe; & ipſi accurrerunt. Sicque Auſtriaci in fugam acti, duo equi occiſi, & aliqui vulnerati, duo quinetiam equites ſauciati fuere. Incendij Monaſterij Diſertinenſis caſum Abbas hoc modo deſcribit: Cùm die XIII. Maij, Senatores Diſertinenſes ad conuiuium vocaſſem; ignis in partibus ſuperioribus Monaſterij propè caminum vnum erupit; vbi tum milites tam

Protestantes quàm Catholici in restinguendo igne seduli fuerunt; vt templum principale, & aliæ etiam ædes seruatæ fuerint. Hæc omnia nos summa diligentia ad Principem misimus. Dum Oeniponti essemus, venit eò N. Possierius Longepierre, ab auunculo suo Guilielmo Montholono, Domino de Pluuiers, Legato Gallico extraordinario, qui iam Solodurum appulerat, missus; litteras Montholoni ad Archiducem perferens, petensque, vt ab inhibitione commeatus desisteret. Sed nec hic quicquam obtinere potuit. Etiamdum ad bellum magis magisque se Austriaci præparabant. Bonifacius Bertholdus cohortem vnam peditum Oeniponti tunc conscribebat, quam in Vallem Monasterij deduxit.

Mense Maio Montholonus Curiam appulit: qui summo omnium applausu exceptus fuit. Erat vir grauis, sed valetudinarius; (sicut postea anno 1623. Soloduri diem suum obijt. Biduo elapso coram Senatu Rhætico comparuit, atque eximia facundia, & dicendi grauitate vsus, edisseruit, Regem Christianissimum confœderatos suos Rhætos in recuperandis amissis adiuuare velle: duoque proponi media; Amicam compositionem, nempe; proindeque Franciscum Bassompetram in Hispaniam missum esse, de cuius negotiatione omnes benè sperent: tùm etiam Arma; vbi militiæ Gallicæ virtutem valdè extulit. Addidit; Nullam amicitiam Rhætis Gallica vtiliorem esse. Nam vicinum vnum Rhætiæ, nempe Hispanum, vti præpotentem, Rhætos opprimere velle: alterum, nempe Venetum Rempublicam, ad sustentandos Rhætos nimis debiles esse. Cùm iam sex dies Curiæ commoratus esset, litteræ Regiæ, die xv. Maij, ex oppido Salmurio, ad Legatum Montholonum, vnà cum tractatu Madrilliensi: nec non aliæ ad Rhætos scriptæ, in Rhætico Senatu oblatæ fuere. Cúmque iam ex consessu exiret, populúmque minùs quàm putabat hilarem videret, conuersus ad amicum dixit: Miror, quòd hic populus hoc læto nuncio non magis exultet. Respondit alter: Non credit hic populus, quòd Hispanus, quæ ferro occupauit, pennæ & chartæ cedere velit.

Porrò Tractatus Madrilliensis ita habet: Cùm die xxx. Januarij

Januarij Baſſompetra in Hiſpaniã miſſus fuiſſet; Philippus III. Hiſpaniarum Rex, XXX. Martij diem extremũ obijt: qua ipſa die, in ſpeciali clauſula Teſtamenti ſui, hoc addidit; Litteras ſe de manu S.S. Gregorij XV. die 27. Martij accepiſſe, quibus moneatur, bonum publicum curare, omnes occaſiones ſcandali vitare, & tollere; & procurare, vt negotium Vallistellinæ pacificetur: proinde Principi filio ſuo ſe iniungere, vt conſilium in forma ſupraſcripta acceptet. Quocirca dictus Baſſompetra, extraordinarius, & Comes de Rochepot, ordinarius, Legati Gallici; & Hieronymus Caymus, atque Joannes de Cerica, Commiſſarij Hiſpanici, authoritate Regum ſuorum vtrinque inſtructi, ad articulos ſequentes deuenerunt.

Primò, vt omnia tàm ex vna, quàm ex altera parte, in priſtinum ſtatum reſtituantur: proindeque præſidia illa, quæ de nouo poſita fuere, reuocentur: ac conſequenter Rex Catholicus militem illum, quem in confiniis Ducatus Mediolani proximis Vallistellinæ, & Clauennæ de nouo poſuit, auocet; ſic, vt non alius miles, quàm qui ordinariè ante hos vltimos motus fuit, ibi permaneat: & viciſſim, Rhæti idem in Valletellina & Comitatibus Clauennenſi, & Bormienſi præſtent.

Secundò, Rhæti generalem veniam eorum, quæ in his vltimis motibus accidere, polliceantur, præſtentque, ita, vt dicti ſubditi Vallistellinæ, & Comitatuum Clauennæ, & Bormij, nunquam, nec in perſonis, nec in bonis, propter omnia illa, quæ in hac occaſione accidere, luere teneantur: adeoque delictorum perpetua amneſtia à Rhætis obſeruetur.

Tertiò, Religionis negotium in Valletellina, Comitatibus Clauennæ, & Bormij, quòd attinet: concluſum eſt, vt nouitates omnes, quæ à principio anni M.DC.XVII. vſque ad præſentem diem, in præiudicium Catholicæ Religionis, fortè introductæ fuerunt, tollantur.

Quartò, definitum eſt, vt Rhæti iuramenta & promiſſiones, prout in conſimilibus occaſionibus requiri ſolitum, de præſcriptis obſeruandis, præſtare, & dicta iuramenta, & promiſſiones, in forma authentica, tribus perſonis in ſe-

quenti articulo declaratis, consignare, atque exhibere teneantur. Et Rex Christianissimus recipiet se effecturum, vt dicta obseruentur: quod ipsum quoque Tredecim Cantones Heluetici, & Valesiani, aut saltem maior ipsorum pars, spondebit.

Quintò, Rex Catholicus statim Archiducem Albertum, auunculum suum magnum, certiorem reddat; vt nempe is Præsidem Parlamenti Comitatus Burgundiæ, aut alias eiusdem Comitatus personas, quoad eius fieri poterit, citissimè, (sed non vltra vltimam proximi Maij illud differat) Lucernam mittat, vt ibi dicta persona se vnà cum Nuncio Apostolico, & Legato, quem Maiestas Christianissima volet, vt hasce res suo nomine in effectum producat, coniungat. Declarantes vlterius, quòd veteres tractatus, & pactiones, cum domo Austriaca, & in particulari propter Comitatum Tirolis factas, porrò obseruatas velint.

Sextò, Persona illa, quam Archidux Albertus ex Comitatu Burgundiæ mittet, secum litteras anticipatorias Celsitudinis suæ ad Ducem Feriæ afferat, quibus Duci significetur, quòd negotium omninò compositum sit: ipseque proinde statim executioni mandet ea, quæ à Maiestate Catholica in mandatis habebit; remittendi nempe, & permittendi, vt omnia in pristinum statum, vt anteà fuere, restituantur: quas litteras mittet ad Ducem Feriæ, statim vbi ea, quæ in quarto articulo memorantur, adimpleta fuerint. Et ad hunc finem Catholica Maiestas mandatum expressum Duci Feriæ mittet, vt omnia promptè executioni mandet, & omnia in pristinum statum restituat, statim vbi à Celsitudine sua certior factus fuerit.

Septimò, Hæc transactio à Rege Christianissimo rata fiet: atq; ratificatio Parisiis Marchioni de Mirabello, Consiliario bellico Regis Catholici, & Legato ordinario eiusdem in Gallia, consignabitur: idque statim, postquam dictus Dominus de Bassompetra in aulam appulerit.

Octauò, Ordinatum fuit, vt duo exempla istius transactionis, vnũ lingua Gallica; alterũ, lingua Castellana, concipiantur: & tum vtraque à Dominis de Bassompetra, Comitis della Rochepot; Regente Caymo, & Secretario Cerica, signen-

ſignentur: vt nempe in manibus vtriuſque partis deponantur. Gallicum exemplar in manibus Secretarij Joannis de Cerica; Caſtellanum verò, in manib. Baſſompetræ. Actum Mantuæ Carpentorum *(Madrit)* die XXV. Aprilis anno M. DC. XXI. Signatum, Baſſompierre, d'Angennes, Regent Caymo, Joan de Cerica.

Pro executione tractatus huius Alexander Scapius, Epiſcopus Campaniæ, & Nuncius Apoſtolicus; Guilielmus Montholonus, Legatus Gallicus; & Adrianus Thomaſinus, Præſes Dolenſis, Legatus Archiducis Alberti, nomine Regis Hiſpaniæ, Lucernæ conueniunt. Articuli ſtatim ad Communitates Rhætiæ perſcribuntur, atque vbique acceptantur, præterquam in Engadina inferiori, Sexamnij, & in Juriſdictione Acerienſi in Rhetigoia: vbi venia auctoribus rebellionis denegata fuit. Hinc verò mox Hiſpani, & alij, vt executionem retardarent, & annihilarent, occaſionem ſumpſere. Quod cùm Rhæti viderent; paulò poſt communibus ſuffragiis, & vnitis votis, in omnibus, & per omnia, articulos acceptarunt: nec tum tamen negotij executionem obtinere potuerunt.

Interim Hiſpanici Præſidiarij ad ripam Mezolæ quotidie verſus Samolicum, & Malaguardam excurrebant, miſeramque plebem durè vexabant. Præſidiarij ergo aliqui Rhæti Clauennæ, die XX. Maij, verſus Malaguardam excurrentes in manipulum militum Hiſpanicorum inciderunt: ex quibus quatuor Italos occiderunt, reliquos in fugam egerunt. Die Lunæ, vltima Maij, duo Peſclauienſes, Thomas Gaudentius, dictus Calaber; & Joannes Magdalena, cùm ad locum, Ad Stabula dictum, vt hoſtium caſtra explorare poſſent, miſſi fuiſſent, in hoſtes inciderunt, & Magdalena ſcloppetto occiſus fuit. In dominio etiã Maiæuillano aliqui motus erant, vbi Decem Juriſdictionum fœderis populus adhuc in armis ſtabat. Joannem Rodolphum Gugelberg à Moos, Malanſianum, & poſtea Andream Enderlinum, præfectum Maiævillanum, captiuos detinuerãt. Gugelbergium criminabantur, quòd cùm Tigurini, & Rhæti, in fœdere Griſæo eſſent, ipſe Veldcurium, & Amiſium equitauerit, & apertè dixerit; Si quis iam Rhætiam inuadere

vellet, facile id fieri poſſe: nam neminem ferè in dominio Maiævillano eſſe. Teſtes autem, quos adducebant, tantùm quæ aliunde audiuerant, referebant. Enderlinum accuſabant, quòd Jeninſienſibus quibuſdam minitatus fuerit, ſe velle procurare vt pagus igni abſumatur: quodque addiderit, ſe ſex mille lanciferos accerſere, atque Heluetios Tigurinos, de quibus multa conqueſtus ſit, expellere velle. Sed nec hîc teſtes omni exceptione maiores editi fuerunt. Ille etiam, quòd hæc nunquam dixerit, firmiter affirmabat. Nihilominùs Tribunal Cenſorium contrà ipſos inſtitutum fuit: quam Judiciorum Cenſoriorum appellationem cùm Montholonus audiuiſſet, ea vehementer offenſus fuit. Itaque ipſius, & Guefferij, ac duorum Fœderum interceſſione, non ſine mulcta pro expenſis, dimiſſi fuere.

Badenæ in Heluetiis Comitia celebrata fuere: quò etiam ad Legatos Gallicos Chriſtophorus Lhenerus, prætor ciuitatis Curienſis, cum plena ratificatione articulorum Madrillienſium, à Senatu Rhætico miſſus fuit. Gallici Legati articulos Heluetico Senatui propoſuere. Heluetij ſpatium, rem ad ſuperiores deferendi, ſumpſerunt. Atque iam tùm apparuit, Catholicos ab Hiſpanis, prece & pretio abalienatos, promittere non velle. Præterea litteræ Montholoni poſtea conſpectæ fuere, quibus Heluetios Catholicos admonuit, vt promiſſionem, donec in Rhætia ſecuritati Catholicæ Religionis ſufficienter cautum eſſet, differrent.

Interim ab Archiduce Leopoldo locus conuentus Commiſſariorum, Imbſtium, pagus in Valle Ænana, octo horis Oeniponto diſtans, & dies ſextus Julij nominatus fuit.

Commiſſarij Archiducales deſtinati, Conradus Baro à Bemmelberg, Conſilij Director; Jo. Huldricus Hemmerlinus, I.V.D. & Præſes Cameræ quæſtoriarũ rationum; Matthias Burghlennerus, I.V.D. Vicecancellarius Tirolenſis, & Albertus Libſtenzki à Colobrat, Regiminis Oenipontani Aſſeſſor. Rhæti nobis tribus, qui iam antè quoque Oeniponti fueramus, nunc quartum, Rodolphum à Salis, Jacobi filium, Malanſianum, addiderunt. Cùm iam in primo conſeſſu, die ſeptima Julij, mandata hinc & inde produxiſſemus: aduenit Doctor Joannes Lintnerus, Cancellarius

aulicus,

aulicus, qui omnia ſcripta ipſemet compoſuerat, produxitque faſciculum querimoniarum (ſic iam illi Actores; nos verò, quibus Vallis-monaſterij, non indicto bello, occupata, & commeatus inhibitus erat, Rei eſſe cogimur) primò contrà vnumquodque fœdus ſeparatim: tùm contrà omnia Tria coniunctim. Contra fœdus Griſæum tria vrgebant. Primum, quòd feudatarij caſtri Rhæzienſis, in puris etiam cauſis Auſtriacis, ad Tribunalia Rhætica citentur, & ad Conuentus & Seſſiones ordinarias non admittantur: ſubditi etiam dicti dominij Rhætienſis, impoſitis taleis (vt vocant) grauentur: atque ante paucos menſes caſtrum Rhætienſe à collecta quadam, pacis inimica turba, inuaſum, & ſpoliatum fuerit. Petebant, vt delinquentes iſti dicto dominio Rhætienſi traderentur ad pœnam; illiſque, quibus damnum illatum fuit, ſatisfieret: denique cautio præſtaretur, vt poſthac tale quid non committeretur. Ad quæ, vti ad alia omnia, nos ſummatim die ſequenti reſpõdimus: Quòd Rhætij Domini, vti Bruni, atq; feudatarij, pluſquàm à centum retrò annis ſemper natiui Rhæti confœderati fuerint; atque officiorum, honorum, onerumque Rhætiæ confœderatæ participes extiterint: ſemperque ſe Juriſdictioni Confœderatorum ſubmiſerint: quodque nec feudatarius, qui nunc ſit, aliter tractetur: quippe cui locus ordinarius in electione Judicis prouincialis ſine controuerſia concedatur: quodque hoc ipſo anno (etſi patria exceſſiſſet) bis per nuntium vocatus fuerit, vt perſonaliter, aut per vicemgerentem compareret: cùm verò neutrum faceret, ad electionem Judicis prouincialis vt procederetur, neceſſarium fuerit. Incolis Dominij Rhætienſis non aliæ taleæ, ſeu collectæ, quàm cæteris Confœderatis Rhætis, imponuntur. Caſtrum Rhætienſe nec inuaſum, nec occupatum fuit: ſed tantùm cùm milites illac tranſirent, & in pago victus neceſſarius non inueniretur, à domeſticis, domino abſente, eis datus fuit: caſtrum verò in poteſtate dominorum, vt antea, relictum fuit. Nec proinde licentiam militis excuſauimus: ſed Tria Fœdera, ſi quid contra iura fœderis commiſſum fuerit, pœnam illis impoſitura, diximus.

Contra Fœdus Cathedrale, ſeptem articulos producebant. Iuriſdictionem, nempe, Tirolenſem, à ponte Martini, ad pontem Altum vſque extendentes, totam Engadinam inferiorem ſibi vendicabant. Jam verò Engadinos Catholicam Religionem immutaſſe, Sacerdotes expuliſſe, redditus Eccleſiaſticos ſibi retinuiſſe, conquerebantur: horum, vti & ſequentium, reſtitutionem in integrum poſtulantes. Præterea adducebant, ipſos Auſtriacum rerum capitalium Judicem, Rodolphum Plantam, (quem tamen ſolùm innuentes, expreſſè non nominabant) expuliſſe: iudicia cenſoria ſuo modo inſtituiſſe: mulctas ſuo arbitratu impoſuiſſe: denique inter ſe eaſdem diuiſiſſe. Petiere proin, vt Judex Auſtriacus in ciuilibus iterùm crearetur. Omnes inſuper ſyluas altas in Engadina Comitum Tirolis eſſe aſſerebant. Hoc tamen non obſtante, Celinenſes Engadinos lignatores Auſtriacos inde depuliſſe. Montem Nouellæ Auſtriacorum eſſe: nihilominus Engadinos autumno præterito, lignatoribus Auſtriacis vim intuliſſe, criminabantur. Quod verò montanam ſtationem Zanders attinet; etſi Joannes Zobelius, & Jacobus Jannallus, ex arbitrij formula rem deciderint; illud tamen à Sereniſſimo Principe nondum ratum habitum fuiſſe, aiebant. Juriſdictionem, quæ ad Caſtellanum caſtri Taraſpi ſpectat, ab Engadinis vſurpati: caſtrumque hocce ita ab Engadinis circumdatum eſſe, vt nuſquam ſecurus aditus in dictum caſtrum Auſtriacis pateat. Breuiter à nobis reſponſum fuit: De iuribus Sereniſſimi Principis in Engadina inferiori, nihil aliud nobis cognitum eſſe; atque etiam à plurimis annis non aliud in vſu, vel obſeruatum fuiſſe, quàm quòd Communitates quidem ipſæ quatuor viros proponunt: ex quibus deinceps præfectus Oenotrianus, nomine Principis, cum conſilio tamen Caſtellani Furſtenburgenſis, nomine Epiſcopi Curienſis, vnum Judicem rerum capitalium pronuntiat: cui deinde dimidium mulctarum, vti & expenſarum Cameræ Tirolenſi annumeretur. Cæterùm neminem eſſe, qui ſe legitimis iuribus Principis opponere, iiſque contradicere velit. Libertatem Religionis ante nonaginta annos, & quod excedit, communi Trium Fœderum decreto, permiſſam fuiſ-

fe: qua

ſe: qua etiamnum Engadini inferiores, ceu confœderati, fruantur. Judicem rerum capitalium, Rodolphum Plantam, non ab Engadinis inferioribus ſolis, ſed à Tribunali Trium Fœderum, propter cauſas, quæ ſtatum Reipublicæ ſpectabāt, in iudicium vocatum fuiſſe. Tribunal illud Cenſorium, quod Engadini inferiores inſtituerunt, propter cauſas Rempublicam ſpectantes; non autem propter delicta, quæ in conuentione ſtatutaria anno M. DC. comprehenſa ſunt, habitum fuiſſe. Quòd Judex Auſtriacus in ciuilibus Scolij non eligitur, per noſtros non ſtare: æquum enim eſſe, vt quiſque iuribus ſuis vtatur. De iure Principis in ſyluis Engadinæ inferioris, nihil nobis conſtare: atque perſuaſum nobis eſſe, ſi Communitates ad ædificia, & quotidianum vſum neceſſaria habeant, nihil fore reliqui. Montem Nouellum Celinenſes Engadinos ad fontem vſque Cerium *(Schergenbach)* vti ſuum proprium ſemper poſſediſſe. Telonario quidem in Finſtermünz precariò conceſſum fuiſſe, vt pratum quoddam ſepe circumduceret: cùm verò ſucceſſor illius telonarij hac amica conceſſione pro iure acquiſito vti vellet; Engadinos ſepem diſſipaſſe, & locum in priſtinum reſtituiſſe. Lignatores Tirolenſes, nonniſi poſt occupatam Vallem-Monaſterij, & poſtquam milites vltrà fines progreſſi eſſent, ab Engadinis repulſos fuiſſe. Quoad montanam ſtationem Zanders; æquum eſſe, vt conuentio inter partes facta obſeruetur. Quod denique caſtrum Taraſpum attinet; Caſtellanum ibidem nullam vnquam Juriſdictionem habuiſſe, ſed ſemper iuriſdictioni Scolienſi ſubiectum fuiſſe: tranſitumque ad caſtrum Taraſpum ab Engadinis demum occupatum fuiſſe, poſtquam à milite Auſtriaco etiam tranſitus verſus Engadinam intercepti fuere. Ubi verò tranſitus verſus Engadinam inferiorem aperientur; ſtatim quoque idem ab Engadinis verſus caſtrum præſtitum iri.

Contra Decem Juriſdictionum Fœdus vndecim criminationum articuli in medium propoſiti fuere. Merum, videlicet, & mixtum imperium ſibi in Octo Juriſdictionibus eſſe contendebant. Porrò Rhetigoios (hoc nomine ſemper Octo Iuriſdictiones ſignificabant) Georgium Belinum, præ-

fectum Castrensem, ad supplicium capitis cum aliis damnasse: Georgio ab Altmanshausen, præfecto Castrensi, obedientiam debitam denegasse: telonia, prata, & syluas castri Castrensis, distraxisse: anno M.DC.XVI. omnes reditus præfecti Castrensis, authoritate & potestate vsurpata, sequestrasse: Catholicam Religionem immutasse: vtrumq; Cœnobium, nempe, Curvaldense, & ad S. Jacobum in Rhetigoia, spoliasse: Monachos depulisse: & in illis locis, vbi Serenissima Domus Austriaca ius patronatus habeat, Catholicos Sacerdotes deposuisse, in eorum locum Prædicantibus Zuinglianis substitutis. Petrum Finerũ, & Bartholomæum Jegenum, anno M.D.XXXII. Oeniponti restitutionem Monasteriorum promisisse. Et, quamuis Octo Jurisdictiones, cum Grisæo, & Cathedrali fœdere, particulare fœdus habeant, quod Archiduces Austriæ confirmarunt: tamen hoc semper hac exceptione factum fuisse, vt esset sine præiudicio iurium suorum Archiducalium: proinde confœderationem hanc nec tollere, nec dare aliquam Iurisdictionem: sed tantùm nudam defensiuam confœderationem contra hostes patriæ suæ esse. Quantumuis etiam in transactione pacis Basileensis, anno M.CCCC.XCIX. & in fœdere hæreditario, Rhetigoij comprehensi sint: tamen Principem ius suum, articulo particulari, in iis locis sibi expressè reseruasse. Tria etiam fœdera Rhætiæ, anno M.D.LXXIII. rescripto Serenissimo Ferdinando, Archiduci Austriæ, dato, protestata fuisse, quòd per ea, quæ perpetrata erant in castris, Castello nempe Rhetigoiæ; Rhætio, Fœderis Grisæi, & Engadina inferiori, nullum præiudicium proinde iuribus Principis illatum velint; sed fœderi hæreditario, & antiquis receptis consuetudinibus, stare desideret. Venationes etiam, & aucupia, in Octo Iurisdictionibus Domus Austriacæ esse. Ad quæ omnia fusè, & solidè responsum fuit. Substantiam hîc succinctè apponimus. Nempe, postquam de prisca vniuersæ Rhætiæ libertate præfati fuimus; euidentibus demonstrationibus, & documentis, probauimus, quòd Barones à Vatio (qui primi circumscriptum & moderatum Dominium in his partibus habuere) nonnisi ratione tutelæ, & patrocinij, à Rucantiis, & Coruantiis (Rhætorum, etiam

tempore

tempore Strabonis, ferocissimi habiti; nuncque pleriq; fœderis Decem Iurisdictionum incolæ sunt) popularibus suis, honorati fuerint: ipsorumq; successores Comites Tockenburgiani, Verdenbergenses, Montfortiani, & Amatiani, eodem planè moderato dominio contenti vixerint. Anno M. CCCC. LXXVII. Sigismundus, Archidux Austriæ, à Comite Gaudentio ab Amatia, pretio quinque mille florenorum ius suum in Iurisdictionibus Dauosiana, Cœnobiana, Belfortensi, & Curvaldensi, ac Valle Scanauicana, emit. Et anno M.CCCC.LXXXIX. filiæ dicti Gaudentij, pretio circiter bis mille ducentorum florenorum, ius suum in Iurisdictionibus Castrensi, & Aceriana, eidem Archiduci cesserunt: &, nonnisi habita confirmatione omnium immunitatum, iurium & priuilegiorum (seu scriptis illa comprehensa sint, seu non scripta extent) iuramentum hæ iurisdictiones, ad id obseruandum quod de iure tenentur, præstiterunt. Atque sic deinceps ab omnibus successoribus in Serenissima Domo Austriaca, ad Serenissimum vsque Archiducem Leopoldum, confirmationẽ obtinuerunt. Nihilo quoque secius parati sunt etiam nunc, saluis semper priuilegiis, Celsitudini suæ idem præstare: vt reuera Præfectus Castrensis quod de ipsis conqueratur nihil habere possit. Quod præfectum Georgium Belinum attinet, quoad ipse in terminis functionis suæ permansit, & in castro Castrensi habitauit, ab omnibus, vti æquum erat, honoratus fuit. Sed, cùm se aliis extra functionem suam negotiis ingessisset; non à Rhetigoiis solis, sed à Tribus Fœderibus, in vincula coniectus, & per processum iudicialem capitis damnatus fuit. Præfectum Georgium ab Altmanshausen semper omnes, vt decuit, venerati sunt. Cæterùm, cùm sæpiùs telonarij Comitatus Tirolis, Octo Iurisdictionum hominum priuilegia, quoad exemptionã teloniorum, admittere noluissent: (vti Brigantij, Raitæ, & Neuisij factum fuit) proinde dictus præfectus Altmanshausianus sæpiùs interpellatus fuit, vt Serenissimo Principi violata priuilegia significaret: secus, & nostros, nonnisi licitis iuris terminis, indemnitati suæ consulturos. Prata ad castrum Castrense pertinentia, à Rhetigoiis neutiquam alienata; sed, cùm discussio bonorũ Geor-

gij Belini à Tribus Fœderibus facta esset, aliqua dicti Belini propria prata, & quæ Principis non erant, creditoribus ipsius adiudicata fuere : à quibus Præfectus ab Altmanshausen aliqua emit. De teloniis, & syluis, Principi nihil detractum est. Nec reditus, anno M.DC.XVI. sequestrati reapse fuerunt: sed cum quatuordecim equi Rhetigojorum semel, iussu Burckardi Leymanni, Præfecti castri Ehrenbergensis, sub specie telonij denegati, retenti, & diuenditi fuissent, sæpius apud Joannem Victorem Trauersium, præfectum Castrēsem, de restitutione & obseruatione priuilegiorum, institerunt: tumq; ius sequestrationis propositum; sed non in effectum productum fuit; idque non alio fine, quàm vt dictus Leymannus ad restitutionem pretij equorum cogeretur: qui etiam reapse pecunias ipsas restituit, atque Præfectus Castrensis sine omni oppositione redditus solitos accepit. Libertas Religionis ante nonaginta, & plures annos, (sicuti in causa Engadinorum inferiorum suprà quoq; memorauimus) in tota Rhætia concessa fuit. Hac libertate octo Jurisdictiones in Ecclesiis, & collaturis suis vsæ sunt. Quantum ad Cœnobium S. Jacobi in Rhetigoia attinet; sciendum est; anno M.D.XXIX. Bartholomæum Bilgerum, Præpositum, se Protestanti Religioni addixisse, & vxorem duxisse. Eoque tempore, & occasione, Iurisdictionis illius homines communi consensu Concionatorem Protestantem optarunt : & ab eo tempore semper in hoc statu permanserunt. Et anno M.D.XLVIII. Gregorius Abbas Rockenburgensis, ceu Pater domus Cœnobij Curvaldensis; & Florianus Abbas Curvaldensis, tanquam Pater domus Cœnobij ad Sanctum Jacobum in Rhetigoia, cum assistentia Balthasari à Ramschvag, Præfecti Gutenbergici; & Petri Fineri, Præfecti Castrensis, vti Commissariorum Ferdinandi Regis Romanorum, conuentionem & pacta cum dictis hominibus iniuerunt; quibus bona à prædictis duobus Prælatis in perpetuam emphyteusin vicinis ibidem, pretio, & censu annuo centum & vndecim librarum Rhæticarum, concessa fuerunt; ex quibus, septuaginta floreni Prædicanti ibidem; decem floreni Prædicanti, qui est in pago Serneus; decem pro eleemosyna annua; tres cuidam

Reichli

Reichli, attributi fuere. Reliquam ſummam, quæ triginta circiter florenos æquabat, pretio quingentorum & triginta quinque florenorum à Caſparo Kecko, Adminiſtratore dicti Monaſterij Curvaldenſis, anno M.DC.XII. redemerunt: hæque pecuniæ, vt apocha ſonat, in vtilitatem Monaſterij conuerſæ fuerunt. Quæ de Monaſterio Curvaldenſi adduximus, ſuprà ſummariè citata ſunt. Quæ de Petro Finero, & Bartholomæo Jegena, relata ſunt, neſcimus quid, tanquam particulares, promittere potuerint. Certum autem eſt, & notorium, quòd Rhetigoij, & aliæ Juriſdictiones, in profeſſione Religionis Proteſtãtium ab eo tempore ſemper conſtantes permanſerunt. Octo Juriſdictiones, non ſolùm cum Griſæo, & Cathedrali fœdere; ſed etiam cum Maximiliano Romanorum Imperatore, cum Regibus Galliæ, cum aliquibus Cantonibus Helueticis, cum Valeſianis, & aliis Principibus, fœdera pepigerunt: idque liberè; quippe qui autonomiam, & de pace, & bello cum aliis Rhætis decernendi ius habent, facere potuerunt. Nec in Conuentione Baſileenſi, nec in fœdere hæreditario aliquid extat, quod iuribus, & priuilegiis Octo Juriſdictionum derogare poſſit. Nam reſeruat ſibi Cæſar ius ſuum, quod in Octo Juriſdictionibus ad quaſdam perſonas proprias, familias, inquam, particulares, quæ corporali iuris nexu & vinculo obligatæ ſunt, habet. Quod anno M.D.LXXIII. ab Oratorib. Trium Fœderum ordinatum fuit, id ipſum & nunc affirmatur; imò deſideratur. Octo enim Iuriſdictionum homines nihil aliud expetunt, quàm vt fœdus hæreditarium, priuilegia, iuraque recepta, hinc & inde obſeruentur. Quod venationes, & aucupium attinet; in iuriſdictione Dauoſiana, & illis Juriſdictionibus, quæ iiſdem priuilegiis cum Dauoſianis fruuntur, Sereniſſima Domus Auſtriaca, nec ipſius anteceſſores quicquam iuris vnquam prætenderunt; nec verò etiam habuerunt. Nec in Rhetigoia Domus Auſtriaca plenum ius venandi habet; ſed, quod ceruos ſpectat, præfecti Caſtrenſes ſuos venatores habent, qui per Magiſtratum ordinarium, nempe, Miniſtralem (nam ipſi præfecti nullum mandatum promulgare poſſunt) edicta per præconem ſuper venatione edere ſolent. Adeoque hæ Juriſdictiones nonniſi obſer-

uationem priuilegiorum & immunitatum ſuarum, obnixè petunt: ſeque viciſſim offerunt verſus Sereniſſimam Domum Auſtriacam, vti Comites Tirolis, omnia quæ de iure tenentur, præſtare.

Contra omnia Tria Fœdera coniunctim, hæc afferebant: Confœderationes, & obligationes multas, Epiſcopatum Curienſem, & Cathedrales, cum Comitatu Tirolenſi habere, ratione perſonalis aſſiſtentiæ, mutuíque auxilij, tempore belli, conſcriptionis militum, tranſitus & libertatis commerciorum, controuerſiarúmque decidendarum: denique, quòd nihil vnquam cõtra Domum Auſtriacam agere velint: ſed, quòd his pactis contrauenerint, notiſſimum eſſe: Nempe (aiebant) Epiſcopus Curienſis, Abbas Diſertinenſis, & alij Catholici Auſtriacis confœderati, & in eorum tutelam ac patrocinium recepti, per vim, Epiſcopatu, & iuribus ſuis priuati ſunt; Rhætique eos infeſtare non ceſſant. In bellis Foro-Julianis Rhæti hoſtibus apertis (Venetis) Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, militem, & tranſitum permiſerunt: contrà verò anno M. DC. XX. commeatus bellici à Cæſarea Maieſtate in Italia impetrati, per territoriũ Rhætorum vt deueherentur, non conceſſerunt: quinimò per Legatos prætenſo Regi Bohemiæ auxilium obtulerunt, præſtiteruntque. Ex his inferebant, Rhætos fœderi hæreditario, & conuentionibus non ſtare: proinde per legitima media ſubditos (Engadinos inferiores, & Octo Juriſdictiones innuebant) ad obedientiam debitam redigendos eſſe. Petebant etiam ſibi cautionẽ dari de eis, quæ concluſa fuerint, effectui dandis. Ad quæ paucis reſpõſum fuit. Cõuentiones, quas Comitatus Tirolenſis cum Epiſcopatu Curienrienſi habuit, fortaſſis non omnes nobis notæ ſunt. Notorium autem eſt, vltimo fœdere perpetuo hæreditario ſancito, omnes priores conuentiones ſublatas fuiſſe. Fœdus autem hoc perpetuum Rhæti firmiter obſeruare deſiderant: petuntque vt idem etiam erga ſe præſtetur. Epiſcopus Curienſis in præteritis motibus extra Rhætiam profectus eſt; ſed, cùm iam motus ſedati ſint; media in promptu eſſe, vt iterum cum ſecuritate in Rhætiam redire, ibique habitare poſſit. Cæterùm Epiſcopatus ipſe in bonis ſuis minimè

violatus

violatus fuit. Abbas Disertinensis in vltimis turbis etiam Rhætia excesserat: sed non diu abfuit; nam mox ad Abbatiam suam, vbi sine vllo impedimento habitat, redijt. Qui Rhæti in bellum Foro-Iulianum profecti sunt, contra mandata publica Rhætorum id fecerunt; & custodiæ vbique, ne transitus violarentur, non sine magnis Rhætorum expensis, positæ fuere. Jacobus Iundt Basileensis propterea Curiæ capitis pœnam luit.

Petitio Sacræ Cæsareæ Maiestatis pro transitu commeatus bellici, secundùm leges patriæ à Senatu ad Communitates delata fuit: sed dum suffragia colligi deberent, rebellio Vallistellinensis incidit. Quæ legationem ad prætensum Regem Bohemiæ attinent; scripsit ille litteras quæ à tribunali Censorio, Dauosij congregato, apertæ fuerunt; quod ipsi etiam respondisse dicitur: sed de hac re à Senatu Rhætico, & Communitatibus, quæ summus magistratus sunt, nullum mandatum habuerunt. Ex his omnibus Commissariis Austriacis sole clarius esse potest, Tria Fœdera aliam mentem, & intentionem nunquam habuisse, quàm quòd velint fœdus perpetuum omni diligentia obseruare: atque particulares Communitates, vbi Serenissimus Princeps ius aliquod habet, nullo modo ei derogare; sed tantùm solitis priuilegiis, & immunitatibus suis, frui percupere: adeoque nullam occasionem aut causam Serenissimæ Domui Austriacæ datam fuisse, tale quid de facto, prout in Valle Monasterij accidit, & iam quoque denegatione commeatus fit, tentandi. Quod petitam cautionem attinet, de non ampliùs turbando, & offendendo: Tria Fœdera hactenus in turbando & offendendo fuere in casu, vt dicitur, passiuo. Sperant itaque, Serenissimum Principem, & Commissarios, ius, iustitiam & æquitatem consideraturos; & perfecturos, vt res in pristinum locum restituantur, fœdusque hæreditarium obseruetur. Quòd si verò aliquis in Tribus Fœderibus se obseruationi fœderis hæreditarij opponere conabitur; Rhætis media in promptu sunt, tales refractarios ad debitam obedientiam redigendi, atque veram pacem, eiusque obseruationem, sanciendi. Dati pòst dies colloquio fuerunt: & sic bis de die, per quatuor dies conti-

nuos conuenimus. Austriaci, si quæ documenta habebant, producebant. Maximè verò in hoc incumbebant, vt sibi merum & mixtum imperium in Engadina inferiori, & Octo Jurisdictionibus, assererent: nec permittere volebant, vt delinquentes contra Rempublicam in eis locis à Tribus Fœderibus puniri possent. Cùm semel Baroni à Bemmelberg dicerem, Codicillos fœderales modum plectēdi peccantes contra patriam præscribere; satis iracundè ipse, vir alioquin humanissimus, replicabat; Si in hac opinione persistam; non togata, sed armata decisione rem tandem determinatum iri. Nos sæpiùs petiuimus, vt etiam nostra postulata audirent: quod tandem fecerunt. Ubi tum eadem, quæ Oeniponti petieramus, ampliori sermone explicuimus: atque simul adiunximus, vt Cathedrales, qui in iurisdictionibus Glorij, & Damalij habitant, & suam particularem ciuilem iurisdictionem habuerunt, quæ ante tredecim circiter annos contra conuentiones antiquas eis abrogata fuit, iterum restitueretur. Præterea, cùm anno M.D.XCII. & anno M.D.XCIII. Damalij, & Oenotrij, inter Commissarios Austriacos, & Rhætos, aliquæ controuersiæ, præseruata ratificatione Superiorum, decisæ fuerint: cumque à parte Austriacorum ratificatio nondum secuta sit: petiuimus, vti in effectum illa producatur. Petitæ etiam fuere pecuniæ, quas ex fœdere hæreditario persoluere tenentur, quæque per aliquot annos retentæ fuere; vt illæ penderentur. Sed responsum nullum vnquam in scriptis obtinere potuimus. Aiebant enim, prætensiones suas antiquiores nostris esse; & proinde primò decidendas. Nos vicissim, vti de facto spoliati, in integrum primi restitui petebamus. Dum Imbstij essemus; venit eò, nomine Joannis, Episcopi Curiensis, Magister Joannes Catrainus, Parochus Oenotrianus; protestatusque est, de nullitate, nomine Episcopi, si quidpiam in eius præiudicium, cùm non ad conuentum etiam vocatus fuerit, concludatur. Commissarij hæc ad referendum Superioribus suis in recessu sumpserunt. Adhæc, dū Imbstij hæreremus, quoq; accidit, Steigerianos milites, non obstantibus induciis, in alpes Celinensium & Tremussianorum Engadinorū, ductore Simone Janetto Engadino proscri-

proſcripto, irruere, & ſeptemdecim boues inde abducere: ex quibus duos mox mactarunt; reliquos, iuſſu Baldironi, cùm Commiſſarij Auſtriaci ad noſtram querelam ipſi ſcripſiſſent, reſtituerunt. Tandem receſſus formatus fuit, & deliberatum, vt infra tres ſeptimanas, vel menſem vnum, iterum Imbſtij tractatus in iiſdem terminis, prout nunc relinquebatur, reſumeretur: & Rhætorum Commiſſarij, hi, vel alij, qui deputati fuerint, operam darent, quantum fieri poſſit, vt cum plena poteſtate concludendi comparere queant: & interim induciæ obſeruentur. Datum Imbſtij, die XVI. Julij, anno M.DC.XXI.

Cùm Veldcuriam in reditu veniſſemus; Brionus Capitaneum Danielem Crenzingerum ad nos miſit, qui conqueſtus eſt, quòd die 16. Julij noſtri milites ad Cliuum S. Lucij Auſtriacum militẽ, qui in ſtatione fuerat, in territorio Auſtriaco interfecerint. Nos diligẽter in reditu de tota re perquiſiuimus: & patuit, Auſtriacis militib. fines ſuos, ad ceraſa legenda, egreſſis; aliquos Tigurinos ex cohorte Capitanei Caſpari Schmidij eos inſecutos fuiſſe, vnumque fortè ex eis interfeciſſe. Brionus etiam petebat ſibi, pro equis nuper ad Cliuum S. Lucij interfectis, pretium rependi. Curiæ deinde coràm Præſidibus relationem omnium actorum inſtituimus: omniaque ad Communitates delata fuere.

Lucernæ in Heluetiis ſeptem Cantones Catholici ad Comitia vocati fuere, vt mentem ſuam explicarent, num in Tractatu Madrillienſi ſponſores eſſe vellent. Hiſpani verò, Auſtriaci, Voltureni, necnon proſcripti aliqui Rhæti, omni conatu tractatus executionem impedire annixi ſunt. Rhætos proſcriptos malè habebat, quòd non etiam abolitio tam pro ipſis, quàm pro Volturenis inſerta eſſet. Nuncius Apoſtolicus maximè vrgebat, vt in Rhætia etiam res Epiſcopi promouerentur. Atque iam tum apparebat, Legatos Gallicos executionem tractatus minùs diligenter vrgere, quòd bellum in Gallia ingrueret. Hiſpani verò, omni ſtudio, & non exigua pecuniæ vi (vt fama conſtans erat) etiam adhibita, apud priuatos aliquos Heluetios Catholicos tectè ſollicitabant, ne ſponſores ſe in eiſdem pactis Madrillianis cõſtituerent: Voltureni præterea Actium

Bestam,& Doctorem Jo.Baptistam Marinonum,ad Archiducem Leopoldum Oenipontum miserunt,vt cōsilia & auxilia inde peterent,atq; Archidux tractatus executionem impediret. Marinonus Viennam vsque ad Imperatorem etiam excurrit. Horumque rebellium negotium,ab Archiduce Leopoldo Pontifici, Imperatori, & aliis Principibus Catholicis,commendatum fuisse dicitur. Iidem Voltureni rebelles Albertum Pandulphum, Monachum, in Galliam ad Regem Christianissimum,qui obsidione Montalbanum cinxerat, miserunt. Responsum retulisse dicitur: Negotium Legatis Gallicis in Heluetia commissum esse. Lucernam ab iisdem rebellibus missi erant, Ioannes Guicciardus, Doctor Jo.Jacobus Paribellus,& Abundius Taurellus. Ad hæc Rhæti exules ibi erant, Joannes Simeon Florinus, Lucius à Monte, Georgius de Georgiis, Io. Antonius Gioerius, & Joannes Coraius,Laxiensis;qui eum Maximiliano Moro frequenter erant. Porrò Rhæti eò quoque miserunt Volphgangum à Montalta,Christophorum Lhenerum & Huldricum Buolium,vt hi apud Catholicos Heluetios pro spōsione instarent; atque vnanimem consensum Rhætorum in acceptatione tractatus Madrilliensis eis exhiberent. Nomine Episcopi Curiensis aderat Casparus Sainus, Canonicus Curiēsis. Guefferius etiam,finitis Comitiis,Lucernam venit. Montholonus,rem graui oratione habita,proposuit. Rhæticis Legatis etiam Senatus datus fuit. Ultimò quoque auditi fuere rebelles Voltureni:qui mirum in modum contra Rempublicam Rhæticam debacchiati, atque sponsionem omnibus modis impedire,conati sunt. Heluetij se negotiis Rhætorum non sine magnis expensis se immiscuisse, dicebant,vltimoque nonnisi ingratitudinem ab eis reportasse. Proinde,cùm negotium hoc in manibus trium maximorum Monarcharum, Pontificis,Galliæ,& Hispaniæ,Regum sit; his se curam relinquere velle. Nuncius Apostolicus interfatus, Heluetios exhortabatur, ne sponsionem omninò denegarent; sed eam aliquo modo differrent. Denegationem enim bellum toti Europæ noxium inter hos duos Reges parere posse. Mironus Montholonus & Guefferius (qui omnes tres in instructione Regia nominati erāt)

cum

cum Præside Dolensi Burgundo, propter dissidium præcedentiæ, nunquam conuenerunt. Sed Nuncius Apostolicus hinc inde commeabat. A Nuncio Apostolico, Montholono, & Guefferio, aliqui articuli, quos Lucernenses vocant, concepti fuere; qui Catholicis Heluetiis à Montholono in lecto decumbente ostensi fuere: quos si Rhæti admitterent, ipsis Volturenam restitutũ iri, affirmabat. Guefferius hosce articulos Curiæ, deinde in Senatu proposuit: sed authorem prodere noluit: nam & ipse pars magna istarũ rerum erat. Porrò horum sensus fuerat: Religio Catholica in tota Rhætia, etiam in ipsa ciuitate Curiensi, libera sit. Templa, Monasteria, & Collegia Catholica, vbique per totam Rhætiam ædificari, & à Religiosis liberè inhabitari possint. Episcopo, & Collegio Curiensi omnia ipsius iura Politica, & Ecclesiastica restituantur; atque, vt liberè visitationes in tota dioecesi sua, reliquâsque functiones suas exercere possit, ipsi concedatur. Causæ matrimoniales in foro ipsius Ecclesiastico cognoscantur. Sacerdotes stylo Gregoriano celebrare diuina officia possint. Omnes redditus Ecclesiastici, & decimæ, sacerdotibus Catholicis applicentur. Monasterium Curwaldense restituatur. Exulibus Grisonibus Catholicis liber reditus in patriam permittatur, & bona ipsis ablata restituantur. In Valletellina, & Comitatu Bormij, nulla alia Religio quàm Catholica Apostolica Romana exerceri possit. Monasterium Dominicanorum Morbennij, cuicunque alteri ordini concedi possit. Episcopo Comensi iurisdictio Ecclesiastica absoluta, cum visitationibus, & aliis, concedatur. Voltureni, qui coram Tribunalibus illis Censoriis puniti fuerunt, de mulctis illis, quas in parte non soluerunt, conueniri non possint. Guefferius interim apud Proceres Rhætiæ, item apud aliquos Protestantium Concionatores, denique apud exules quoq; Volturenos Protestantes, horum articulorum approbationem diligenter vrsit: promisitq; aliquam pecuniarum summam Protestantibus Volturenis pro damnis datum iri; seque effecturum vt Ecclesia vna Protestãtibus (oppidum Tiranum innuebat) in Valletellina concedatur, atque in Prætorio quoque Sondrij exercitium liberum permittatur.

Porrò Rhæticus Senatus ad hos articulos simpliciter respondit; Rhætos tractatum Madrilliensem acceptasse: nec ab eo recedere posse. Cùm sæpiùs vrgeret, vt responsio aliqua in scriptis daretur; aliqui deputati fuere, qui in hunc ferè modum responderunt: In Rhætia vtramque Religionem, Catholicam, & Protestantium, liberam esse; nec quenquam in libertate conscientiæ suæ in vllo Rhætiæ loco impediri. Templa, Monasteria, & Collegia Catholicos in Rhætia habere, nec in condendis aliis ad vsum suum imimpediri: dummodò Ordines publicis legibus iam olim proscripti, non introducantur. Episcopum Curiensem à iuribus suis Politicis, vbicunque ea habet, nullo modo impediri. Cùm verò & ipse membrum Rhæticæ Reipublicæ sit, & in litteris fœderalibus nominatus, & comprehensus: æquum esse, vt siqua differentia inter ipsum & aliquas Communitates, aut priuatas personas enascatur, se iuri & iustitiæ, vti litteræ fœderales disponunt, & ipsius prædecessores fecerunt, subiiciat. Quod Ecclesiastica concernit; ipsum in locis Catholicis, in visitationibus & functionibus suis non impediri. Res matrimoniales tenore articulorum anno M.D.XXVII. communi consensu sancitorum determinari. Stylum Gregorianum ne quidem à merè Catholicis vbique, vti in Valesia videre est, receptum esse. Redditus Ecclesiasticos Protestantes, vigore constitutionum iam dudum ab omnibus receptarum, suis Concionatoribus dare: Catholicos etiam suos Sacerdotes ex redditibus suis alere. De Decimis anno M.D.XXVI. leges latas, & ab eo tempore obseruatas fuisse. De Monasterio Curvaldensi, prout antea Oeniponti responsum fuit. Exules Rhætos Catholicos, non propter Religionem proscriptos fuisse, nec religionem obstare quò minùs patriæ restituantur. Bona ipsorum Communitatibus applicata, & in sumptus publicos conuersa fuisse. In Valletellina, & Comitatu Bormij, nullam aliam quàm Catholicam Apostolicam hodiernam Romanam religionem locum habere debere, hoc verò nullatenus concedi posse. Se namque petere, &, Deo adiuuante, velle, vt libertas vtriusque religionis obtineat: cæterùm articulis Madrillianis, quos firmos, ratósque velint, se stare velle.

Mona-

Monasterium Morbennij Monachi Dominicani, qui ibi sunt, aut etiam alij, dummodò hi legibus non exclusi sint (Jesuitas innuebant) liberè & absque impedimento ibi habitare poterunt. Episcopi Comensis iurisdictio Ecclesiastica in Valletellina, postquam hæc in dominio Rhætorum fuit, semper certis & legitimis terminis circumscripta fuit: vt ex statutis Vallistellinæ impressis, & aliis constitutionibus, videre est: atque in eis rebus, quæ de iure ad ipsum spectare possunt, nunquam impeditus fuit, nec posthac impedietur. Quòd mulctas illas Volturenorum, quæ nondum persolutæ sunt, concernit, cum consilio Legati Guefferij agetur, & in eius gratiam, quicquid hac in re iusserit, non denegabitur: cui etiam Rhætiæ protectionem humiliter commendant.

Porrò Apologia quoque concinnata fuit contra calumnias rebellium Vallistellinensiũ: qua status Rhætiæ ab anno 1601. diligenter descriptus, & machinationes Hispanorum Volturenorum, aliquorum Rhætorum Hispanizantium, denique quorundam Catholicorum Quinquepagicorum produntur: atque omni humilitate à Rege Christianissimo, ad quem Apologia directa erat, petitur, vt Tractatus Madrilliensis in puris terminis, & ad litteram, executioni mandetur; atque ipse contra impedientes forti & prompta manu confœderatis suis Rhætis succurrat. Protestantur coràm Deo, Angelis, & hominibus, si, tanquam ab omnibus deserti, ad aliquam aliam deliberationem deueniant, culpam confœderatorum Principum Rhæticæ Reipublicæ fore. Hæc die XVIII. Augusti conscripta, & ad Montholonum (nam cum Guefferio non admodum cõfidenter Rhæti iam communicabant) vt eam ad Maiestatem Christianissimam deferri curaret, transmissa fuit. Qui per litteras deinde respondit: Se id diligenter curaturum. Cæterùm, ad hoc scriptum Rhætos etiam mouerat Scriptum quoddam impressum, & ab Alberto Pechorello prioris Nuncij Apostolici, Saregi, quondam Auditore publicatum, sub titulo & Prosopopœia Vallistellinæ plorantis. In eo author multa mendacia, & calumnias effundens, inter alia monet, vt Principes Catholici Vallemtellinam Turcis potiùs, quàm Rhætis in manus tradant.

Die xx. Augusti, Julius Cæsar Cicer, Mercator ille Mediolanensis, Curiam quoque venit, à Duce Feriæ missus: qui, vbi sub prætextu litis cuiusdam saluum conductum à Rhætis obtinuisset, in Senatu auditus fuit. Proposuit: Ducem Feriæ in discessu sibi dixisse; quòd, si Rhæti Legatos Mediolanum mitterent, facilè de restitutione Vallistellinæ (excluso tamen exercitio Protestantium Religionis) inter eos conueniri posset. Inter alia quoque addidit; Cur Rhæti Legato isti Gallico Guefferio fidem habeant; qui ea, quæ promisit, nec præstare velit, nec possit. Notorium esse, Regem Galliæ domi suæ cum Montalbanensibus, Rupellensibus, & aliis, impeditum esse: atque, si ad bellum deueniatur, Rhætiam totali hostium inuasioni; cùm nulla ibi fortalitia sint, expositam fore. Gallicus Legatus hac eius licentiosa oratione mirè offensus fuit, atque petijt à Senatu, vt Cicer scriptis, ea quæ dixit, comprehenderet: quod Cicer statim præstitit. Legatus verò magis magisque excanduit. Sed, cùm fide publica tutus esset; nemo quicquam contra ipsum tentauit. Idem Cicer quoque dixit; Ducem Feriæ conquestum esse de excursione aliquorum Præsidiariorum Clauennæ in montes Larij lacus. Res autem ita sese habet. Ad Præsidium Clauennæ deputati erant Capitanei Christianus Joderus à Casutto, Nicolaus Schenius, Baptista à Salis, Jacobus Ruinella, Paulus Buolius, Salamonius filius, & Ulysses à Salis. Sexcenti debebant esse milites: sed numerus præsidiariorum ad ducentos iam redactus erat. Hispani autem præsidiarij ad Ripam quotidie rusticos in pagis Comitatus Clauennæ vexabant. Absentibus ergo, & insciis Capitaneis Rhætis, aliqui insolentes milites (quorum ductores, Lucarnensis quidam, Os tortum *(Krum maul)* vulgò dictus, & Uldericus Maag, Neukilchianus, Scaphusianus) mense Augusto, per montem de Paiedo in Alpes proximas Larij lacus excurrunt, indeque centum & quinquaginta oues abducunt. Quas pecudes deinceps ab istis militibus Joan. Maria dell Aqua, Gordonensis, pretio redemit; quo persoluto, pleræque restitutæ fuerunt. Hispanorum etiam casulæ castrenses *(Baraccha)* ad Archettum, in territorio Rhætorum com, bustæ fuere. Capitaneus autem Iacobus

Vasallus,

Vassallus, qui ex legione Comitis Serbelloni erat, ad ripam Mezolæ modò venit: ibique, consilio cum Neapolitanis, qui in proximis pagis Larij lacus erant, inito, Clauennam inuadere, &, si retinere eam non possent, deprædari statuit. Die Lunæ ergo, XXIV. Augusti, ipse Vassallus à læua Mairæ versus Malaguardam (alteri autem à dextera versus Gordonam proficisci debebant) venit, & rectà Clauennam tendit; iamque vltra Pradam ad pontem Carrorum prouectus fuit. Præsidiarij Clauennæ, qui & pauci numero, & Capitaneis destituebantur, classico dato ipsi occurrunt, eumque cum suis mox in fugam agunt. Vassallus ipse propè locum, Pizium dictum, globo tormentario occiditur, atque cadauer, Clauennam delatum, ibi sepelitur. Adhæc alius quidam Vassallianus miles ad locum, Porrettina dictum, propè Bellaspadam interfectus, octodecim etiam sauciati fuere: ex quibus post octo mortui sunt. Unus captus, & paulò post dimissus fuit. Hostes etiam locum ad Somagiam, propè Ripam, combusserunt. In caligis Vassalli, inter alia, epistola à Joanne Maria Parauicino, Ardennate Voltureno, scripta inuenta fuit: in qua aiebat, gladios Rhætorum hebetes esse; atque sibi certò constare, Protestantes Heluetios Rhætis nulla nunc auxilia daturos. Neapolitani, qui propter defectum aquæ (vbi Abdua in lacum Larium influit) in arena cum nauibus hæserant, nec tempori adesse poterant, ad pagum Gordonam vsque venerunt: vbi cùm Vassallianos iam in fuga viderent, ipsi plerique, per Vallem de Bodengo, vndeuiginti quinque bestias abduxerunt, & in territorium Mediolanense reuersi sunt. Rustici ad Pajedum quatuor Neapolitanos de rupibus præcipites egerunt. Neapolitani postea ipsimet propalarunt, Constitutum fuisse Catholicis Clauennensibus ligulam rubram pro signo dare, vt ab aliis separarentur: reliquos autem se occidere constituisse. Sex antè diebus aliqui Engadini, & exules Voltureni, per montem dell' Oro Vallem Malenchi ingressi sunt, custodias rebellium fugarunt, tres occiderunt, & aliquos sauciauerunt, atque prædam sexaginta pecudum nacti sunt. Antonius Maria Parauicinus, Jacobus Taurellus, & alij, cum cohortibus suis in Vallem Malenchum vsque venerunt: & in En-

gadinam irrumpere minitati ſunt. Sed cùm ad montem venirent; ſimulabant ſe ab indicibus itineris non recta via duci: ſicque ductores, & milites, re infecta reuerſi ſunt. Inuaſio illa Vaſſalli accidit, dum Cicer Curiæ eſſet. Quare litteræ ad Ducem Feriæ ſcriptæ fuere, quibus querela de molitionibus Vaſſalli inſtituta, & reſtitutio Vallistellinæ ſollicitata fuit.

Die XVI. Auguſti, Baldironus, aſcito numero militum, & multis equis onerariis, per montem, & viam incognitam, vbi Engadini tranſitum minimè obſeruabant, pleriq; etiam in colligenda ſiligine, & fœno occupati erant, ad caſtrum Taraſpum commeatum bellicum, puluerem, funiculos tormentarios, & alia neceſſaria, aduexit. Porrò in Comitiis decretum fuit, vt quodlibet fœdus quatuor mille milites omni re neceſſaria ad bellum inſtrueret; qui omni die, & hora parati eſſent. Gueſſerius hoc decretum improbabat. Julius etiam Cæſar Cicer Mediolano reſcripſit; ſe litteras Rhætorum Duci Feriæ tradidiſſe, eumque ſimul de bona ipſorum voluntate edocuiſſe: Ducem autem, cùm litteræ Germanica lingua conceptæ fuerint; nondum ad eas reſpondere poſſe. Cæterùm eum dixiſſe; videri ſibi aliquid doli, aut ſtratagematis ſubeſſe. Nam vocem publicam volare, Rhætos Volturenam inuadere velle. Subiunxitque, Ducem Feriæ Vallemtellinam in propria perſona defenſurum. Si verò quietè agant, & nihil hoſtile contra Volturenam, & Bormium attentent, nec Ducem Feriæ ſuis militibus permiſſurum, vt aliquod damnum Rhætis in dominiis, quæ modò poſſident, inferatur. Vaſſallum, contra iuſſa Principis egiſſe: proindeque meritam pœnam tuliſſe. Coronidis loco ſubnectit; Scapium, Nuncium Apoſtolicum, Mediolani eſſe ſub prætextu componendi controuerſiam inter Venetos, & Ducatum Mediolani, propter flumen Abduam, & alia quædam, (quò etiam profectus erat) atque ſecreta quædam cum Duce Feriæ circa reſtitutionem Vallistellinæ tractare. Et verò, vt poſt cognitum fuit, Nuncius iuſſu Summi Pontificis Gregorij XV. reſtitutionem Vallistellinæ vrgebat; imò, vt poſt Dux Feriæ confeſſus fuit, Eccleſiam vnam Proteſtantibus relinquendam Nuncius proponebat.

ponebat. Nuncius verò hoc postea negauit; & Pontificem, vti & Cardinalem Ludouisium, semper, nullum aliud exercitium quàm Catholicum in Volturena permittere voluisse, affirmauit. Pontifici, in ingressu Pontificatus sui, memoriale, vt vocant, ab homine Politico datum fuerat; sub titulo: Discursus de originalibus causis dissensionum inter populos Grisones, spatio nouemdecim annorum, vsque ad inuasionem Vallistellinæ, ab Hispanis factam, natarum, &c. Hic author magnam culpam fœderi Veneto adscribit. Sed satis apparet; ipsum in rebus Rhæticis, nec in iure, nec in facto, vt dicitur, satis edoctum fuisse. Cùm Papa posteà de feruore restitutionis refrigesceret: Lazarus Beneuentus, Bononiensis, in exhortatione sua ad Germanos, vt ad gremium Ecclesiæ Catholicæ redeant, notauit: Papam, vt nepoti suo ex fratre, filiam vnicam Ducis Venusini Neapolitani, defuncti, hæredem amplissimorum patrimoniorum, vxorem imperando impetraret: à sollicita cura restitutionis Vallistellinæ, in gratiam clientis Ibericæ, destitisse, Hispanoque ad tempus obsecundasse.

Animi Rhætorum admodum perplexi erant. Vallis-Monasterienses, & exules Protestantes Voltureni, nonnisi de reditu in patriam cogitabant: multisque persuasum erat, si modò pedem in territorium Bormiense figere possent; Venetos sibi auxilio venturos. Alij Ducem Feriæ ad articulos magis honestos deuenturum, atque multum fidei, existimationisque Rhætos hoc modo acquisituros dicebant. Montholonus, qui quotidie per Guefferium de omni re certior reddebatur, Protestantes Heluetios Bremgartam euocat, de tractatu Madrilliensi & articulis Lucernensibus, quorum moderationem promittit, confert: atque vt Rhætos à proposito tentandi aliquid contra Volturenam dehortentur, instat: denique apud Rhætos quoq; ipsosmet per litteras idem peragit; &, vt cum Guefferio consilia cõmunicent, ipsos admonet. Protestantes Heluetij ad Rhætos deinde scribunt; &, vt aliquantùm ad patientiam & quietem se adhuc componant, ipsos exhortantur. Legatos enim Gallicos bonam spem de executione tractatus Madrilliensis facere. Sic etiam Jo. Baptista Leonellus, Secretarius Venetus, Ti-

guri in Heluetiis resîdens, frequentes epistolas ad amicos in Rhętia scribens, orat, vt quantum possint, hunc armorum motum impediant; hanc namque commotionem interitum libertatis Ecclesiasticæ, & Politicæ in Rhætia, parere posse. Georgius de Georgiis, Mediolano, ad Hartmannum à Planta litteris datis, inter alia dicit, Se habere quædam, quæ statum Reipublicæ Rhæticæ spectent, ei indicanda: nam vereri se, vt Rhætia (etsi ingrata sibi fuisset) se in extremum periculum coniiciat. Proinde petere se cum eo colloqui. Hartmannus hanc epistolam Triumviris, & aliis Proceribus Rhætiæ, ostendit. Datus dies colloquij Valenstadij in Heluetia fuit: quò Georgius, & Joannes Antonius Gioerius, ad Hartmannum Plantam venerunt. Georgius affirmabat, Ducem Feriæ Vallemtellinam, & Comitatum Bormij Rhætis restituere; sed transitum liberum habere velle.

Cæterùm Religionis Protestantis exercitium publicum nullum modò ipsum permittere ibi posse: habitationem tamen Protestantibus ibi non denegare: quod fortalitia attinet; Rhætorum voluntati ipsum non velle aduersari. Quæ omnia Hartmannus Planta fideliter retulit. In Comitiis Trium Fœderum nihilominùs de mouendo & colligendo milite actum: cumque magna contentio in Senatu fuisset; tandem hæc sententia obtinuit: Ut XXI. Septembris omnia vexilla in Engadina superiori, maximo, quoad eius fieri posset, silentio conuenirent. Persuasum aliquibus erat à quibusdam, inter quos Constantinum Plantam numerabant, quadringentis militibus fortalitium Bormij occupari posse. Sed die condicta nemo adparuit. Vallis-monasterienses ergo, & Engadini aliqui, milite aliquo collecto, Dauosium venerunt. Locum autem congregationis Tusciam in Tumiliasca, vt Grisæos commouerent, nominauerant; vbi circiter centum & quinquaginta, inter quos etiam Rhetigoij, & aliqui exules Voltureni, erant, conuenerunt. Hi passim omnes ad capienda arma exhortati sunt.

Jam antea bis legatio Imbstiana, quòd suffragia nondum collecta fuissent, dilata fuerat. Princeps autem ægrè

hanc

hanc dilationem ferens, inter alia in prioribus litteris; Se intelligere aiebat, ſubditos ſuos Rhetigoios iterùm tumultuari, & arma mouere velle. Poſteriores per Chriſtophorum Saurum ſcribam Curiam miſit: qui nuncius cùm videret, ad bellum omnia parari, inquiebat: Etſi hæc contra Volturenam ſuſcipiantur; æquè tamen Principem meum hoc negotium tangit, proindeque nec ſpes pacis erit. Ego, qui iam tum præuidebam, luctuoſum nobis hoc bellum fore, Imbſtium proficiſci renui. Tandem, cùm me, per pœnas & mulctas ad obedientiam redegiſſent; litteras nobis Senatus Rhæticus dedit, quibus promittebat, nihil contra Domum Sereniſſimam Auſtriacam, Germanicam, modò ne quicquam & ipſa conetur, ſuſceptum iri. Interim nuntius Clauenna allatus, quòd die Sabbathi XVIII. Septembris, Martinus à Camenis, ſenior, Clauennæ Commiſſarius, rixa inter eius filium Martinum, & milites aliquos Præſidiarios, orta, in prætorio, dum valuas cubiculi claudere vellet, ſcloppetto lethaliter vulneratus, die ſequenti obiuerit. Angelica etiam Oldrada, rixam dirimere annitens, à Martino iuniore fortuitò ſcloppetto vulnerata fuit, atque aliquot poſt ſeptimanas è vulnere diem extremum clauſit.

Porrò duo illi, Uldricus Maag, Scaphuſianus, & Os tortum, Lucarnenſis, authores rixæ, Bergunij carceri mancipati, cum multa etiam furta commiſiſſent, in furcam acti fuere. Guefferius Legatus, qui à congregatione militum iterum periculum ſibi creari putabat, ex Rhætia diſceſſit; anſa inde ſumpta, quòd Nuncium Apoſtolicum, qui Mediolano venturus ſit, conuenire vellet; vt Tractatum Madrillienſem executioni mandare poſſent. Diſceſſus admodum repentinus erat. Sed priùs Conſulem Curienſem, atque ciuitatis Cancellarium, ad ſe vocauit; eoſque exhortatus eſt, vt Deputatis Trium Fœderum, qui die ſequenti Curiam venturi erant, indicarent; Prouiderent ipſi nequid armis tentaretur: nam tractatui Madrillienſi hoc præiudicaturum: atque Hiſpanos hanc occaſionem ſummopere expetere. Et proteſtabatur, Si Rhæti minùs in hoc ei morem gerant, & ſiniſtri aliquid eueniat,

ſe culpæ expertem fore. Idem, iiſdem ferè verbis ſcripto comprehenſum, poſtera die ad conuentum Trium Fœderum, Ragatio Curiam miſit. Montholonus etiam his ipſis diebus, Rhætis iterum ſcribens, eos monuit, vt quieti, & tamen vigilantes eſſent: nam eos in magno periculo verſari: proindeq; admonitiones Legati Gueſſerij ipſos flocci pendere non debere. Denique idem etiam Orator Venetus, qui Tiguri erat, repetebat. Porrò iam dies quintus Octobris, ab Archiduce Leopoldo, tamque peremptorius nominatus, vt Imbſtij eſſemus, inſtabat: quare iterum ad iter nos accinximus. Milites illi Tuſciæ congregati aliquos è ſuis in fœdus Griſæum, ſupra ſyluam, vt ibi Communitates ad recuperationem Vallistellinæ, vt aiebant, exhortarentur, miſerunt: ipſique in duos manipulos diuiſi, in quorum vno Georgius Jenathius, in altero Blaſius Alexander erat, cum milite ſtatim ſubſecuti ſunt. Die Sabbathi XXII. Septembris, ad pagum Rhætienſem primi cùm veniſſent, atque victus ipſis defuiſſet, tres Bartholomæi Plantæ, Rhætij Domini, iuuencas, quas ipſimet eius loci ruſtici eis monſtrauerant, mactarunt. Indeque iterum Oeniponti querelæ excitatæ fuere. Flemium vbi veniſſent, die Dominica III. Octobris, infœlicem illum Joſephum à Capaulo, qui Tuſciæ, & Dauoſij, à Tribunalibus Cenſoriis vexatus fuerat, & paulò ante ex exilio in patriam redierat, inuenerunt: cui iam milites mortem intentare, & ædes ſpoliare ceperunt. Ipſe verò, quum de iniuria Capitaneo Conrado à Planta, & Nicolao Carolo, conquereretur; ſuperuenit Jenathius, eumque ſcloppetto, quod fortè ignem non concepit, transuerberatum voluit: attamen tribus aliorum, Engadini, Rhetigoij, & Voltureni cuiuſdam, ſcloppettorum ictibus ipſe transfixus, & ex ædibus pretioſa ſuppellex ablata fuit. Hoc verò facinus, quantum animos omnium, qui quietem expetebant, perculerit, dici vix poteſt. De hinc Ilantium vbi perueniſſent; ſtatim Diſertini, Leguntini, & omnes Supraſyluani, certum militum numerum promiſerunt: adeoque omnia vexilla Trium Fœderum, præter Miſauciéſium, Prægallorum, & Peſclauienſium, in Engadinam ſuperiorem tenderunt. Sed ad ſex mille milites numerus non exſurgebat:

gebat: nam cohors vna ducentos milites non excedebat. Adhæc nec armis, nec commeatu, vel aliis ad bellum necessariis, instructi erant. Prætorem Huldricum Buolium antea ad quatuor ciuitates Protestantes Heluetiæ miserant, vt propositum Rhætorum ipsis exponeret. Ast omnes respondebant, Alieno tempore bellum suscipi: atque potiùs executionem tractatus Madrilliensis apud Legatos Gallicos, qui bonam spem executionis faciant, vrgendam esse. Sed nostri ante ipsius reditum iam Bormium versus abierant.

Condicta die Martis v. Octobris, Imbstium appulimus: atque altera pòst die Doctor Hemmerlinus, Burcklheneerus, & Maximilianus Morus, loco Alberti à Collobratt, aduenere. Baro à Bemmelberg, qui in litteris credentialibus (vt vocant) etiam nominatus erat, non aduenit; sed in eius locum Ferdinandus Fuegerus missus fuit. Exhibitis vtrinque instructionibus, cùm à nobis responsum ad petitiones suas expeterent: nomine Communitatum nostrarum approbationem exceptionis, quam in antecedenti conuentu produxeramus, ipsis obtulimus: & aliqua etiam diffusiùs, vbi nostra documenta diligentiùs perscrutati fuissemus, declarauimus: Denique Tria Fœdera fœdus hæreditarium vnicè obseruare, simulque iura Serenissimi Principis inuiolata percupere; sed, vt quisque etiam iuribus, priuilegiis, & immunitatibus suis vti quoque possit, asseruimus. Oenipontum ad Principem hoc nostrum responsum miserunt, vt per Doctorem Lintnerum, qui omnes scripturas componebat, replicatio in scriptis daretur. Cæterùm, iam quoque Bartholomæus Planta, Rhætij Dominus, Oenipontum profectus fuerat, atque nouam querelam de inuasione castri Rhætiensis, & mactatis bestiis, instituerat. Austriaci ergo Commissarij, nomine Principis, grauiter super hac re conquesti, scire à nobis petierunt: num nostri inducias obseruare vellent, necne? Nos ipsis litteras, quas à Tribus Fœderibus habebamus, ostendimus: in quibus continebatur, nostros nihil contra Serenissimum Archiducem Leopoldum mouere velle, si modò idem erga nostros quoque obseruetur. Et reuera non sine timore Austriaci erant. Nam de-

aduentu nostri militis in Engadinam inaudiuerant, atque verebantur, vt in Vallem-Monasterij irruerent: vbi iam Baldironus non procul à combusto pago S. Maria, ad pedem montis, fortalitium properanter extruxerat: iamque in finibus quoque Ænotrij, Damalij, & alibi, aggeres erigebant. Ipsorum itaque serio hortatu Simonem Rigettum, vnum ex domesticis nostris, per veredos equos in Rhætiam misimus, atque Senatui Rhætico periculum, & indignationem Principis, sermone multo exposuimus: expetiuimusque, vt inducias denuò confirmaret, & responsum celeriter mitteret. Interea verò nos Commissarij per duplicationes, triplicationes, & quadruplicationes, in causa processimus. Ast ipsi vltimò, vt exitum negotij Bormiensis spectarent, moram de die in diem nectebant; atque interim selecti milites in toto Comitatu Tirolensi lustrati, & ad fines versus Engadinam missi fuere. Brionus quoque cum equitatu, & adiuncto peditatu, in Vallem Drusianam (Mõtafunum) finitimã Rhetigoiis, profectus, castra ibidem posuit. Rhæti, per Vallem Luinum cum viginti duobus vexillis Bormium versus tenderunt. Ductores primarij erant, in fœdere Grisæo; Jacobus Joderus à Casutto: in Cathedrali; Hartmannus Planta: in X Jurisdictionibus; Jo Petrus Gulerus, Dauosianorum Præses. Die Martis XII. Octobris, in Vallem Pedenucis descenderunt, ibique propè dispersas illas ædes post pagum Semancum illa nocte castrametati sunt. Aliqui ex hostibus ibi à volonibus, quos Jacobus Ruinella, Capitaneus, ducebat, inuenti fuere: qui tamen statim se fugæ dederunt. Die sequenti Mercurij XIII. Octobris, Rhæti exercitum in duo agmina diuiserunt. Mille moschettarios, qui plerique Cathedrales, aut Grisæi erant, Constantino Plantæ attribuerunt; qui à dextero amnis Isolaciæ latere per pagum Ogam versus Vallem Cepinam tendit, vt transitum omnem hosti præcluderet. Sed hostes intra pagos Cepinam, & Tullam, ad domus Casparodorum, se communiuerant, atque circiter sexaginta milites (quibus Octauianus Dosenna, Sergentus, postea Capitaneus creatus, præerat) ibi collocati erant. Rhæti frustrà expugnationem, cùm nulla instrumenta ad hoc requisita haberent, tentarunt.

runt. Octo nostrates ibi scloppettis interfecti fuere: ex hostibus vnus tantùm cecidit, quem Rhetigoij aliqui, qui ab altera parte fluminis superuenere, interfecerunt. Castra nostri ad pontem S. Luciæ posuerunt, hostibus inde depulsis. Porrò ab altera Isolaciæ parte, Decem Jurisdictionum Fœdus, cum reliquis, versus aggeres veteres iter tenuit. Hostes ex oppido, & fortalitio Bormij (quod propè oppidum in loco, Dossum del Luco dicto, forma quadrangulari extructum, eique nomen Castellum de Feria inditum erat) iam vltra aggeres illos veteres excurrerant. Erant octo cohortes ex legione equitis Melitensis Jo. Baptistæ Pecchij, qui in locum Hieronymi Rhandensis suffectus fuerat. Castellanus Fortalitij erat Octauius Sforzia, ex Vicecomitum familia. Ibi ergo inter præcursores velitatio exorta fuit. Sed hostes non diu impetum Rhætorum sustinuerunt, & in recessu pagum Primadium combusserunt. Duo; vnus ex equitatu; alter ex peditatu, ceciderunt: aliqui sauciati fuerunt. Ludouicus Albertaccius, Mediolanensis, qui tunc Capitaneus erat, postea Centurio vigilium factus, ea die arma sua in fuga abiecerat. Singulari virtute Moizi Adiuuæ liberatus fuit. Hostes se fortalitio Feriano, relicto oppido, includunt. Oppidani etiam ad montana, abducto omni commeatu, confugiunt. Rhæti ex militibus aliquos ad thermas Bormienses destinãt: qui deinde totam noctem, à die Mercurij ad Jouis diem vsque, in oppugnando Serralio, quod ibidem in augusto transitu montis Braulij est, consumunt: sed irritus labor fuit. Duo ex Rhætis occubuerunt: ex hostibus tres vulnerati fuerunt. Die Jouis, XIV. Octobris, consilium bellicum congregatum, atque de oppugnatione fortalitij deliberatum fuit. Sed cùm commeatu, tum instrumentis ad expugnationem necessariis, destituebantur. Interea aliæ insuper Montholoni Legati litteræ allatæ fuere: quibus Rhæti admonebantur, ne quicquam innouarent: atque ipse promittebat, se perfecturum, vt Tractatus Madrilliensis obseruaretur. Porrò hostes frequentib. tormentorum maiorum, qualia quatuor in fortalitio habebant, ictibus, Rhætos vexabant, iamq; sub vesperam ignitos globos in domum, vbi stramen & fœnum erat, prope ædes Ro-

domonti de Albertis,proximas fortalitio,euibrabant. Igne ergo in oppido vbique ſerpēte,militis Rhætici pars magna ſine ordine oppido exceſſit. Hartmannus Planta, qui ex congregatione conſilij bellici, hoc caſu conſpecto, exiuerat,militem ad fortitudinem exhortaturus, & hoſti ex fortalitio erūpentì occurſurus,à tribus equitibus ex turma Michaëlis Aſpurz circumdatus,& globo tormentario per ilia acto, poſtquam fortiter ſe defendiſſet, proſtratus fuit. Ex Rhætis vigintiquinque in hac expeditione deſiderati, aliqui etiam capti,poſtea dimiſſi fuere. Ex hoſtibus pauci ceciderunt: ſed nonnulli ſauciati fuerunt. Cadauer Hartmanni Plantæ in fortalitium delatum, poſtea agnatis, cùm duos equos Octauio Sforziæ Vicecomiti, quos dicebat in pugna occiſos fuiſſe,donaſſent,conceſſum fuit. Zuzium in Engadinam delatum,& in monumento maiorum ipſius ſepultum fuit.Erat vir iuuenis,animi heroici,& intrepidi,litteris egregiè excultus: ſed ſuæ opinionis ſupra modum tenax; atque,quòd Venetis partibus maximè addictus eſſet, ab Hiſpanizātibus odio ſummo habebatur. Hiſpani poſtea, vt haberent anſam inuadendi Comitatum Clauennæ, publicarunt,Rhætos oppidum Bormium incendiſſe: quod tamen falſiſſimum erat. Totum oppidum,nouemdecim exceptis ædibus,igne abſumptum fuit. Anno antecedenti etiam aliquæ domus incuria Hiſpanorum præſidiariorum conflagrarant. In vico trans pontem, Contrata Combum, dicto, Signorinus (qui ex Turca Chriſtianus factus dicebatur) Sergentus Capitanei Vareſini,ignem,ſpectante non exigua parte ciuium Bormienſium, oppido iniecit Rhæti plerique in Engadinam reuerſi,& ſtatim hinc inde dilapſi fuere. Dux Feriæ, vti antea Julius Cæſar Cicer ſcripſerat, cum meliori milite ſuo itineri ſe accinxit, atque die Veneris xv. Octobris,cum terræmotu Vallemtellinam ingreſſus eſt. Noctu antè totum cœlum rubrum apparuit, nebulæque inter ſe pugnare,tandemque in anguem tortuoſum verti viſæ ſunt. Don Joannes Brauus, Hiſpanus,cum legione ſua Cepinam vſque peruenit: ibique militum ſuorum laſſitudinem cauſatus, Rhætos ſe commodo loco exſpectare voluiſſe dixit. Poſtea verò à Duce Feriæ,quòd gradum non acceleraſſet,

incre-

increpitus fuit. Nam Pecchius Duci persuaserat, si tempore Brauus adfuisset, Rhætos facilè intercipi potuisse. Et verò Pecchius cum suis, iter nostris præuertere, eosque, vtpote qui sparsim incedebant, quorumque multi iam versus Vallem Pedenucis, Decem Jurisdictionum vexillis adhuc in oppido quibusdam existentibus, ascenderant, intercipere conatus fuerat: sed à postremis quibusdam nostris turmatim inuasi, & in fortalitium hostes pulsi fuerunt. Dux Feriæ, cùm ad castrum Bormij venisset, oppidum fumigans ingredi noluit; sed ea ipsa die in Vallemtellinam ad pagum Le prese dictum, redijt. Baldironus, Maximilianus Morus, Rodolphus Planta, ad Ducem Feriæ profecti sunt: atq; iam tum bellum contra Rhætos decretum fuit. Aiunt, Ducem Feriæ, Baldironum, quòd Rhætos Bormio discedentes non fuerit aggressus, obiurgasse.

Die Martis XIX. Octobris, cùm iam Rhætos, re infecta, Bormium deseruisse fama Imbstij increbuisset; nosq; multoties à Commissariis Austriacis audiri petiuissemus, ad colloquium tandem admissi fuimus: vbi pro decisione amica, atque vt induciæ producerentur institimus. Illi verò iam toti hilares, mox se aliud nobis scriptum exhibituros: & de induciis se nulla mandata habere, nec nos aliquid responsi accepisse, aiebant. Porrò responsum de induciis producendis, Zuzij à consilio bellico cōceptum, & ad Baldironum in Vallem-Monasterij missum fuisse, dicebatur: ille verò se omnium ignarum fingebat. Die Veneris XXII. Octobris, aculeatum, & diffusum duodecim foliorum scriptum exhibuerunt, quo Lintnerus, per theses, & propositiones infinitas; sed vanas; fœderis hæreditarij transgressiones, tāquam à Rhætis commissas, inferre conatus fuit. Tandem categoricam responsionem, affirmatiuam, aut negatiuam, super omnibus suis prætensionibus habere voluerunt. Et primò, in Religionis causa prædicantes omnes in Engadina inferiori, & Octo Jurisdictionibus ablegari; in reliquis merum, mixtum, & absolutum imperium in iis locis sibi concedi: atque vt iidem omnia fœdera, qualiacunque illa sint, abiurarent, postularunt: denique reliqua omnia, quæ ante prætenderant, iam verbis acerrimis repetierunt. Nos

die Sabbathi, XXIII. Octobris, eos accessimus, atque, vt mitiori, nempe, præscripta iuris via, tenore fœderis hæreditarij, nobiscum agerent, expetiuimus: atque, quoad Monasterium Curvaldense, atque alia etiam, quæ libertati communi præiudicium non afferant, bonum responsum daturos polliciti sumus; rogantes, tempus singula Superioribus nostris referendi nobis concedi: & exemplum nouorum iurium in responsione nominatorum, & productionem induciarum, expetentes. Illi ad hæc, vt postulata in scriptis proponeremus, responderunt. Quamobrem, reseruata Superiorum nostrorum ratificatione, sequentia proposuimus: Primò, vt tota controuersia, præscripta iuris forma in fœdere hæreditario, decideretur, enixè iterum postulauimus. Præterea, iura, quæ Serenissima Domus Austriaca in dominio Rhætiensi, in Engadina inferiori, denique in Octo Jurisdictionibus habet, illæsa nos velle, asseruimus. Tum in inuasores castri Rhætiensis seueram pœnarum exactionem promisimus. Adhæc Samnunenses Engadinos, Fliessensibus Austriacis, pro prætensis damnis aliquam pecuniarum summam, prout arbitris æquum visum fuerit, daturos annuimus. Monasterium insuper Curvaldense, cum omni apparatu Ecclesiastico, restitutum iri, recepimus. Sed, cùm ibidem parœcia Communitatis, & incolæ plerique protestantes sint; vt aliquid, quod æquum visum fuerit, ad sustentationem Concionatoris protestantis contribuatur, institimus. Sicque denuò fœdus hæreditarium, atque vt iuris forma seruaretur, vrsimus. Ipsi die Lunæ, XXV. Octobris, scripto respondentes, si quæ fauorabilia essent, acceptarunt: in reliquis, protestati sunt, nos tantùm ad ratifitionem Superiorum nostrorũ obtinendam hæc proponere; iura verò Austriacorum tam clara esse, vt nulla alia iuris decisione, aut ratificatione opus habeant. Cæterùm, nos domum repetere posse, aiebant: Serenissimæ enim Domui Austriacæ, ad tuenda iura sua media in promptu esse, & fore. Cùm postea die Mercurij XXVII. Octobris, ipsis significaremus, Rhætos, vt induciæ producantur, petere; responderunt ipsi: Se nullum de his mandatum à suo Principe habere; sed iam Oenipõtum ab ipso vocari. Quare etiam nos

libe-

liberum discessum petiuimus: qui nobis per litteras patentes concessus fuit. Sicque die Jouis, XXVIII. Octobris, cùm iam Austriaci die Martis proxima antecedenti in Engadinam inferiorem, & die Mercurij in Rhetigoiam impetum fecissent; per montem Ferum versus Lindauiam iter ingressi, die III. Nouembris Curiam appulimus; &, die quinta eiusdem mensis relationem omnium actorum summariè exhibuimus. Dum Imbstij essemus, Austriaci, vt Rhetigoios incautos inuadere possent, iam ipsis sal, cuius in Rhætia penuria erat, à Montefunianis diuendi permiserunt. Jo. Rodolphus Curtius, Subpræfectus Pludonensis, bouem à Ministrale Bartholomæo Casparo, Cœnobiano Rhetigolo, petijt: quem hic eidem die Dominica, XXIIII. Octobris, misit, vt sal vicissim reciperet: atque optimam vicinitatem, & amicitiam Curtius spopondit. Illi ipsi Cœnobiani Rhetigoij sequenti die Lunæ, XXV. Octobris, semitam per Vallem Syluæ-pineæ *(Schlepin)* vt fœna sua vehere possent, complanauerant; quod Austriaco equitatui postea seruiit; nam nullo alioquin modo posteà in recessu euadere potuisset.

Die Martis XXVI. Octobris, Brionus, cum suis equitibus; Joannes Ballionus, cum cohorte sua, cui etiam alij duo, Giurlettus, & Keiserus, aliquos selectos milites miserant. Capitaneus Daniel Crenzingerus, Veldcurianus; Joannes Rodolphus Curtius, & Capitaneus Bertholdus Puriensis, (qui duo milites Montefunianos ducebant) cum circiter mille & quingentis peditibus in montem Syluæ-pineæ, sub noctem venerunt. Cœnobiani Rhetigoij tantùm quatuor speculatores ad montem miserant, qui, niue & frigore absterriti, non ad cacumen ascenderant; sed inferiùs in stabulis proximis pernoctauerant.

Postera die Mercurij, XVII. Octobris, cùm iugum montis petere vellent; Brioni milites iam habuere obuios. Porrò Brionus, Curtium, & Bertholdum, ad custodiam montis, cum incolis Montefunianis reliquit: ipseque cum Ballione, & Crenzingero, atque octingentis selectis equitibus, & peditibus, in Vallem Rhetigoiam, versus Cœnobium Sancti Jacobi, descendit. Incolæ vix quadrantis horæ spatio antè ab exploratoribus suis admoniti fuere: cúmque iam ad

arma conclamaretur; hostes summa vi irruerunt, & obuios quosque, tam fœminas, & infantes, quàm viros trucidarunt. Cùm Cœnobiani, qui congregari quidem poterant (ædes enim sparsim dissitæ sunt) pauci numero essent, se trans amnem Langarum contulerunt, exspectantes auxilia proximorum Dauosianorum, & aliorum Rhetigoiorum; quæ auxilia, emissis nunciis, indesinenter sollicitata fuerant. Viginti septem è nostris hostes trucidarunt, aut combusserunt; qui plerique senes decrepiti, mulieres, aut infantes erant. Cæterùm Dauosiani mox aliqui, festinanti gradu adfuerunt; & inde etiam Cœnobiani animos resumpserunt. Austriaci, cùm Dauosianos vidissent, &, quòd versus montem iter tenerent, perspexissent: atque ab altera parte etiam, nempe, Saxio, tympanum audiuissent: veriti sunt vt sibi iter præcluderetur: proindeque lixæ & calones, mandato, vt confessi sunt, à Briono habito, ignem domibus subiecerunt, atque septuaginta quinq; ædes aut stabula combusserunt. Dauosiani, quorum ductores Joannes Sprecherus, frater meus, cũ filio Florio; Georgius Jenathius, Meinradus Buolius; & Andreas Sprecherus erant; & his etiam mixti Cœnobiani, hostem intrepidè (Jenathius, & Andreas Sprecherus, extra ordinem progressi fuerunt) adorti sunt, atque in fugam egerunt. Síque tunc Saxienses Rhetigoij in rupe quadam, vbi erant, permansissent; & hostibus iter, vti commodè facere potuissent, præclusissent; omnes ad vnum occidi potuissent: quia verò & ipsi in planitiem descenderunt; maior hostium pars euadere potuit. Nihilosecius ducenti & septem interfecti fuere: qui quidem plerique à Sprecheris, Ienatio, & Buolio; trucidati fuerunt: nam equis hi vecti fuerant: atque ipsi, equique, toti sanguine conspersi conspiciendi erant. Duo ex hostibus ante mortem diligenter examinati, affirmabant, Sibi constitutum fuisse, proxima die Veneris, se, cum illis qui ad inuasionem Engadinæ destinati erant, Dauosij coniungere, & obuios quosque iugulare. Multi ex hostibus vulnerati fuere, & in monte Sylua-pinea in fuga decem, puluere nitrato incenso, mortui, aut grauiter læsi. Dauosiani, & Rhetigoij, in hoc conflictu tres tantùm occubuere: nempe, Jacobus Heldt,

Dauo-

Dauoſianus; qui cum ab hoſte ſauciatus, capite inclinato ſederet, à Rhetigoio, qui ipſum, propter capillitium promiſſum, hoſtem eſſe putabat, lethaliter vulneratus fuit: itemque Cœnobiani duo, Georgius Fridt, & Chriſtianus Heelſtabius. Montefuniani magnam prædam ſtatim ab initio equis auexerunt. Noſtri hoſtes ad fines vſque inſecuti ſunt. Eadem nocte antecedenti, vt Auſtriaci Rhætorum vires vndique diſtraherent, ad Cliuum S. Lucij ingentem fragorem ſcloppettorum exonerationibus excitarant. Tigurini tota nocte in armis fuerunt, & frequentibus bombardarum diſploſionibus reſponderunt: attamen nemo læſus fuit.

Baldironus, cum Carolo Stredelio (qui Commiſſarius, & Curator exercitus generalis vocabatur) & Rodolpho Planta, iam ſe ad inuadendam Engadinam cum octo circiter mille viris præparauerat. Nempe, aderat Baldironi ipſius cohors; & cohors Hieronymi Auguſti zum Jungen, qui quadringentos Schuarzvaldianos ducebat. Chriſtophorus Pratius, Bonifaciuſq; Bertholdus, Tridētini; Ioſephus Ciurlettus, & Joannes Keiſerus; Jo. Jacobus Steigerus, Heluetius, cum libera cohorte ſua: Julius Cæſar Ceſchius Centurio maior erat. Ex Comitatu Tirolenſi quinque præcipui Quartariorum Capitanei aderant: quorum quiſque mille circiter ſelectos milites habebat. Maximilianus Hennlius, Vennones; Ferdinandus Baro Fuxus, inferiores Atheſinos; A Bendt, qui tamen alium in ſuum locum ſubmiſit, ſuperiores Ænanos: Chriſtophorus Jacobus à Liechtenſtein, inferiores Ænanos: & Lazarus Baro à Spaur, Sterzingenſes, ducebat. Veldnerus, Vicecapitaneus caſtri Ehrenberg, ſexcentis Ehrenbergenſibus, & Licatiis, pręfectus erat. Vallis-Monaſterienſes etiam Rhæti, iam Auſtriacorum imperio obedire coacti, cum ſua cohorte, cuius Capitaneus Iacobus Catockus erat, etiam contra Engadinam inferiorem militarunt. His omnibus ſexaginta ſeptem equites, ſatellites ipſius Principis Leopoldi, quorum Capitaneus Joannes Ludouicus Felſchius fuit, qui tamen non aderat, adiuncti erant: atque Baldironus aliquos dragones (ſunt moſchettarij equis vecti) habebat. Die Martis XXVI. Octobris, Hieronymus Auguſtus, cum ſuis, atque aſcitis aliquibus Tiro-

lensibus, ad pontem Martini aggreditur Engadinos: sed repellitur, duobus ex suis occisis, & aliquibus vulneratis: & ita Ænotrium reuertitur. Sed sequentibus diebus, vt Engadinos vbique distraherent, iterum impetum fecere: semper tamen ab hac parte repressi fuere: & vnus tantùm Engadinus in brachio læsus fuit. Ad Vallem ergo Samnonum Engadinorum conuersi, eam inuaserunt, aliquos incolas occiderunt, & primum pagum, Campaccium dictum, combusserunt, omniaque deprædati sunt. Per montem Valderam duæ cohortes versus Cernetium irrumpere conatæ, ab Engadinis ibidem repulsæ fuere. Eadem die Martis, Baldironus, totis viribus per Vallem Scarlam, fugatis Engadinorum custodiis, irruit: eodemque impetu Ænum superare tentauit. Sed frustrà. Sic etiam sequentibus diebus Mercurij, & Jouis, strenuè ab Engadinis pugnatum fuit. Nam Jouis die, hostium equitatus incredibili audacia Ænum fluuium tranare volebat: & pagum Pradellam, qui ad Scolienses pertinet, atque trans Ænum iacet, hostes combusserunt. Ex equitibus duo aquis submersi fuere: & tres equos Engadini nacti sunt. Porrò tota nocte hostes pontem super Ænum struere sategerunt. Atque Engadinis inferioribus iam auxilio quoque venerunt Engadini superiores, necnon die Veneris, in ipso pugnæ ardore, Bergunienses. Hac verò die, XXIX. Octobris, Austriaci pontem intra Scolium, & Fetanum, infra fontem acidularum, loco, quo Engadini minimè putabant, ex improuiso struxere. Tormentum vnum campestre Engadinorum diruptum crepuit. Tandem ergo post longam dimicationem, cùm Engadini vbique detinerentur, hostes Ænum superarunt, & obuios quosque cuiuscunque ætatis, & sexus, mactarunt. Capitaneo Antonio Violando, Engadino, culpæ & imperitiæ datum, quòd suaserit aliquem numerum hostium in superando Æno non impediendum, vt pòst impetu in eos facto in aquam agi possent; sed hostes deinde turmatim incedendo impediri non potuerunt. Aliquæ mulieres in cœmiterio Scolij cum viris diu se defenderunt: sed pleræque cum infantib. etiam occisæ fuerunt. Sentinenses, qui Scoliensibus auxilio venire volebant (nam alium transitum Æni custodiuerant) ab hostibus

hoſtibus intercepti,& ab equitatu quadraginta quinque eis interfecti fuere. Engadini plus minus octuaginta occubuerunt; ex hoſtibus plures. Nam illi ipſi Capitanei Auſtriaci poſtea Curiæ faſſi ſunt, ſupra centum, aut aquis,aut gladio periiſſe. Multi vulnerati; inter quoque Capitaneus Keiſerus,in crure,fuit. Dauoſiani, ductore Andrea Sprechero, Guardam in Engadinam vſque venerant: ſed iam Engadinos fugientes obuios habuerunt. Deliberatum; noctu hoſtes iterum in pago Fetano aggredi, vbi tantùm quatuor vexilla erant; multique ex Engadinis inferioribus libenter operam ſuam impendiſſent. Sed maior pars militis iam ſupra Vallemtaſnam ſe receperat. Unde Engadini aliqui ſuperiores, & Bergunienſes, ad Baldironum, vt à ſanguinis profuſione abſtineret,& regioni parceret,atque pacis conditiones proponeret, ſcripſerunt. Ita tota Engadina inferior hoſtibus ceſſit. Dauoſiani domum reuerſi,aggeribus tranſitus communiuerunt. Maior pars Engadinorum inferiorum, cum Engadinis ſuperioribus, ſe Zuzium contulerunt: vbi tum Dominicus Gulfinus,qui modò officio Commiſſariatus Clauennæ functus erat,ab aliquibus Engadinis inferioribus,fautoribus Plãtæ,captus fuit. Pater quinetiam ipſius Curiæ captiuus factus: & ambo ad Baldironum deducti fuere. Pater in carceribus mortuus eſt: filius ex Fortalitio S. Mariæ, fractis compedibus, anno M.DC.XXII. ſe liberauit. Miles Auſtriacus,eam Engadinæ inferioris particulam,quæ Vallitaſnæ,& Eremuſio,interiacet, totam deprædatus eſt. Una die ex tribus pagis,Sento,Scolio, & Ferano,mille & quadringentæ vaccæ extra regionem abductæ,& pleræque à Baldirono diuenditæ fuerunt. Jacobus Florinus,ſeptuagenarius, cum Baldironus Scolium ingrederetur, ſcloppettum contra ipſum diſploſiſſe dicebatur. Ipſe ſtatim interfectus fuit, & ipſius domus, duæque aliæ contiguæ,in pago ſuperiori, combuſtæ fuere. Sic etiam in pago inferiori milites quinque domus in ingreſſu incenderunt. Porrò iam quoque Dux Feriæ, vt deliberata exequeretur,die Veneris,XXIX. Octobris,ad ripam Mezolæ cum exercitu venit: aliqui milites etiam Samolicum appulerunt; qui Baptiſtam Triacham, Meſenſem, Proteſtantem ibi occiderunt.

Exercitus è diuersis legionibus conflatus erat. Nempe maior pars ex Joannis Braui legione: item Don Ludouici de Corduba: septem cohortes Don Roderici Pimentelli: septem, ex legione Siciliana: item Baronis à Vatteuilla, Joannis Medicæi, Comitis Joannis Serbelloni: & bona pars legionis Neapolitanæ Camilli del Monte, aderant. Hi pedites tamen omnes septem mille viros non excedebant. His duæ equitum alæ ex satellitio ipsius Ducis Feriæ, item turmæ Michaelis Aspurz, & Dauidis Onellij, adiunctæ erant. Denique, multi nobiles Hispani, nec non feudatarij Ducatus Mediolani, aduenerant; Marchio, inquam, Carauazzi, Philippus Spinola, Princeps Asculi, Marchio Vallis Fontanæ, Don Ferdinandus de Guevarra, Barnabas Barbò, Commissarius Ducatus Mediolani: Duces, Sfōdratus, & Gallius; Comites, Galleotus, Balbianus, Belgiojosus, Franciscus Bernhardinus, Marianus, aliique multi. Aderant etiam, Jacobus Robustellus, & alij aliqui Voltureni rebelles: nec non fratres duo, Jo. Antonius, & Joannes Baptista Buttintrochi; & Alouisius Francus, Plurienses. Eadem die Veneris, aliqui equites ferè Pizium vsque speculandi gratia venerunt. Clauennæ erat Colonellus Baptista à Salis, cum circiter trecentis Prægallis; & Capitaneus Ulysses à Salis, qui vix centum milites habebat. Præterea, ex Comitatu Clauennæ selecti aliqui, vti & protestantes quidam Voltureni aderant. Vallis-Rhenani, & Sexamnienses, diu noctuque vt auxilio venirent, vocabantur: sicuti alij quoque. Sed hi se excusabant, quòd à proscriptis Rhætis, & milite Heluetico Quinquepagicorum, qui Biltionæ erat, sibi timerent. Suprasaxenses etiam Cathedrales multoties vocati, ne pedem quidem mouerunt. Salicæi duo interim, qua possunt diligentia, transitus hostibus impedire conantur: & Ulysses in via regia aliquas arbores sterni curat. Die Sabbathi, xxv. Octobris, cùm opaca nebula esset, hostilis equitatus prope Pizium summo manè comparet. Rhæti vsque Pizium obuiam egressi, equitatum bis terve repellunt. Sed iam totus exercitus in acie dispositus sese sistit: atque ex Prægalliensibus, aliisque, nonnulli Pizij occiduntur. Quare ad valla, quæ infra oppidum Clauennam extru-

extructa erant, se conferunt. Ex peditatu hostium, præcipueque ex legione Serbelloni, nonnulli montem, Rhætos circumdaturi, petunt. Equitatus etiam, ab vtroque amnis Mairæ latere, instat. Incolæ Vallis S. Iacobi, qui versus pontem Liræ dispositi in custodiis erant, viso ingenti numero hostium, abeunt. Rhæti ergo, & ipsi, ne interciperentur, postquam strenuè aliquandiu pugnassent, recesserunt: & in recessu ab equitatu aliqui occisi fuere. Ex nostris circiter quinquaginta, inter quos viginti quatuor prægallienses, ceciderunt. In horum numero erant Capitaneus Joannes Corn, à Castelmuro; & Dieteganus, prætoris Guberti à Salis filius; item Jo. Jacobus Franckonus, Pesclauiensis; qui cum Catholicæ Religioni adhæreret, (nam Catholici se securos putabant; & proinde minùs ad pugnam properabāt) in oppido mansit: cumq; in ingressu interrogaretur, Quisnam esset; respondit, Se Catholicum Grisonem esse: qua voce, Grison, audita, statim interfectus fuit. Baptistam dell' Abundio, Caporalem de S. Joanne, Clauennensem; etsi Catholicus esset, cùm hastam in manu haberet, occidere. Huldricum Meierum, Germanum, septuagenarium, Catholicum etiam, trucidarunt. Gregorius Mingardinus, Sondriensis, veteranus & bonus miles, ex vulneribus decessit. Bartholomæus Casa-noua, Salamoninus dictus, senex decrepitus, diu milites, proiiciendo lapides, detinuit; & ferè saxum in caput Ducis Feriæ proiecisse dicebatur, tandem crudeliter mactatus fuit. Paulum Pestalozium, sexagenarium, cuius etiam aliàs mentionem fecimus, decumbentem, & mente captum, in domo sua trucidarunt. Aliqui etiam capti: inter quos prætores duo, Gubertus à Salis, & Jeremias Stampa, & aliqui Voltureni protestantes fuere; qui, lytro persoluto, mox dimissi fuere. Solus Joannes Negrinus, Soliensis, quòd ex Assessoribus Tribunalis Tusciensis fuisset, diu Mediolani detentus fuit. Ex hostibus, vti illi affirmant, vnus tantùm Hispanus ab alio Hispano milite fortuitò Pizij occisus fuit: aliqui vulnerati, ex quibus Ferdinādus de Gueuarra, Hispanus, fuit. Sub Iacobo Robustello equus ad Pizium interfectus fuit: sed Dux Feriæ statim alium ipsi donauit, qui tamen, vti & alter quem Hierony-

mus Pimentellus ipsi Tirani dono dederat, in stabulo malà sorte perierunt. Hostes, ductore Jo. Antonio Buttintrocho, Rhætos Rouenum vsque insecuti sunt; & mulieres fugientes omni mundo ibi spoliarunt. Ædes, & bona protestantium Clauennæ per triduum prædæ exposita fuere. Incolæ Catholici, cum Duce Feriæ ad templum S. Laurentij properantes, *Te Deum laudamus*, cantarunt. Die sequenti, Burgundi Vatteuillani, & alij, prægalliam ingressi, Castesegniam, Bondum, Promontoriumque deprædati sunt, atque igni corruperunt. Atque cum his hostibus iam quoque ex Comitatu Clauennæ, & Ronchallienses nonnulli rustici, (ex quibus vnum Jacobus Maphæus, dictus Balera, signifer prægallus, Castasegnæ trucidauit) se iunxerunt. Tormenta maiora bellica, qualia quinque promontorij erant, vnum confregerunt, reliqua Mediolanum abduxerunt: quæ deinde, cùm Rhætorum Legati ibi essent, mẽse Januario M.DC.XXII. in palatium Principis, bubus laureatis deducta fuere. Prægallienses superiores, necnon Solienses, pacem supplices, litteris ad Ducem Feriæ, & Serbellonum, exaratis, expetierant: sed Grauedonam versus, sequenti die, cum maiori parte equitatus, & Hispanis concesserat. Porrò summa rerum, & Gubernatio Comitatus Clauennæ, Joanni Comiti Serbelloni demandata fuit: qui prægallis securitatem, ea conditione, promisit, vt ab exercitio Religionis protestantis, donec responsum à Duce Feriæ habere posset, abstinerent. Plinius Parauicinus, Concionator Protestantium Vicosuprani, in templo ibidem concionatus fuerat. Hunc ergò Serbellonus, incendium minitans, Vicosupranensibus extorsit, atque Mediolanum in Inquisitionem deduci curauit. Grisæi, ciuitas Curiensis, & aliæ Communitates Cathedrales, ad Ducem Feriæ, suspensionem armorũ pacemq; petentes, miserunt. Deputati Decem Jurisdictionum Fœderis, cùm se ab omnibus deseri viderent, ipsi quoque ad Ducem Feriæ Mediolanum scripsere, innuentes, Pacis conditiones honestas se non detrectare velle. Dux verò Feriæ, ad duo fœdera de induciis seruandis, &, vt legatos mitterent, rescripsit; atque ad Decem Jurisdictionum quoque Fœdus litteras dedit: quibus, inter alia, se priùs Archiducem

cem Leopoldum hac de re certiorem facere velle, significauit. Carolus verò Stredelius, cùm hæc in Engadina resciret; mirum in modum excanduit, exclamans, Octo Jurisdictiones non ampliùs fœdera, nec cum domu Austriaca, nec cum aliis pacturas; sed subditos abiectos futuros. Engadini superiores, & Bergunienses, ad Baldironum, & Stredelium, qui Scolij castrametati erant, Legatos suos ablegarunt vt de pace tractarent: cumque non statim ad omnia petita consentire vellent; Baldironus, conuocatis tympanistis suis, eis præcepit, vt classico dato, milites ad iter in Engadinam superiorem congregarent. Die ergo Mercurij, III. Nouembris, ad sequentia pacta consenserunt: Ut primò arma deponerent, traderentque. Bergunienses sua templo incluserunt: Engadini superiores sua Zernetium deportarunt: quæ omnia postea Oenipontum deducta fuerunt. Solis nobilibus, vt gladium gestare possent, concessum fuit. Secundò, vt cum Engadinis inferioribus, & Octo Jurisdictionibus nullam confœderationem posthac haberent, nullaque auxilia eis ferrent: sed transitu, omnique alia re, qua possunt, Austriacos adiuuarent, vt dicti inobedientes in ordinem redigantur. Atque de his obseruandis obsides dare coacti fuerunt. Cæterùm his Legatis Baldironus instructionem suam exhibuit: quam Balthasar Planta, Zuziensis, ad Comitia Curiam detulit. Huius verò tenor erat; Quòd Archidux Leopoldus, inobedientiam, spolia, ac diuersa alia crimina, in subditis non toleranda, quorum Engadini inferiores infra Vallemtasnam, & Octo Jurisdictiones in Rhetigoia rei sint, nec ab iis desistere velint, perpendens; proinde Alouisio Baldirono, & Carolo Stredelio, Consiliariis suis, mandata dederit, vt se ad castrum Taraspum conferrent, & Engadinos ad obedientiam debitam redigerent: Erhardus etiam Brionus se ad castrum Castrense conferens, ibidem idem perficeret. Cum reliquo autem populo superioris Inalpinæ Rhætiæ; si modò cum his rebellibus se non misceant; se velle & desiderare fœdus hæreditarium perpetuum obseruare, & nullo modo eos grauare. Datum Oeniponti, die XX. Octobris, anno M.DC.XXI. His visis, iam plerique Rhetigoiis & Engadinis

minùs amici, occaſionem apertè ab eis ſecedendi quæſiuerunt, aſſerentes, Expeditionem hanc Auſtriacam ſolùm ad ſeditioſos hoſce coercendos inſtitutam eſſe. Ciuitas Curienſis Doctorem Zachariam Belinum, & Jo. Burgauerum, die VI. Nouembris; aliæque etiam Communitates ſuos Deputatos, Zernetium in Engadinam, ad Baldironum, & Stredelium, atque Rodolphum Plantam, delegarunt. Dauoſiani, cùm iam hoſtem ſibi imminere viderent, atque milites illi, qui ex aliquibus Communitatibus Octo Juriſdictionum ibi erant, paulatim dilaberentur, primò Andream Sprecherum in Engadinam miſerunt, vt apud Plantam expiſcarentur, ſi quæ pacis honeſtæ leges obtineri poſſent. Hic referebat, Quoad Religionem, eos nulla mandata habere, hancque liberam futuram: nec priuilegiis Dauoſianorum quicquam derogatum iri: ſed tantùm tranſitum, & vt arma ponerent, poſtulari. Dehinc, ex aliis quoque Octo Juriſdictionum Communitatibus aliqui in Engadinam miſſi fuere. Oratores quinetiam Fœderis Decem Juriſdictionum, qui Curiæ congregati erant, Commiſſarium Andream Sprecherum, ſeniorem, fratrem meum, & Capitaneum Dieteganum ab Hartmannis, eò deputarunt: atque à duobus Fœderibus obtinuerunt, vt Miniſtrales Bartholomæum Cazinum, & Laurentium Viezellium, tanquam interceſſores, mitterent. Salomon Hirzelius, & Henricus Bremius, Tigurinæ Reipublicæ Legati, die Veneris, V. Nouembris, coram Senatu Rhætico comparuere: atque ſortem iniquam Rhætorum deplorauerunt: eóſque ad fortitudinem, & concordiam exhortati, legionem Tigurinam, ſi modò Rhæti etiam vnanimiter vires ſuas coniungere velint, in Rhætia quoque permanſuram, eamque pro viribus defenſuram eſſe, affirmarunt. Oratores duorum Fœderum, qui pauci aderant (Griſæi tantùm tres erant) reſpõderunt, Quantum vota ſuamet attinet, deſiderare ſe, vt maneant: ſed potiora Communitatum vota hoc breui temporis ſpatio haberi non poſſe. Decem Juriſdictionum verò Fœdus, vt manerent, eos orauit. Die Dominica, VII. Nouembris, Huldricus à Ramſchvag, & Capitaneus Franciſcus Franzinus, tympaniſtam cum litteris ad Maiæuillanos miſere, tranſi-

transitum pro milite in Rhetigoiam mittendo petentes. Maiævillani duos Deputatos ad fontem S. Catharinæ ad eos miserunt; sed transitum concedere non ausi sunt. Rhetigoij aliqui in Dominium Maiævillanum venerunt. Legio autem Tigurina sub vesperam ex Dominio Maiævillano Ragazium, & inde Tigurum, profecta est. Curienses, qui vexillum vnum Falisci in dominio Maiævillano per aliquot dies iam habuerant, iam quoque illud domum reuocarunt. Rhetigoij soli, cum Maiæuillanis, transitum custodierunt. Porrò iam deputati Octo Jurisdictionum ex Engadina reuersi sunt. Dauosianos, sicuti quoque priùs, magnis promissis Austriaci onerarunt, quoad libertatem Ecclesiasticam, & Politicam. Cæteris quoque gratiam & veniam, Religionisque libertatem, cùm nulla super his mandata habeant, polliciti sunt: qui proin obsides Austriacis mittere coacti sunt. Baldironus tibicinem in Montafunum ad Brionum misit, Ne, cùm iam cum Rhetigoiis transactum sit, porrò aliquid tentaret. Die Jouis, XI. Nouembris, exercitus Austriacus Dauosium venit: ibique nullas alias ædes, quàm Colonelli Joannis Guleri, meásque, spoliauit. Porrò Baldironus à promissis iam tum recessit, fingens, se nesciuisse, Dauosianos in Valle Sylua-pinea Austriacum militem profligasse. Iis proin dies Sabbathi, XIII. Nouembris, indictus, quo ad Cœnobium S. Jacobi in Rhetigoia comparerent, & omnia arma sua ad castrum Castrense deferrent. Unde postmodum illa, vti & arma Rhetigoiorum, ad castrum Gutenberg delata fuerunt. Omnia quoque signa militaria tradere coacti sunt. Atque ipsi ad locum destinatum cùm venissent in genua procidere, & veniam deprecari, iussi sunt: prætereaque in hanc sententiam vt iurarent, à Stredelio prælectum fuit: Posthac in perpetuum contra Serenissimum Archiducem Leopoldum, atque vniuersam domum Austriacam, se nunquam quicquam tentaturos, & acturos: nullis fœderib. vllo modo interuenturos: (exempla proin confœderationis Gallicæ, & Helueticæ, depromere & tradere coacti sunt) tanquam hæreditarios, naturales, & iuratos subditos, se fideles obedientes futuros: denique omne id, quod sibi imponatur, & præcipiatur, se ex-

quiſita diligentia executuros. Joannes Sprecherus, frater meus, nomine populi verba faciens, ipſos iuraturos reſpondit; Sed, quod Religionem, & conſcientiæ libertatem attinet, populum minimè iurare velle. Baldironus, qui inermem hunc populum milite armato circumdederat, iracundè, Se de Religione nulla mandata habere, neque ſe qualis ipſorum religio ſit, curare, replicauit. Quare non Dauoſiani ſolùm; ſed deinceps reliquæ etiam Juriſdictiones iuramentum præſtiterunt. Scanauicani (his etiam arma ablata fuere) Coruantij, & Aluonouani, quibus arma ſua relicta, à flexione genuum exempti fuerunt. Archidux deinde cuilibet Juriſdictioni litteras, vt vocant, tutelares, quibus perſonas, vxores, liberos, bonaque in ſuam tutelam ſuſcipiebat, dedit. Die XIII. Nouembris, Brionus, cum ſuo equitatu, & quatuor cohortibus peditum, ex Monteſuno, per Vallem Rhetigoiam in Dominium Maiævillanum aduenit: vbi tum incolæ dicti Dominij arma ſua in caſtrum Maiævillæ, quod Auſtriaci ſtatim communiuerũt, deferre coacti ſunt. Cùm Rhetigoij Juriſdictionis Acerianæ iuramentum præſtarent; Baldironus iam benè potus, Chriſtianum Vincklerum, qui capillos longos geſtabat, conſpicatus, forfice arrepta, cirros ei abſcidit: atque ipſum interrogauit, Annon Venetis etiam militauerit? Ipſe veritatem affirmando confeſſus eſt. Iterum Baldironus, Annon Bormij quoque, & ad Cliuum S. Lucij fuerit, rogitauit. Ipſe, Se iuſſu Magiſtratus ſui etiam ibi arma tuliſſe affirmauit, & Miniſtralem Martinum Michaëlem ſibi mandata dediſſe dixit. Baculo ergo capiti impacto, vt ſanguis efflueret, detentus fuit. Miniſtralem verò ſtatim carnifici in manus dedit: quod & ipſe, ſe Bormium profectum fuiſſe, confeſſus eſſet. Denudati ipſi humeri, vt iam nihil aliud niſi gladij ictum exſpectaret. Acceſſit presbyter eum rogans, Num peccata confiteri vellet. Ego verò, reſpondit, peccata mea Omnipotenti, & Miſericordi Deo confiteor. Presbyter ad Baldironum conuerſus, Hic, inquit, hæreticus eſt. Miniſtralis autem orabat, vt ſibi permitterent tantum ſpatij, quo orationem Dominicam recitare poſſet. Cumque iam verba, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo ſic etiam in terra, pronuntiaret, ex mili-

ex militibus vnus exclamauit, Non Dei voluntas, ſed noſtra, fiat oportet. Ad hanc execrabilem blaſphemiam cæteri riſere. Præfectus, Joannes Victor Trauerſius, ex militum turba prorupit, atque ad Baldironum conuerſus, vt his hominibus parceret, rogauit: Se, Miniſtralem hominem bonum eſſe, nouiſſe; nec etiam de Vinckl ero aliquid aliud inaudiſſe, aſſerens. Tandem ergo poſt longam ſupplicationem dimiſſi fuere. Die XIX. Nouembris, Baldironus cum exercitu in Quatuor-pagos venit: & deinde, die XXI. Nouembris, Maiævillam appulit.

Die autem prima Nouembris, Blaſius Alexander, Jacobus Antonius Vulpius, Georgius Jenatius, Bonauentura Toutſchius, Jacobus Joderus, cum filio ſuo Petro, & alijs, per montem Vepham (nunc Crucicola vocatur) in Glaronenſem ditionem ire volebant: ſed in niuem, & aduerſam tempeſtatem inciderunt. Ruſtici etiam Ruuinienſes, & Panixienſes, eos inſecuti ſunt. Illi primò ſe ſtrenuè defenderunt: ſed Blaſius equum, qui Auſtriacis in Engadina ereptus, & niui minimè aſſuetus erat, libenter ſecum abduxiſſet: & ita, in ditione Glaronenſi, ab altera montis parte, à ruſticis captus, & in Fœdus Griſæum retractus; Bonauentura verò Toutſchius ab iiſdem ruſticis cùm euadere vellet, præcipiti itinere, interfectus fuiſſe dicitur. Baldironus, per aliquos equites, & dragones ſuos, Blaſium Maiævillam ad ſe deduci curauit. Ubi Rodolphus Planta eum allocutus, latronem ipſum vocaſſe; alter verò Plantam Proditorem patriæ appellaſſe, & ad omnia conſtanti, & intrepido animo reſpondiſſe, dicitur. Gutenbergum deinde ductus fuit: vbi ipſi propter frigus, quod in monte paſſus fuerat, ſeptem digiti pedum abſciſſi fuerunt. Inde Oenipontum deductus, die Veneris, XXIII. Decembris, anno M. DC. XXII. amputata priùs dextera, capite truncatus fuit. Accuſabatur publicè coram populo; Quòd templa ſpoliauerit, & Pompeium Plantam propria manu interfecerit. Ipſe verò vtrumque pernegauit: &, precibus ad Deum fuſis, teſtatus eſt, Se nihil, niſi Dei gloriam, & patriæ ſuæ libertatem, aſſerere voluiſſe. Catholici auditores non ſatis illius conſtantiam, & in morte adeunda alacritatem, prædicare potuerunt.

Guefferius, Legatus Gallicus, Vallenſtadium vſq; etiam peruenit: ſpe hac inductus, Auſtriacos nõ extra fines Rhetigoiæ exercitum producturos: Sed, cùm ſpe ſua ſe fruſtratum conſpexiſſet; mox inde Lucernam redijt. Libenter ipſe cum duobus Fœderibus tractaſſet, vt ſe Auſtriacis opponerent, ſpe certa executionis Tractatus Madrillienſis denuo iniecta. Verùm nemo ipſi aurem præbere audebat. Heluetij quoque, Legatis ſuis, Lucernam, ad Nuncium Apoſtolicum, atque ad Montholonum miſſis, inſtitere, vt præcipuè Nuncius authoritate ſua perficeret, ne Auſtriaci vlteriùs in Rhætia progrederentur. Montholonus, iam huic rei proſpectum eſſe, dicebat: cumque Jo. Rodolphus Rhonius, Conſul Tigurinus, ipſi inter alia diceret, Hiſpanos fœdus cum duobus fœderibus tractaturos; Montholonus hoc futurum pernegabat. Ita certi ſibi Gallici Legati in re incerta videbantur. Die Lunæ, XXII. Nouembris, Baldironus, Stredelius, & Planta, cum maiori parte exercitus, relicto Briono cum ſuis ad cuſtodiam Maiævillani, & aliis in Quatuorpagis, Curiam ciuitatem ingreſſi ſunt, ſtatimque cuſtodiam portarum ciuitatis ſibi vendicarunt. Stredelius vnam tantùm noctem Curiæ manſit: poſtea ad Archiducem Leopoldum profectus eſt. Porrò iam Tigurum per nuncium litteræ à Baldirono, & Stredelio, die XIX. Nouembris, ex pago Cizerio ad Heluetios perſcriptæ, allatæ fuere; quibus Rhætos circiter quinquaginta ſibi, vigore fœderis hæreditarij; conſignari petierunt, vt contra eos tanquam capita ſeditionis procedere poſſent. Præterea Legatus Auſtriacus, die XXII. Nouembris, Tigurum etiam venit, vt Archiducis expeditionem excuſaret: quod ipſum poſtea Doctori Smidelino, ad Comitia Badenſia proin delegato quoque in mandatis datum fuit. Multi ex Rhetigoiis poſtea ſub Capitaneo Ulyſſe à Salis; atque Engadini, ſub Antonio Violando, ad Comitem Erneſtum Mansfeldiæ in Palatinatum, profecti ſunt. In Briſgoia & Alſatia aliqui capti, & ad opera publica condemnati, aliqui interfecti. Chriſtianus Simon Ruotſchius, Rhetigoius, in arbore ſuſpenſus fuit. Capitaneus Jacobus Ruinella, menſe Januario ſequenti, etiam in Briſgoia captus; & Veldcurium, indeque deinceps

ceps Oenipontum deductus, & tandem mense Julio, ex permutatione cum Joanne Jacobo Columna, Barone à Fels, qui XXIV. Aprilis, in Rhetigoia captus fuerat, dimissus fuit. Sic quoque deinceps Rhetigoij non pauci, pertæsi tyrannidis Austriaci militis, per cacumina montium (nam aditus omnes ab Austriacis, ne quis ex Rhætia sine ipsorum venia exire posset, obseruabantur) euasere, & sub Capitaneis, Volfgango à Juualtis, Joanne Fauschio, & Tobia Finero, Georgio Friderico, Marchioni Badensi, militarunt. Porrò, quòd Baldironus Curiæ cum exercitu subsisteret; Episcopus, & Collegium Curiense, suis rebus promouendis opportunum tempus se nactos arbitrati, Tuscienses, Montanos, & Cepinenses, Grisæos, ad obedientiam retrahere constituerunt: & verò etiam, Joanne Zollero præposito Collegij Curiensis; & Jo. Paulo Belino, aulæ præfecto, actoribus, eos ad iurandam fidelitatem, insertis multis nouis iuribus pro Episcopatu facientibus, adegerunt. Baldironus decem dies Curiæ commoratus, Ciurlettum & Keiserum, cum septingentis militibus, ibidem in præsidio reliquit; Maiævillæ, Brionus, Malantio, cohors Crenzingeri, quæ posteà Capitaneo Gabrieli Kleinhans data fuit; Jeninsio, Erhenbergenses; Ballionus, cum cohorte sua Salisburgiana Jurisdictioni Acerianæ: Joannes Carolus Reitnerus, cum Landeckiana, Jurisdictioni Castrensi: denique Bonifacius Bertholdus, Conuallio *(Küblis)* in Jurisdictione Cœnobiana in Rhetigoia, præsidio dati fuerunt. Satellites Archiducis in Alsatiam profecti sunt. Baldironus, cum reliquo exercitu, in Engadinam redijt. Pleræque cohortes popularium ex Comitatu Tirolensi, domum remissæ fuerunt. Cùm Baldironus, & Planta, Bergunium venissent; populum ibidem, sub prætextu quòd Engadinis inferioribus auxilio fuissent, Baldironus extra pagum vocauit, atque ad præstandum iuramentum adegit, quòd nunquam contra Domum Austriacam arma gestare, nec cum quoquam alio fœdera pangere, nec Magistratus suos sine licentia Archiducis Leopoldi constituere, aut immutare vellent. Consimile iuramentum deinceps, nolentes volentes, quoque præstitere per suos delegatos Engadini superiores, & Pesclauienses. Cæ-

terùm, dum Bergunienses in prato iurarunt, milites in pago pro libitu diuagati sunt. Quatuor etiam Bergunienses, qui Plantæ aduersati erant, secum in Engadinam deduxerunt; quos postea, persoluta aliqua pecunia, liberos iterum dimiserunt. Cùm per montem Albulam exercitus in Engadinam proficisceretur, moles niuea conglomerata ex alto decidit, parumque abfuit, quin Baldironum, & Plantam, oppressisset. Octo milites sub ea mortui sunt. Zuzij, in Engadina superiori, cohors Hieronymi Augusti zum Jungen relinquitur: Planta Cernezij manet: Baldironus autem Scolium, vbi vxorem suam reliquerat, repetit, ibíque templum Capuccinis Monachis tradit. Paulò post etiam eò venerunt Commissarij Austriaci, Doctor Matthias Burcklennerus, Ferdinandus Fuegerus, & Doctor N. Bernhardus, qui bona absentium indice descripserunt, eosque citarunt. Rodolphus Planta iam, ceu feudatarius Principis, Engadinæ inferiori mandata dedit. Concionatores omnes ministerio pulsi: duoque ex iis, Andreas Stupanus, Ardetiensis, qui semper Plantæ partes defenderat; & Joannes Episcopus Samnunensis, Zuzium captiui deducti fuere: vbi tandem ex carceribus euasere. Julius Cæsar Ceschius fortalitium quoddam propè Pontem altum extruendum designauit, vbi Engadini inferiores quotidie operari coacti fuerunt. Ballionus quoque Rhetigoios ad construendos aggeres propè castrum Fragstein adegit.

Porrò duo fœdera, Grisæum, & Cathedrale, atque Dominium Maiævillanũ; necnon Episcopus Curiensis (qui iam in fœderibus pangendis primum membrum esse volebat: atque Senatui duorum fœderum, Ioannes Zollerus, Episcopi Vicarius, & Ioannes Paulus Belinus à Bellfort, aulæ præfectus, interueniebant) suos Legatos Mediolanum miserunt, vt cum Duce Feriæ transigerent. Venêre etiam eò Legati Heluetiorum, vt pro Rhætis se interponerent, & discessionem ab armis, atque restitutionem occupatorum, sollicitarent. Dux Feriæ honorificè Heluetios excepit, tractauítque, & torquibus aureis donauit: quos tamen quatuor Ciuitatum Protestantium Legati accipere recusarunt. Cæterùm Dux, se cum Rhætis ad bona pacta descendere velle,

nec

nec alia interpositione opus esse, dixit. Præterea iidem Heluetij, eodem quoque tempore, ad Archiducem Leopoldum, vt idem obtinerent, in Alsatiam Legatos suos miserunt: quibus, inter alia, responsum fuit: Non à se solùm Archiduce, sed ab Imperatore quoque, vti maximo natu, & reliqua augustissima domo Austriaca, super his deliberandum fore. Atque aliqui ex his Heluetiis Legatis, instinctu Archiducis Leopoldi, ad Ernestum Comitem Mansfeldiæ, qui Luterburgi erat, missi fuerunt, qui eum exhortarentur, ne in Alsatiam veniret: Heluetiam enim magnam victus copiam ex Alsatia petere. Ipse humaniter Legatos tractauit, &, inter alia, respondit, Se militare Friderico, Regi Bohemiæ, cuius iussa sequi teneatur. Interim exprobrasse eis dicitur, Quòd sibi à domo Austriaca brachium alterum (ita Rhætiam vocabat) auelli permisissent. Mediolanum quoque venerunt Volturenensium rebellium deputati, atque scriptum impressum, cuius author Scipio Carrara, Iesuita Bergomensis, fuisse ferebatur, publicarunt: cui titulus præfixus: Supplicationes Cleri, & populi Voltureñēsis, ad Summum Pontificem, ad Regem Catholicum, & ad Regem Christianissimum, &c. Mendaciorum, calumniarum, & conuitiorum farraginem iure dixeris. Nuncio Apostolico ipsimet Scapio, cauillosè ad nomen Scapij alludentes, non pepercerunt: atque Pontificem, vt ipsum, tanquam hæreticorum fautorem, remoueret, aliumque sufficeret, orarunt. In Gallica supplicatione, inter alia, Legato Guefferio, quòd hæreticis fauisset, & tanta pro eis fecisset, remunerationis ergò, hæreticos istos mortem fuisse interminatos, qui proin se in cadauerum conditorium, in templo Cathedrali Curiæ coactus fuerit abscondere, scribunt: Adduntque, eosdem præterea, ædes, vbi habitabat, comburere voluisse: iamque stabulum ab eis incensum fuisse. Quæ omnia falsissima sunt commenta. Prodiit etiam antea, authore Francisco Ballarino, Comense, Archipresbytero Lucarnensi, historia; qua ipse rebellionem Volturenensium, variis astutis calumniis, & mendaciis, defendere sategit. Pontifex ipse, cùm calumniosa Volturenensium scripta examinari curasset, ea legi prohibuit. Rhætus deinde quidam supplicationem Voltu-

renensium, ad regem Christianissimum missam, egregiè confutauit, libello impresso, cui titulus: Solida & necessaria confutatio argumentorum, quibus sceleratissimi parricidæ Rhætorum Prouinciæ Vallistellinæ non modò scelerata sua immania palliare satagunt; sed Reges etiam, & Principes, vt patrocinium sui suscipiant, permouere volunt ausu indignissimo, & planè nefando: vindicandæ veritatis & fidelis admonitionis ergo, in lucem emissa. Cùm itaque Legati Rhætorum à Duce Feriæ restitutionem occupatorum petiissent, respondit, Vallemtellinam propter inconstantiam, iniustitiam & periuria Rhætorum, se (pectori, & insigni crucis, quod tanquam eques gestabat, manu admota, iurans) restituere non posse. Legati hac re commoti, se domum redire velle dicebant. Dux verò Feriæ, pacem, an bellum malint, nihil referre: nam militem, qui Rhætiam inuadat, & ferro igneque vastet, paratum esse, regerebat. Archidux Leopoldus Mediolanum & ipse scribens, vt fœdus Cathedrale, vtpote sibi, ratione veterum conuentionum deuinctum, nihil, inconsultis suis Legatis, tractare posset, poposcit. Legati autem erant, Carolus Stredelius, & Alexander Vattielius, Procurator Archiducis Mediolani ordinarius. Tandem Dux, vti mediator inter Rhætos, & Volturenenses, ac Bormienses, cõtrouersiam omnem sic finiuit: Ut Rhæti omni suo iuri, prætensioni, ac titulo in, & super Volturena, & Comitatu Bormij, in perpetuum renunciarent, &, compensationis ergo, à dictis Volturenis & Bormiensibus viginti quinque mille aureos annuatim reciperent, pro quibus Cameram Mediolanensem, Regem nempe ipsum Hispaniæ, sponsorem constituit: cæterùm commercia libera essent: exules protestantes Voltureni duobus mensibus, sed distinctis vicibus, quouis anno, in Volturena manere possent: hac conditione duplici adiecta, vt nomen suum apud consules profiteantur, prætereaque intra sexennium bona sua in Volturena diuendant: Si quæ ciuilis controsia inter Rhætos, exules protestantes Voltureno, & habitatores ipsos Vallistellinæ, nunc in pendenti sit, aut intra annum fortè nascatur; Archidux Leopoldus in Volturenam vnum ex suis, qui iustitiam administret, mitteret: lites

verò

verò quæ, inter Rhætos, & Voltureenos, cum tempore nasci possent, constituto ab vtraque parte arbitro vno, & tertio ab Archiduce adiuncto, ex æquo & bono deciderentur. Octo Jurisdictionum, Engadinæ inferioris, & Vallis-Monasterij, nulla tum mentio facta: cùm tamen æquè ac aliæ Communitates partem suam in Volturena, Bormio, ac Comitatu Clauennæ habuerint.

Ferebatur, Archiducem eam partem sibi pro expensis suis militaribus vendicare constituisse. Secreta insuper transactio inter Ducem Feriæ, Archiducales, & Voltureenos ac Bormienses, facta etiam fuit: atque Volturenis, inter alia, permissum esse, vt cum Cantonibus Heluetiis Catholicis fœdus inire possent, dictum fuit. Porrò renuntiationi subscripsere Dux Feriæ, & ex eius mandato Marcus Antonius Platonus, Regius Ducatus Mediolani Secretarius: Carolus Stredelius, & Alexander Vattielius, vti Procuratores Archiducis Leopoldi: Joannes Flugius de Aspermonte, vti Legatus Joannis, Episcopi Curiensis: ex duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano; Jo. Simeon Florinus, Præses Fœderis Grisæi; Joannes Berchterus, Ministralis Disertinensis; Lucius à Monte, Ministralis Leguntinus; Caspar Schmidt à Grueneck: pro Foucanis, Caspar à Cabalzaro; pro Laaxiensibus, Vurtianis, & Suprasaxensibus, Bartholomæus Planta, Rhætij Dominus: pro Rhætiensibus, Flemianis, & Alto-Trinianis, Georgius de Georgiis: pro Vallis-Rhenanis, & Sexamniensibus, Caspar à Schauenstein: pro Tusciensibus, Montanis, Stussauia, & Cepina, Jo. Antonius Gioerius: pro tota Valle Misauciensi, Joachimus à Cabalzaro, Cancellarius Fœderis Grisæi subscripsit. Gregorius Gugelberg à Moos, Consul Curiensis, & Georgius Gambserus, pro ciuitate Curiensi: Theodosius de Præpositis, pro Valle Prægalliensi: Fortunatus à Juualta, pro Furstenouianis, & Ortensteinianis: Lucius Scarpatetus, pro Suprasaxensibus Cathedralibus: Volfgangus à Juualta, pro Engadina superiori: Ambrosius de Caduſch, pro Berguniensibus, & Vatianis superioribus: Christianus Jos, pro Quatuorpagicis: Ioannes Antonius Andreoscia, pro Pesclauiensibus: Albertus Capellus, pro Biuio, & Auersa: Antonius

Gugelberg à Moos, pro Dominio Maiævillano: Lucius à Capaulo, Cancellarius Fœderis Cathedralis, ſubſcripſit. Ex Volturenis ſubſcripſerunt, Doctor Franciſcus Venoſta, Doctor Jacobus Venoſta, Abundius Taurellus, pro Tertiario ſuperiori: Actius Beſta, pro Tilio: Joannes Guicciardus, Jo. Baptiſta Schenardus, & Doctor Laurentius Paribellus, pro medio Tertiario: Jacobus Malaguzinus, & Franciſcus Muſſius, pro Squadra Morbennij: & Joannes Maria Parauicinus, pro Squadra Trahonæ: pro Bormienſibus, Presbyter Caſpar Maſcharonus, & Doctor Balthaſar Caſolarius. Actum Mediolani, in palatio Ducali, die XV. Januarij, anno M. DC. XXII.

Cum Duce deinde Feriæ, eodem die, & anno, nomine Regis Hiſpaniæ, fœdus perpetuum, in politicis, iiſdem ferè conditionibus, prout antea cum Griſæis concluſum erat, ſanxere. In ſpiritualibus autem, & Eccleſiaſticis, quorum in primo tractatu cum Griſæis anno præterito, quoad Rhætiam confœderatam, nulla facta erat mentio, Dux Feriæ, nunc ſuo modo omnia ordinans, vt Religio, nempe Catholica, vbique in tota Rhætia liberè exerceri, omnium Ordinum Sacerdotes habitare, & Monaſteria, atque Collegia ædificare, & inſtituere poſſent: omnes redditus, qui Monaſteriis, Eccleſiis, & Oratoriis de iure debentur, eis penderentur, omnes Apoſtatæ expellerentur: denique Decreta Concilij Tridentini, Bulla in Cœna Domini, & ſtylus Gregorianus apud Catholicos obſeruarentur, & decreta contraria à Rhætis publicata vt tollerentur, obtinuit. Comitatum Clauennæ iterum ſe reſtituere velle, & quidem primò, in priſtino ſtatu vt ante fuerat, pollicitus erat. Superuenerunt deinde Doctor Gaudentius Morus, & Georgius Peſtalozius, Clauennenſium deputati, qui obtinuerunt, vt exercitium Religionis Proteſtantium, Comitatu Clauennæ excluderetur, & vt Proteſtantes, non aliter, quàm per duos menſes in anno ibi habitare poſſent. Præſidium Hiſpanicum ad ripam Mezolæ per annum permanere debebat, donec nempe aggeres ad Saxum Corberium in oris Vallistellinæ extructi eſſent.

Adhæc tunc quoque, interpoſitore Duce Feriæ, tranſa-

ctio

ctio inter Commiſſarios Archiducales, & Rhætorum duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani deputatos, facta fuit. Atque, præter nominatos Legatos Rhætos, vt cum Auſtriacis Commiſſariis tractarent, Mediolanum etiam deputati fuerunt Doctores, Jacobus Schmidt à Gruëneck, Caſpar Molina, Zacharias Belinus à Belforti (qui tamen eò non eſt profectus) & Jacobus Albertinus. Porrò in capitulatione iſta prærogatiuæ Religionis Catholicæ eædem ferè, quæ in articulis Mediolanenſibus allatæ ſunt, repetuntur. Præterea, Auſtriaci, Epiſcopatus Curienſis Aduocatiam ſibi vendicant. Decretum quoque, vt in Epiſcopum quiuis, etſi Rhætus non ſit (legibus antè cautum erat, vt nonniſi Cathedrali Rhæto, ad hoc faſtigium aditus pateret) modò Germanus natione, & dignus Epiſcopatu, & à Canonicis ritè electus, atq; à Pontifice confirmatus ſit, nominari poſſet: atq; controuerſiæ inter Epiſcopatum, & Cathedrales, alioſque, vbi Epiſcopus prætendere poſſit, ſpatio biennij, iudicibus hinc inde electis, terminarentur. Adhæc conſtitutum, vt duo Fœdera, & Dominium Maiævillæ, omni confœderationi, quæ ipſis cum Engadinis inferioribus, Vallis-Monaſterienſibus, & Octo Juriſdictionibus interceſſerat, in perpetuum renuntiarent; & deinceps ſolùm cum ipſis, perinde ac cum aliis Auſtriacis ſubditis, bonam vicinitatem colerent: ſique fortè contingat, nominatos illos Auſtriacos ſubditos rebellionem iterum moliri; duo Fœdera, & Dominium Maiævillæ, ipſis nullo modo auxiliarentur, imò totis viribus eos reprimerent, & Auſtriacos adiuuarent. Præſidium ſufficiens, per duodecim annos, & vlteriùs etiam, quatenus expediuerit, Princeps Auſtriacus ſuis expenſis, ſine damno ciuium, in oppidis Curia, & Maiævilla, alat. Judicium etiam cenſorium à duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillæ, conſtitui debebat, quo proſcriptis illis Rhætis damna reſarcirentur : ſubditi etiam Auſtriaci coram Commiſſariis Archiducis conueniri poſſent. Denique mentio quoque facta veterum pactorum inter Principes Auſtriacos, ceu Comites Tirolis, & Epiſcopatum Curienſem, ac eius Cathedrales: tandemque fœdus hæreditarium perpetuum, anno M. D. XVIII. ſancitum, renouatum

fuit. Dies VI. futuri mensis Martij nominatus, quo Curiæ solemniter à Commissariis Austriacis, & Rhætis, hæc iuramento confirmarentur: quod tamen factum non fuit. Hæc vbi diffusis verbis conscripta Stredelius ad Legatos duorum Fœderum, & Dominij Maiævillæ, afferret; Italicis verbis, & phrasi recepta, Ego, inquiebat, laborem caninum, *(fatica da cane)* in componendis his articulis sustinui: videte modò vos quid adiungere velitis. Atque ista dum legerent, & plerique sibi placere affirmarent; aliqui, qui ex proscriptorum Rhætorum numero fuerant, & modò legatione fungebantur, intulerunt, Hunc articulum adiungendum esse, nempe, Ut nullus ex prædictis subditis Austriacis, Engadinis inferioribus, & Octo Iurisdictionibus, in aliis duob. Fœderibus, ac Dominio Maiævillæ, habitare; multò minùs in ciuem recipi possit: sed illi, qui ex dictis locis oriundi sunt, & iam per annos vigintiquinque continuos in duobus Fœderibus, ac Dominio Maiævillæ, pro ciuibus sunt agniti, iterum in patriam suam remittantur. Itaq; & hunc articulum Stredelius inseruit. Jam tum Comes Theodorus Triuultius Vallem Misaucinam ad se pertinere apertè dicebat: quæ res postea, anno sequenti, magis ventilata fuit. Et Fabricius Bossus, qui se Marchionem Mussij vocabat, Pesclauium antecessoribus suis familiæ Malacridæ in feudum fuisse quondam datum, contendebat. Austriaci Commissarij, & Rhæti, opiparo conuiuio publicè celebrato, à Duce Feriæ excepti, in profesto S. Antonij, & torquibus insuper aureis, nec sine viatico domum remissi fuerunt. Maximilianus Morus, ab Archiduce in Hispaniam, & Doctor Joannes Jacobus Paribellus à Volturenis, quoque eò missus fuit. Litteras Hispaniarum Regis admodum succinctas, quibus ipse auxilia in rebus licitis Volturenis promittebat, ad Robustellum postea attulit.

Baldironus, rebus in Engadina inferiori pro voto ordinatis, se iam cum familia, & dragonibus suis Curiam confert. Zuzio, in Engadina superiori, transiens, sub festum Natalium Domini, stylo veteri, conciones Protestantium inhibuit: atque id ipsum postea in Quatuorpagicis, & Dominio Maiævillano, fecit, nil quicquam articulos Medio-

lani:

lani circa libertatem Religionis ſancitos, moratus. Curiæ per biduum tantùm moratus, inde Velcuriam petijt, ibiq; quatuor nouas cohortes conſcriptas luſtrauit. His Capitanei dati erant Chriſtophorus Treuerus, qui Amiſij in Fœderi Griſæo poſtea in præſidio manſit; Georgius Bernhardus Ejerlinus, qui primò per aliquot dies in Juriſdictione Caſtrenſi, in Rhetigoia, poſtea in oppido Maiævillæ commoratus eſt: & Joannes Fridericus Ceniſchius, Baro ab Holniz, qui, Landeckianis & Ehrenbergenſibus domum remiſſis, in Juriſdictionem Caſtrenſem venit. Quarta cohors erat Sebaſtiani Viezij, qui Malanſij præſidij locum habuit. Eius milites, cùm primò pagum ingreſſi eſſent, de ædibus Concionatoris quæſiuerũt, & eas ſpoliarunt: Kleinhanſij cohors Faliſci, dragones Jeninſij locantur. Porrò, quæ Mediolani peracta erant, Communitatibus propoſita fuere: ſed nemo quidem contrà hiſcere auſus eſt. Atque Hiſpaniarum Rex intra ſemeſtre fœdus ratum habere debebat. Legati Gallici Soloduro, die XIV. Februarij ad Tria Fœdera (nam ſeparationem Rex nunquam admittere voluit) litteras exararunt, quibus ne tractata Mediolani rata haberent, hortati ſunt. His verò Oratores duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani, Ilantij congregati, die XXI. Februarij, ſtylo veteri, M. DC. XXII. reſponderunt, Seque, impotentiam ſuam Domui Auſtriacæ reſiſtendi allegantes, quódque à Legato Guefferio auxilia ſæpiùs quidem expetita, nulla tamen vnquam impetrata fuiſſent, excuſarunt: cæterà, fœdus Gallicum, expreſſo articulo reſeruatum diligenter ſe obſeruare velle aſſeruerunt; quantumuis ratificatio fœderis Mediolanenſis iam facta ſit. Interea, Erneſtus, Comes Mansfeldiæ, cum exercitu in Alſatiam venit. Schuarzvaldiani ergo ex Engadina ſuperiori eò vocati fuere: & in horum locum Zuzium venit cohors ipſius Baldironi, quam Julius Cæſar Ceſchius regebat. Deinceps in Alſatiam quoque deſcendere iuſſi ſunt equites Brioni, qui in Dominio Maiævillano dirè ſunt graſſati.

Cadauer Jo. Lucij Gugelbergij à Moos, equitis aurati, quod in templo Maiævillæ tumulatum erat, effoderunt, ornamentis equitatus, & egregia veſte exuerunt. Auguſti-

num Fauschium, Jeninsiensem; & Gaudentium de Gaudentiis, Rhetigoium, Ragazij in Dominio Heluetiorum captiuos fecerunt, & Curiam deduxerunt. Archidux Leopoldus etiam à Duce Feriæ auxilia expetierat: qui proin, sub equite Joanne Baptista Pecchio, per Rhætiam in Alsatiam misit tres legiones peditum, nempe, Petri, Baronis à Vattenila, Joannis Medicæi, & partem legionis Camilli del Monte, cui præerat Ferdinandus Rochus: quibus adiunctæ quoque fuerunt quatuor turmæ equitum. In monte Speluca, quatuordecim ex eis frigore perierunt. Milites interim Clauennæ domus Protestantium plerasque destruunt, cadauera mortuorum, vti fecere milites Francisci de Termine, Siciliani, sub legione Serbelloni, sepulchris extrahunt, & ludibriis exponunt, aliqua etiam comburunt. Atque hoc eodem tempore Baldironus exercitium Religionis Protestantium in Octo Jurisdictionibus tollit, & Concionatoribus solùm infantium baptizandorum, & matrimoniorum consecrandorum, copiam facit. Inde verò magni planctus apud populum orti fuere. Deliberatione habita, Oenipontum ad Archiducales Consiliarios aliquos ex suis Dauosiani, videlicet, Meinradum Buolium, & Joannem Bircherum: Cœnobiani, Martinum Grassum, & Theodoricum Enderlinum: Castrenses, Andream Sprecherum, fratrem meum, & Josem Crestum, eò delegarunt, vt exercitium Religionis liberum obtinerent. Cœteræ Jurisdictiones exspectare constituerunt, quid responsi his daretur. Oeniponti à Barone Bemmelberg, & Stredelio, auditi quidem, sed tandem, ineunte mense Martio, responso tali domum dimissi fuere: Serenissimum Principem nullos Prædicantes in sua ditione toleraturũ: quoad cœtera grauamina, quæ modestè etiam nostri exposuerant; breui tempore Commissarios Austriacos in Octo Jurisdictiones venturos, qui in negotio religionis, aliísque, leges laturi sint. Porrò die XII. Februarij, Joannes, Episcopus Curiensis, ex castro Furstenberg Curiam appulit. Simon quoque, Abbas Beneduranus, ad Monasterium Curvaldense accessit, & possessionem iterum adijt. Episcopus obseruationem Concilij Tridẽtini, & styli Gregoriani, suis parochiis in Rhætia præcepit. Baldironus ad

præfe-

præfectum Castrensem, Jo. Victorem Trauersium, scribens, Decretum à Cõsiliariis Oenipõtanis emanasse significauit, vt ope militis Austriaci omnes Prædicantes in Rhetigoia captiuos faceret, & ad castrum Gutenberg mitteret. Itaque alij abierunt, alij apud amicos latitarunt. Capuccini Crucium, Lucanum, & Convallium in Rhetigoia, vbi milites Austriaci erant, accesserunt, & iam ibidem in templis Missam celebrarunt. Cœterùm verbis exprimi non potest, quàm insolenter se milites aliqui gesserint, quantas sæuitias (præsertim Capitaneus Bonifacius Bertholdus) exercuerint. Tallhammerus, Signifer cohortis Bertholdianæ, Stephanum Ruędium, Schrepferum dictum, semel in pago Daluatij comprehendit, & in humeros eius conscendit, famuloque vocato qui hasta ipsum pungeret, Lucanum vsque per accliuum locum ipsi inequitauit, inquiens, Hunc verum modum rusticos Rhetigoios domandi esse. Fortunatus à Juualtis, mense Martio, à duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, Oenipontum missus fuit, vt pro ratificatione & obseruatione pactorum instaret. Consiliarij absentiam Principis causantes, nullum certum responsum dedere.

Mense Martio, Comes Joannes Serbellonus, cum sua legione, ex oppido Clauenna, relicto præsidio ad ripam Mezolæ, discessit, atque dominium nomine Ducis Feriæ, Lucio à Monte, & Doctori Jacobo Albertino, qui illud nomine duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani receperunt, cessit, renuntiauítque. Hi, per modum prouisionis, Capitaneum Theodosium à Præpositis Commissarium elegerunt. Eodem mense Martio ineunte, Capitanei, Iosephus Ciurlettus, & Ioannes Ballionus, qui, post discessum Brioni, castri Maiævillani custodiæ præfectus fuerat, in patriam iuerunt. Cohors tamen Ballioni in Rhetigoia semper mansit, & in eius locum Jo. Jacobus Columna, Baro à Fels, Capitaneus creatus fuit. Castri autem Maiævillani præfectus fuit Christophorus à Prato: cuius cohors tamen in Engadina inferiori mansit.

Adhæc in patriam quoque discessere sub id tempus Capitaneus Bonifacius Bertholdus, & Ejerlinus. Horum

absentia oppressis Rhetigoiis animum auxit. Heluetij Protestantes, mense Martio, Joannem Rodolphum Rhonium, Consulem Tigurinum; Franciscum Ludouicum ab Erlach, Baronem Spiezij, Bernatem; Joannem Melchiorem Martinum, Glaronensem; Joannem Lucam Iselium, Basileensem; & Joannem Peierum, Scaphusianum, (cum quibus etiam Henricus à Schennis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor erat) in Galliam ad Regem Christianissimum miserũt, vt, inter alia, pristinæ libertati Rhætiæ recuperandæ opes suas commodaret. Sed Rex tunc bello in Pictonibus occupatus erat: tamen legatos amicè, & humaniter tractatos, dimisit. Scriptum etiam tunc, à Rhæto quodam compositum, publicatum fuit, quo miserabilis Rhætiæ status diligenter depictus, & Regis Christianissimi auxilium imploratum fuit. Inter alia author ille, Adhuc, inquiebat, vltra mille & quingentos Rhætos extra patriam exulare, qui Austriaco iugo colla submittere noluerint.

Jam de nouo Baldironus à Consiliariis & Regimine Oenipontano mandata magis seuera obtinuerat, quibus Octo Jurisdictionibus imperabatur, vt Prædicantes vbique expellerent, & quæuis Cômmunitas disertè profiteretur, An doctrinam Capuccinorum audire, & recipere vellet. Fama huius mandati in Rhetigoia omnes perculit. Adhæc, siquid victus habebant, id à militibus, ipsis præripiebatur. Igitur, cùm sibi fame pereũdum, & omnem libertatem ademptam viderent; aliqui iam ad extrema refugere constituerunt; atque ne inulti morerentur, priùs Austriacos milites morte mulctare in animum induxerunt suum. Alij verò multi ad hoc consentire noluerunt, præsentaneum periculum, & exitium omnium prætendentes. Inter alios Theodoricus Enderlinus, Maiævillanus, vir audacissimus, militem Austriacum, in furto domi suæ deprehensum, occiderat: proindeque exulare coactus fuerat. Hic in Heluetiam ad aliquos exules venit, & consilium cum eis communicauit: sed à plerisque hoc ipsi dissuasum fuit: auxilia enim nusquam apparebant. Ipse nihilominus in proposito suo firmus, milites circiter quinquaginta quàm tectissimè in proximis Comitatibus, Verdenbergico, & Sarganensi, & Dominio

Alto-

Alto-ſaxiano, conduxiſſe dicebatur. Baldironus iam iter in Rhetigoiam ingreſſus, quò tutiùs negotium perficere,& populo maiorem terrorem incutere poſſet, vltra præſidiarias, tres cohortes, quæ ibi erant, centum & triginta milites, pleroſque ex ſelectioribus Saliſburgianis, qui Curiæ in præſidio erant, ſuoſque inſuper dragones aſſumpſit, &, die Iouis, XXI. Aprilis, in Rhetigoiam venit, atque Acerij mandatum Oenipontanum propoſuit, ibique pedites reliquit, ipſeque cum equitatu ſe in caſtrum Caſtrenſe contulit. Die ſequenti, populus in vtroque loco, Jenatij & Lucani, conuocatus fuit. Baldironus ipſe Lucanum venit,& mandatum populo protulit, milite armato populum circumſtante. Populus, vt deliberare poſſet, horæ vnius ſpatium ſibi concedi poſtulauit, atque habito conſilio, vnanimiter reſpondit, Se in omnibus rebus Politicis, etſi inhumaniſſimè à milite tractati ſint, Sereniſſimo Principi Archiduci Leopoldo,& eius miniſtris, obedire velle: ſed, quod negotium religionis attinet, cùm in iuramento clarè etiam illud reſeruatum fuerit, ſe per viſcera Jeſu Chriſti orare, ne vim conſcientiis inferre velit: potiùs enim omnes mortem oppetere, quàm religionem mutare, velle. Cæterùm Capuccinos liberè in regionem venire,& officio ſuo apud milites ſine vllo impedimento fungi poſſe, dicebant. Baldironus totus excandeſcens, Miniſtralem Joſem Creſtam, qui verba pro populo faciebat, ſtatim comprehendi iuſſit, aſſerens, Mandatum ſuum fuiſſe, vt omnem populum Lucanum conuocaret. Cùm Joannes Sprecherus milites oraret, ne ita inhumaniter Miniſtralem tractarent, & ipſe captus, amboque ſimul in caſtrum Caſtrenſe deducti fuerunt. Baldironus aliquos articulos ſcripto comprehendit, atq; Rhetigoiis, vt ad eos die proxima Dominica cathegoricè reſponderent, imperauit, vt habito illo reſponſo, Princeps vlteriùs deliberare poſſet: Primò, vt Prædicantes omnes ſtatim ex regione dimittant. Secundò, vt omnes ſubditi ab omni exercitio Zuinglianæ religionis, & omni quod Catholicæ religioni contrarium eſt, tam in Rhetigoia quàm extrà Rhetigoiam, planè abſtineant,& omninò illud tollatur. Tertiò, ne ſecretas congregationes habeant,& ſibi inuicem libros ſecta-

rios prælegant. Quartò, vt ſubditi vtriuſque ſexus, & ætatis, nemine excepto, ſemper conciones Catholicas, & inſtitutionem Catecheticam, ſub certa impoſita pœna, adire cogantur, & nonniſi iuſta de cauſa, ſeu propter res domeſticas, & alias excuſationem admittentes, emaneant. Hæc deinde, fuco adiecto, ſequenti articulo ſic leniuit; vt nullus Catholicam Religionem priùs profiteri, aut tanquam falſam ſuam abiurare teneatur, donec per inſtitutionem Catecheticam, aut amicam collationem, fuerit edoctus, vt ipſemet, liberè & non coactè, confeſſionem Religionis Catholicæ edat, ſuamque, vti falſam, reiiciat, & abiuret: adeoque, neque ad Miſſam, neque ad auricularem confeſſionem trahatur quiſquam, donec, vt dictum eſt, Catholicus ſit, & Catholicam Religionem veram eſſe fateatur. Ad hoc aliqui replicabant, Si Concionatoribus, atque omnibus libris, carere debeant; idem hoc fore, ac ſi cibo omni priuentur. Baldironus, cùm horum omnium conſtantiam ſatis perſpexiſſet, & cauſæ ſuæ minùs fideret, atque inſuper à præfecto Caſtrenſi Joanne Victore Trauerſio admonitus eſſet, vt incolumitati vitæ ſuæ prouideret; nō ſine pauore, vt aiunt, cum dragonibus ſuis, peditibus Acerij relictis, ſub noctem Curiam, ipſa die Veneris, redijt. Acerianæ Juriſdictionis Deputati in reditu bona verba Baldirono dederunt, & populi magnam partem futura die Dominica ad templa venturam (ambiguo reſponſo ludebant: nam milites qui propè templa caſtra habebant, inuiſere animus erat) aſſerebāt. Ipſe ſcribæ iniunxit, vt nomina eorum, qui concionem frequentent, diligenter annotaret. Baldironus in anguſtiis vndique erat: nam verebatur, vt ciues Curienſes contra ſuos etiam aliquid tentarent: & fama erat, nonnullos iuuenes, inſcio tamen magiſtratu, etiam tunc fuſtes paraſſe, vt militem Rhetigoiorum more tractarent: Sed per eius reditum & præſentiam, cùm putarent Rhetigoios à propoſito deſtitiſſe, nihil attentatum fuit. Cœnobianæ Iuriſdictionis homines putabant Baldironum etiam Convallium *(Kublis)* ad ſe venturum: proindeque iam cœnam ibi pro eo parari curauerant: atque in tota Rhetigoia conſtitutum fuerat, vt intempeſta nocte omnes Auſtriaci milites cum Bal-

dirono

dirono occiderentur. Dauoſiani etiam circiter quadringinta, inuito tamen magiſtratu, ad proxima confinia Cœnobianorum venerant: nec non Scanauicani aliqui per montem proximum ad pagum Contrum in, Rhetigoiam, aduentauerant. Porrò, quamuis arma pleraque, paucis abditis exceptis, ipſis ablata eſſent: ipſi tamen aliud armamentarium, ſpatioſas nempe ſyluas ingreſſi, vnuſquiſq; fuſtem, decempedalem ſibi pararunt: alij clauas, alij ſecures, alij cultros, denique quicquid offenſibile erat, haſtili infixerunt. Sed res ſuas Rhetigoij ita cautè, & tectè tractare neſciuerunt, quin rumor aliquis ad Auſtriacos milites perueniret: inter quos duo, Burſtlius, vnus dictus, alter Petrus Schellius, qui vxorem Saxij in Rhetigoia duxerat, conſcij tractatus erant, & teſſeram, vtpote linteum album, pileis ſuis impoſuerant, & cum paucis aliis die Veneris ſub noctem Saxium venerant. Ibi incolæ, habita licentia à Capitaneis, vt, propter frequentes militum prædas, excubias, inermes tamen, noctu agere poſſent, aliqui in armis erant. Burſtlius ipſis, ſe totum tractatum ſcire, &, ſi velint, cum aliquibus commilitonibus ſuis idem periculum ſe cum eis ſubire paratum eſſe, dicebat. Saxienſes ipſi plenè fidere nõ auſi ſunt: ſed benè interim ipſum tractarunt. Die autem ſequenti, Sabbathi, cùm reliqui Auſtriaci milites ad caſtrũ Caſtrenſe properarent: Burſtlius, & Schellius, cum Rhetigoiis manſerunt, & ſtrenuè ſe geſſerunt. Saxij etiam alius quidam Auſtriacus miles, qui ex exemptorum, vt dicitur, numero fuit, ſe Rhetigoijs aſſociauit. Sed Rhetigoios mira animi anxietas, cùm ſe iam proditos putarent, & Baldironus iam euaſiſſet, occupauit. Adhæc in loco Fiona, ſupra Acerium, Calanchenſem quendam mendicum, qui militis Auſtriaci explorator erat, die antecedenti Rhetigoij captiuum fecerant, qui ex vinculis euaſit, & militibus aperuit, fuſtes contra eos parari. Multorum conſilium erat, per iuga altiſſimorum montium (iam aliqui verſus Vallem Sanam iuerant) ex patria abire: ſed Prædicantes aliqui, qui latuerant, animum ipſis addiderunt. Proinde Conuallienſes, Saxienſes, Contrenſes, & Vallis S. Antonij incolæ, decreuerant, nocte, quam dies XXIV. Aprilis ſequebatur, militem aggredi. Aſt

Austriaci milites, qui Convallij erant, Scanauicanos, qui Contrum venerant, viderunt. Et militibus, qui Lucani castrametati erant, dictum fuit, Vallis S. Antonij incolas Pineti, supra Lucanum, cum fustibus esse. Cohors ergo Bertholdi, sub vesperam diei Sabbathi, XXIII. Aprilis, ex pago Convallio, relictis ibidem vndecim militibus, qui Capitanei domicilium custodirent, discessit. Atque Bertholdianis se quoque adiunxit Capitaneus Cenischius cum tota cohorte sua, quæ Lucani erat. Hi Lucanenses aliquos, vt impedimenta militaria sua cum curribus ipsorum in castrum Castrense, cui se omnes inclusere, deueherent, adegerunt; atque Lucanenses illos cum bobus ipsorum in castro penes se retinuerunt. Quæ cùm Saxienses, & Contrenses resciuissent; confestim se ad insequendos Austriacos accinxere, ne fortè pagum Convallium comburerent. Sed Convallij solos illos in domicilio Capitanei relictos inuenere; inter quos erat castrorum metator, qui incolas varijs modis vexauerat. Hic cùm, vino obrutus, eos rebelles nuncupasset; à Martino Hansimanno scloppetti ictu occisus fuit. Tres alij milites resistentes interfecti: reliqui capti fuere. Porrò tum quoq; Cœnobiani, & Seruensiani aduenere. Castrenses ergo, qui plerique iam cubitum iuerant, excitarunt, atque ea ipsa nocte ad obsidendum castrum Castrense properarunt. Ex primarijs plerique hoc dissuasere. Ex plebe verò, Christianus Matthias Contrensis, homo ingentis animi, populum ad constantiam exhortatus, inter alia: Saulus, inquiebat, etiam Dauidi, ne Goliathum aggrederetur, dissuasit. Igitur in prato Strils, propè castrum, castra posuerunt: vbi, sicuti & diebus sequentibus, agnus albus semper apud ipsos, vti etiam die Dominica in templo Contrij, fuit: quod pro felici omine habuerunt. Deinceps captiuos illos milites examinarunt, qui cõfessi sunt, Austriaco militi propositum fuisse, totam Rhetigoiam, ad Engadinam vsque, igne deuastare. Interim Austriaci è castro erumpunt, & Casparum de Casparis, Rhetigoium, interficiunt: à nostris verò statim repelluntur. Jam dies Dominica, XXIV. Aprilis, cùm illuxisset; quadraginta illi Dauosiani quoque appulerunt. Rhetigoij, nuncio ad militem in castrum misso, si, cum

omni

omni ſuo inſtrumento ſalui ex caſtro,& ditione Rhætorum diſcedere vellet, ſe de hoc ipſi publica fide cauere velle, ſignificauerunt: quòd ſi minùs; nullam porrò gratiam eum exſpectare iuſſerunt. His miles ſuperbè, Sibi ad extremum vſque ſui defenſionem conſtitutam eſſe,nec vllam ruſticorum gratiam ſe petere velle, reſpondit; nam auxilia Baldironi exſpectabat. Joannes etiam Victor Trauerſius,rebus parùm fidens,articulos Baldironianis non abſimiles,hoc vnico tantùm mitiores, Rhetigoiis propoſuit, quo Concionatoribus duobus domi manere, atque infantes baptizare, & matrimonia conſecrare,permittebatur: cæteros verò dimiſſos volebat, atque vt Capuccini audirentur, ſuadebat. Et verò ex primoribus aliqui conſenſere: iamque populus quoque ipſe inclinare velle viſus fuit. Ecce autem in ipſo momēto aduenit nuncius Acerianus,qui totam rem,prout Acerij, Crucij, & Lacuprati, cum Auſtriaco milite geſta erat, enarrauit. Itaque, ſpreto conſilio primariorum, rem ſeriò aggredi deliberant: diſploſis ſcloppettis, quæ habebant,ſignū lætitiæ edunt. Cœnobiani, Joannem Jeuchium; Caſtrenſes, Simonem Herculianum, cui poſtea Joannes Lorientus ſuffectus fuit, capitaneos militiæ eligunt: obſeſſis aquam adimunt: atque nocte ſequenti Vallum,vbi ſtrenuè illi duo, Burſtlius,& Schellius, laborarunt, ducunt; & ita promouent, vt iuſtis iam ictibus in portam caſtri colliment.

Sed hiſtoriæ filum nos in Acerienſem Juriſdictionem ducit. Baldironus,vt innuimus,iam de Rhetigoiorum conſiliis aliquid ſubodoratus fuerat. Proinde in reditu, cùm Acerij eſſet, nuncium ad milites ſuos, qui in interioribus duabus Juriſdictionibus erant,miſit,vt eos de periculo admoneret. Hic à Rhetigoiis quibuſdam intra Acerium, & Fagetum, loco Lunden dicto, interceptus, & occiſus fuit. Eadem ſors quoque alios duos,iiſdem mandatis inſtructos, ac ſubſequentes,excepit. Atque hi in proximis dumetis ſepulti fuerunt. Ioannes Cazettus,qui ſupra pagum Acerium habitat, duos milites, qui in ipſius domu erant, ea nocte, quam dies Sabbathi ſequebatur,prout decretum fuerat,ſecuri obtruncauerat: cumque die Sabbathi ad vicinos ve-

nisset; miratus est, quòd non ipsi quoque consilium executi essent.

Cùm verò deinde noctu nuncium de fuga militum in castrum Castrense accepissent, prætereaque iam certi de auxiliis Jenatiensium, & Furniensium ex Jurisdictione Castrensi essent: die Dominica, XXIV. Aprilis, condicta hora vndecima, nempe ipsa meridiana, reliquos è medio tollere statuerunt. Quumque Jenatienses, & Furnienses, tempestiuè adessent; milites Austriacos in foro propè templum, ductore Jacobo Truogio, iuuene imperterrito, aggressi sunt. Hi primò se viriliter defenderunt, Rhetigoios tres interfecerunt, atque nouem alios scloppettorum ictibus vulnerârunt. Sed fustibus statim Austriaci multi prostrati, reliqui in cœmiterium, & templum proximum, recedere coacti fuerunt: Unde crebris scloppettorum ictibus rem gesserunt. Deinceps autem, cùm in templo puluerem tormentarium inter se diuidere vellent; ignem ille casu concepit: indeque pars templi, lapide fornicata, concidit, atque milites decem afflixit. Septemdecim alij in fornicis parte superiori adhuc viui erant: sed locum descendendi non habuerunt. Itaque tandem, cùm appositis scalis dimissi fuissent; septem ex eis à Salomæa Lienharda, adhuc innupta, fuste interfecti fuere: nam mulieres æquè, ac viri ipsi, pugnabant. Anna Marucca militem in stabulo interfecit: Catharina Haberstraw in cœmiterio gladium militi ademit, eodemque ipsum iugulauit. Sic quoque alij à mulieribus cæsi fuerunt. Henricus Poppus, locumtenens cohortis Ciurlettanæ, qui illis centum & triginta militibus, de quibus supra, præfectus erat, ab initio conflictus, cùm in ædibus Prætoris Thomæ Verlij-valseri pranderet, ab hospite seruatus fuit. Joannes Jacobus Baro à Fels, capitaneus, iam Crucij per Patrem Fidelem Capuccinum (isti, dum in seculari statu viueret, nomen fuit, Marco Raino: Consulis Zimmeringensis, in Sueuia, filius fuit, I. V. Doctor, & Curiæ Ensisheimianæ, in Alsatia, olim assessor) qui sodalem habuit patrem Joannem, concionem & missam temporiùs Crucij celebrare curauerat, atque incolas, si qui interfuerunt, per scribam annotari præceperat. Inde, cum Patre Fideli, as-

sumpta

ſumpta aliqua parte militum, (viginti nempe quinque) Lacupratum petijt, vt ibi quoque concio haberetur. Cùm verò iam concio cæpta eſſet, fumus ex incenſo puluere tormentario in templo Acerij à militibus Lacuprati viſus fuit: proindeq; è ſtationariis militibus quidam (templum enim vbique circumſederant) templum ingreditur; exclamans fumum, & ignem cerni; tumultuariè itaque omnes templo exeunt. Capuccinus eos bono animo eſſe iuſſit, & ne timerent; putabat namque populum ſibi timere, ne à militibus offenderetur.

Porrò iam tum Fenaſcienſes, & alij Rhetigoij, fuſtibus pleriquе armati, præſtò fuerunt. Miles quidam ſcloppetto petere annititur Rhetigoium quendam : ſed priùs ipſe à Rhetigoio alio ſcloppetto proſternitur. Atque hoc velitationis initium. Capitaneus, iunctis manibus, vitam ſaluam ſibi deprecatur : proindeque à Miniſtrale Martino Caſparo, & Hieronymo à Salis, ſeruatur. Nec iniquiùs, aut duriùs, exceptus fuiſſet Pater Fidelis: quia verò milites ad pugnam exhortatus, atque deinceps in turba fugientium militum ſandaliis extractis, vt magis expeditè currere poſſet, inuentus fuit, in fuga à iuuene feroci occiſus, atq; poſtmodũ in cœmiterio Lacuprati à Rhetigoiis ſepultus fuit. Cùm poſteà Comes Alvicus de Sulz cũ exercitu in Rhetigoiam veniſſet, cadauer iterum exhumatum; caputq; Veldcurium ad Capuccinos; corpus verò Curiam, in Eccleſiam cathedralem, deportatum fuit. Rhetigoij fugientem Auſtriacum militem Crucium vſque inſequuti ſunt. Ubi milites illi, qui Crucij anteà fuerant, iam ſe ad arma contra Rhetigoios, qui ponticulum ibi propè pagum ſuperare conabantur, parauerant: atque infeſtis ictibus pugnarunt. Ioannes Pedraunus, Rhetigoius, ſcloppetto tunc interfectus fuit. Joannes Baptiſta Criuellus, ſignifer cohortis Felſianæ, milites in prato, Curtinum dicto, ſub vexillo in gyrum agens, vexillum ſuper eos bis terve, cum demurmuratione quorundam verborum, expandit. Illi verò, quantumuis acie inſtructa ſtarent, Rhetigoios tamen in prato exſpectare non ſunt auſi, ſibi præterea à ſuperuenientibus Acerianis etiam timentes. In ædes itaque Equitis Herculis à Salis confugerunt:

indeque ſcloppettorum diſploſionibus creberrimis ſe tutati ſunt. Sed, cùm puluis pyrius ignem caſu concepiſſet; fumo compulſi, per poſticum euaſere. Ad Langarum flumen properantes, cùm ad pontem, quo in Vallem Celunam, trans Lãgarum, itur, veniſſent, puluis nitratus iterum in ponte accenſus fuit: ibíque tum multi in ſtricto & denſo tranſitu (vbi mulieres & infantes militum etiam erant) in aquam deturbati fuerunt.

Adhæc iam tum ex Valle Sana aliqui Rhetigoij, armati loricis (nam eas priùs abſconderant) vnà cum illis, qui ſe ad diſceſſum extra regionem parauerant, in loco eminenti, ſupra Vallem Celunam, comparuere. His territi Auſtriaci omnes reliqui, tam qui trans, quàm qui cis pontem adhuc erant, ſpe omni abiecta, præcipites ſe in flumen Langarum dedere. Uxores tamen, & infantes aliqui, in medio collocarant; & quamuis lumbotenus in aqua eſſent, tamẽ ſcloppettis ſe defenderunt, atq; ex illis vnus Rhetigoium quendam ictu ſcloppetti adhuc grauiter vulnerauit. Tandem verò partim aqua ſubmerſi, partim contuſi fuſtibus, ea die in iuriſdictione Aceriana trecenti & quinquaginta conciderunt: triginta captiui facti fuerunt. Patrem Joannem Capuccinum Abundius à Salis, Herculis filius, incolumem ſeruauit: qui, poſt octiduum, procurantibus hoc Heluetiorum quoque proteſtantium Legatis, liber dimiſſus fuit. Milites Auſtriaci viginti, qui ad rudera caſtri Fragſtein, in oſtio, vallis excubias agebant, cùm viderent iam mortuorum pileos, & ipſa quoque cadauera per Langarum aduehi; ingenti metu perculſi ſunt, atque armis abiectis, Malanſium verſus fugerunt, atque cum iis aliqui ex Crucianis militibus, qui, veſtibus exuti, natando euaſerant, ſe quoque coniunxerunt. Georgius Mullerus, locumtenens Baronis à Fels, ſe in dumeta addidit, & per montem incolumis ad Auſtriacos ſuos peruenit. Vexillum Baronis à Fels, de conto direptum in calignis ſubſigniferi, qui vnà cum ſignifero Criuello occiſus fuit, inuentum à Rhetigoiis fuit. Bartholomæus Adolphus Mherus, Morauus, qui officio Locumtenentis Præfecti Vigilum generalis in Dominio Maiævillano, nomine Auſtriacorum, fungebatur, priùs

etiam

etiam aliquid de Rhetigoiorum conatu inaudiuerat: proindeque in Rhetigoiam equitare ſtatuerat, vt reſcire poſſet, quomodo ſe in primis Capuccinorum concionibus geſſiſſent. Cùm verò ad locum illum eminentem, quo Malanſio ad pontem caſtri Fragſtein itur, veniſſet; obuios habuit Auſtriacos milites ſeminudos, ex Rhetigoia fugientes: à quibus, vbi de omni ſucceſſu edoctus fuiſſet; citato equo, quàm velociſſimè Malanſium reuerſus, præſidiarios ibi ad arma vocauit, atque vt Maiævillam, propter superuenientes Rhetigoios, ſe reciperent, author illis fuit. Ideoque repentè, dato claſſico, præſidiarij omnes Malanſio, Jeninſio, Faliſco, & à Ponte Rheni, vbi etiam aggeres extruxerant, Maiævillam properarunt, & ciues Maiævillanos triginta ſeptem, quos extra vrbem nacti fuerant, omnes, Lucio Ruedio, & Volfgango de Tugo, exceptis, qui quòd ſe oppoſuiſſent, interfecti fuerunt, vnà cum mulieribus, infantibus, & centum quinquaginta circiter vaccis, aliiſque armentis, necnon aliquibus equis, quos ab equiſonibus, qui ſal eò aduexerant, habuerunt, in oppidum Maiævillam deduxerunt. Rhetigoij, ex quibus iam multi arma Auſtriacorum interfectorum geſtabant; plures tamen adhuc fuſtes ſuos ſanguine madentes habebant, Malanſium ſubitò tumultuariè ingreſſi, Malanſianos, vt ſocia arma ferrent, exhortati ſunt. Proinde capitaneus Dieteganus ab Hartmannis, & alij nonnulli, ipſis ſe iunxerunt. Rhetigoij, in duos manipulos diuiſi, pars ad tranſitum in cliuo S. Lucij cuſtodiendum tenderunt, & in itinere aliquos Auſtriacos milites aſſecuti, ipſos interfecerunt. Joannes Rodolphus Gugelbergerus à Moos, de quo antè diximus, cùm ſibi à Rhetigoiis timeret, equo vectus, fuga euadere conatus fuit: ſed à duobus, Jacobo Stegero, dicto Glareano, Maiævillano; & Chriſtiano Conrado, habitatore Guſchæ, in ſylua intra Malanſium, & Jeninſium, interfectus; & equo, pecunijs, atque poculis argenteis, quæ penes ſe habebat, ſpoliatus fuit. Cliuum S. Lucij, ab Auſtriacis derelictum (nam Gutenbergum auffugerant) Rhetigoij præſidio firmarunt: cumque aggeres veteres, iuſſu Auſtriacorum, deſtructi fuiſſent: ſequenti die, XXV. Aprilis, triginta illi captiui Auſtriaci eò

deducti fuerunt, qui cum incolis, ſpatio XIV. dierum, tumultuario opere aggeres iterùm excitarunt. Ex captiuis ſeptem, qui laborare recuſarunt, fuſtibus interfecti fuerunt. Alter Rhetigoiorum manipulus (erant viri centum & quinquaginta) verſus Maiævillam properarunt, & in itinere aliqua Auſtriacorum arma, & impedimenta adepti ſunt. Porrò pars Auſtriacorum infrà Jeninſium ſupra ſyluam, quam Domini ſyluam appellant, in dumetis latitabant in inſidiis: in quas cùm Rhetigoij incidiſſent; duo ex ipſis ſcloppettis interfecti fuere. Sed hoc minimè territi, ſtatim ad dexteram deflexerunt, vt Auſtriacos à tergo inuadere poſſent: quo facto, duo ex Auſtriacis etiam proſtrati fuere: reliqui, fuga arrepta, oppidum Maiævillam petierunt. Rhetigoij hac nocte in pago Rouena, qui intra Jeninſium, & Cliuum S. Lucij eſt, pernoctauerunt.

Sed videamus etiam quid in aliis partibus geſtum ſit. Antonius de Antoniis, Lacupratenſis, Rhetigoius, die Dominica, XXIV. Aprilis, in Quatuorpagos cùm tenderet, in ſylua, non procul à pago Igis, nuncium obuiam habuit, qui à Baldirono in Rhetigoiam, vt milites admoneret, miſſus fuerat: huncce de equo deturbatum interfecit. Joannes Ladnerus, Rhetigoius, Igij tũ habitans, ab Antonio iſto adiutus, capitaneum Kleinhans, qui Curia ad cohortẽ ſuam, quæ Faliſci erat, tendebat, in loco, Riedt, captiuum fecit. Joannes, filius Georgij Saluzij, Concionatoris Curienſis, & Stephanus Mantius, Concionator, propè pagum Cizerium, duos ſatellites capitanei Kleinhans, ſcloppettis armatos, nacti, interfecerunt: ſtatimque Cizerium equitarunt, & incolas ad arma capienda exhortati ſunt. Baldironi dragones aduentare aiebant. Itaque ad vias obſtruendas operam ſuam contulerunt. Sonus campanarum vbique ad arma perſtrepebat. Die proxima Veneris antè, nempe XXII. Aprilis, Georgius de Georgiis, & Joannes Antonius Gioerius, qui Curiæ in ciuitate erant, in aulam Epiſcopalem auffugerant. Capitaneus Martinus Camenis, iunior, eos, vt ſibi cauerent, exhortatus fuerat. Baldironus autem hac die ipſos, vrgendorum auxiliorum cauſa, in fœdus Griſæum miſit: nam iam per ciuem Curienſem, qui ex Reguſcis veniebat,

niebat, de ſuorum clade intellexerat. Hi ergo, cùm Altotrinum veniſſent, ab aliquibus incolis detenti fuere. Gioerius, relicto pileo, auffugit; Georgius ab equo deturbatus, leuiter in capite vulneratus, ab aliis ſeruatus fuit. Capitaneum de Camenis Baldironus, auxilia accerſitum, Mediolanum miſit: qui, die Martis ſequenti, iam tempore ibi appulit. Caſpar Caluus, Tridentinus, qui ex intimis Baldironi erat, vnà cum ſatellite ad S. Petrum eadem die Dominica equitauit. Caſu autem ibi in Joannem Sprecherum, Longopratenſem, incidit, qui gladium lateri accinctum habebat. Huncce Caluus, iam tum aliquid ſuſpicatus, cur gladium geſtaret, interrogat. Ille, ſe vnum ex Juſdicentibus regionis eſſe, & à Baldirono veniam gladium geſtandi habere, reſpondet: quumque per vim gladium ei eripere conaretur, Sprechero duo digiti abſciſſi fuerunt. Superuenit Riſius Enghius, Scanauicanus, qui, arrepto fuſte ſatellitem proſternit. Caluus, cùm diu ſe defendiſſet, etiam interfectus fuit. Baldironus his nuntiis perculſus, ſe ciuibus Curienſibus præter morem comem exhibens, ſtatim Senatum conuocari iuſſit, atque de Rhetigoiorum rebellione, & ſtrage ſui militis, conqueſtus, ſuam ſinceram voluntatem erga ciuitatem, & duo Fœdera, teſtatus eſt: atque etiam orauit, vt ſibi adeſſent, ſeque iam antè in Engadinam, alios milites vocatum, miſiſſe ſignificauit, prout quoque fecerat. Nam die XXII. Aprilis antecedenti, quum ex Rhetigoia veniſſet, noctu per celeres equos nuntium in Engadinam inferiorem miſerat, vt ſibi ducentos ſelectos ſui mitterent. Atque hi, die Martis, XXVI. Aprilis, Curiam appulerunt, & ex Steigeriana cohorte plerique, qui aliis pugnaciores habebantur, fuerunt. Treueri quoque cohors, quæ Amiſij erat, die eodem Curiam venit. Ciues Curienſes hoc ipſo quoque die in Curiam vocati fuere, vt ad iuramentum, & obſeruationem tractatus cum Auſtriacis initi, adigerentur; ſed non omnes comparuerunt. Ipſa die Dominica, XXIV. Aprilis, Rodolphus Planta, cùm communitates Engadinæ inferioris ipſi mille circiter florenos dediſſent, vt Oenipontum proficiſceretur, & pro libero Religionis exercitio inſtaret, in Comitatum Tirolenſem ſe contulit,

Mm

&c ibi, propè Meranum, vſque ad menſem Nouembrem ſequentem manſit: poſtea cum ampla authoritate ab Archiduce in Engadinam inferiorem venit. Baldironus, etiam Corvantios, vt quieti eſſent, blandis verbis, ſpe ipſis de libertate Religionis, & redintegratione priuilegiorum facta, demulſit. Malanſiani aliqui, die xxv. Aprilis, præfectum Joannem à Porta Curiam ad Baldironum miſere, qui Dominium Maiævillanum à Rhetigoiorum facto innocens eſſe, & aliquos à Rhetigoiis, vt cum ipſis ſtarent, coactos fuiſſe, indicaret. Atque Baldironus quidem in Rhetigoios mirè debacchatus, niſi incolæ Dominij Maiævillani ſe ab ipſis ſegregent, tanquam hoſtes Domus Auſtriacæ habendos, reſpondit. Dauoſiani, præcipuè primores aliqui ex magiſtratu, qui hoſce Rhetigoiorum motus non approbabant, Curiam ad Baldironum, Henricum à Porta, Joannis fratrem, ablegauerunt; ſeque excuſarunt, aientes, è ſuis aliquos, contra magiſtratus iuſſa, ſe cum Rhetigoiis coniunxiſſe: cæterùm ſe, ſi modò libertatem Religionis, & priuilegia ſua tuta habere poſſint, nihil mouere velle. Baldironus eadem ſpe, qua Corvantios, ſibi deuinctos reddiderat, hos quoque lactauit: aſt in ſcriptis nihil dare voluit. Denique, & Scanauicani aliqui, excuſantes factum Caſpari Calvi, ſe etiam apud Baldironum inſinuare conati ſunt. Proinde ſoli Rhetigoij, cum paucis illis Dauoſianis, & aliquibus Scanauicenſibus, & quibuſdam Dominij Maiævillani incolis, atque nonnullis Quatuorpagicis tantam belli molem primò ſuſtinere coacti fuerunt. Spes magna ipſis de milite à Theodorico Enderlino conducto, quorum dicebant mille ad Scalam montem eſſe, facta fuerat: ſed hi tantùm quinquaginta erant. Enderlinus ille, die Veneris antecedenti, noctu oppidum Maiævillæ occupare debebat. Sed cùm Baldironus ſaluus ex Rhetigoia rediiſſet; ab amico per ſchedam admonitus fuit, ne moueret: nam nihil perfici poſſe. Hæc ſchedula ad Rhenum, vbi nauicula propè Gutenberg traiicitur, ab Auſtriacis intercepta fuerat: ſenſum verò, propter obſcuritatem verborum, intelligere non potuerunt: ſed tamen diligentiores in excubiis fuerunt. Atque ipſa die Dominica, xxiv. Aprilis, vxor dicti Enderlini

in pago

in pago Balthſeres, cùm ibi ſal emere voluiſſet, prodita, captiua Veldcurium deducta, & deinde permutatione capitanei Kleinhans dimiſſa fuit. Ipſe Enderlinus, die Martis, XXVI. Aprilis, cum quinquaginta illis militibus ad Rhetigoios venit. Ciues Maiævillani, qui ex oppido auffugere poterant, cum Rhetigoiis ſe etiam coniunxerunt. Ad Rhetigoios etiam duo Concionatores Rhæti, Bartholomæus Anhornius, & magiſter Hartmannus Schuarzius, qui ipſos ad pietatem & fortitudinem exhortati, animos ipſis addiderunt, in caſtra venerunt. Die Lunæ, XXV. Aprilis, Aceriani Chriſtianum Truogium, capitaneum ſuum nominarunt, & ad Dauoſianos, Corvantios, & Scanauicanos, de fœlici ſucceſſu perſcripſerunt, eoſque, cùm hoc non priuatum negotium ſit, ſed ſalutem animarum, & priſtinam libertatem ſpectet, vt ex fœderis & coniunctionis perpetuæ iure conſiliis & auxiliis ſuis quoque prompti adeſſent, rogarunt. Adhæc Tigurum quoque ad Baronem Rodolphum à Salis datis litteris, ipſum, vt cum fidis aliis ciuibus aduolaret, Heluetiorum etiam auxilia imploraret, exhortati ſunt. Die Martis, XXVI. Aprilis, cùm omnes congregati eſſent; litteras ad tredecim Cantones Heluetiorum exararunt, quibus, ſe à præſidiarijs Auſtriacis in religione, vita, & bonis, intolerabili tyrannide oppreſſos fuiſſe: iamq; proin, iuſta defenſione, ſe in priſtinam libertatem vindicaſſe: cæterùm iura ea, quæ Domus Auſtriaca in Octo Juriſdictionibus habeat, violare non velle, ſignificarunt. Hæc præfati, Heluetijs ſe commendauere, atque vt ſibi ad defenſionem priuilegiorum ſuorum auxilio eſſent, obnixè rogarunt. Die Lunæ, 25. Aprilis, Rhetigoij, & alij, qui cum ipſis ſtabãt, ſuburbium oppidi Maiævillani, quod Jeninſium verſus ſitũ eſt, occuparant. Sed hoſtes, quorum præcipuus ductor Bartholomæus Adolphus Mherus ille erat, (nam capitaneus Chriſtophorus Pratus in caſtro ſemiægrotus agebat) ex campanili, templo, & ædibus aliquibus creberrimis, moſchettorum etiam maiorum ictibus pugnarunt, vt Rhetigoij, qui nihil ad expugnationem neceſſarium & requiſitum habebant, ſuburbium iterum deſeruerint. Ex Rhætis, Feſtus Algoſſus, Rhetigoius, occubuit. Ex hoſtibus tres de mœnibus

deturbati fuerunt. Hoſtes, oppido egreſſi, ſuburbium deprædati ſunt, & multam ſuppellectilem, atque commeatum in vrbem ſecum deportarunt, & dies, noctéſque in communiendo oppido, vallóque extra pomærium ducendo, occupati fuerunt.

Porrò Rhetigoij, qui in obſidione caſtri Caſtrenſis erant, rem iam ſeriò agere cœperant; & iam quinque ex Auſtriacis interfecerant. Obſeſſi penuria aquæ, ſalis, & aliorum cibariorum, carnibus exceptis, premebantur. Die Lunæ, xxv. Aprilis, filium Jacobi Hartmanni, Lucanenſis, quem etiam in caſtrum ſecum duxerant, per præruptam rupem cum litteris ad Baldironum ſcriptis ex caſtro dimiſere. Hic Jenatij deinde captus, & litteræ, quibus auxilia præſentanea petierant, apertæ fuerunt. Quod cùm in caſtro reſciuiſſent; ad Rhetigoios miſere, vt de deditione cum ipſis agerent, vt liberè cum armis, & omnibus impedimentis ſuis dimitterentur, & tutò è Rhætia deducerentur. Rhetigoij verò, vt duodecim ex primarijs officialibus ſibi obſides darentur, poſtulauere; gregario militi, præſtito iuramento, nunquam contra Rhætos militaturum, diſceſſum permittere volebant. Præfectus Trauerſius, verbis Rhetigoios deliniens, præſtare aiebat, vt officiales etiam amicè dimitterentur. Tandem ad ſequentes articulos deuentum fuit: Primò, Auſtriaci milites omnia arma deponerent, cum baculo in manibus diſcederent, & extra fines Rhætorum ſecuri deducerentur. Secundò, iurarent, ſe nunquam contra Tria Fœdera Rhætorum militaturos. Tertiò, apud Sereniſſimum Principem Leopoldum intercederent, quò generalis abolitio hinc & inde inſtituatur; Præſidiarij Auſtriaci ex Rhætia deducantur, & omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur. Quartò, viciſſim Octo Juriſdictiones iura Sereniſſimi Principis, quæ videlicet ad ipſius prædeceſſores, & ipſum, de iure ſpectant, quæque quietè antea poſſederunt, Rhetigoij infringere nullo modo attentarent. Præfectus etiam Trauerſius, vt maiorem gratiam apud Principem obtinere poſſent, petijt, vt officialibus arma, gregarijs autem gladij permitterentur; idemque à facilibus facilè obtinuit. Articuli à capitaneo Ceniſchio, & officialibus Auſtriacis,

ſtriacis, & capitaneis Rhetigoiis, ſubſcripti; prætereaque ſigillo, & ſubſcriptione Trauerſij corroborati fuere. Arma Auſtriacorum Rhetigoij inter ſe partiti ſunt, atq; Dauoſianis, & Scanauicenſibus, ſuam quoque partem dederunt. Scanauicani iterum domum, vt Vallem ſuam tuerentur, miſſi fuerunt. Die Martis, XXVI. Aprilis, præſidiarij iſti Auſtriaci, præſtito iuramento, extra Rhætiam tuti deducti fuerunt. Qui cùm Veldcurium veniſſent, à Joanne Vernero Raitnauero, militiæ Auſtriacæ præfecto, contumelioſis verbis excepti, atque ad militandum contra Rhetigoios iterum compulſi fuere: Juramentum namque hæreticis, & rebellibus iſtis, inquiebat ipſe, præſtitum nullum eſſe. Præfectus Trauerſius, Rhetigoijs ſpem fecerat, ſe cum obſeſſis in oppido Maiævilla acturum, vt ſe dederent. Sed cùm Maiævillam in oppidum veniſſet; nihil efficere potuit. Poſtea Curiam ad Baldironum, vt eius animum mitigaret, miſſus fuit. Unde deinceps ad Rhetigoios, durante hoc bello, non eſt reuerſus: ſed Ortenſteinij ſe continuit. Interea exules Rhæti, qui in Heluetiis erant, pro Rhetigoiis auxilia ſollicitauerunt; & capitaneus Stephanus Thyſius, Rhætus, ex Germania, ea ipſa die XXIV. Aprilis, Tigurum appulit; indeque ſtatim ad Rhetigoios profectus, fidelem operam, ceu capitaneus, illis præſtitit. Joannes Petrus Janettus, qui Concionator Sexamnij fuerat, iámque in Heluetia exul erat, ad Georgium Fridericum, Marchionem Badenſem, & Erneſtum Comitem Mansfeldiæ, delegatus fuit, partim, vt equites aliquos Rhætiæ auxilio mitti poſtularet. Mansfeldius litteras beneuolentiæ plenas ad Rhetigoios, & omnes auitæ libertatis propugnatores, poſtea exarauit; eos ad conſtantiam & fortitudinem exhortatus eſt: denique promiſit, ſe, poſt aduentum Ducis Brunſuicenſis Chriſtiani, Epiſcopi Halberſtatenſis, aliquem equitatum ipſis miſſurum. Sic paulatim & gregatim multi milites Rhæti in patriam redierunt. Moderantes Scaramella, qui Tiguri pro Republica Veneta erat, auxiliorum cauſa ipſe quoque interpellatus fuit: qui tum nulla ſe mandata habere à Republica ſua; ſed tamen ad hanc ſtatim ſe ſcripturum reſpondit. Hæc poſtea, diſtinctis vicibus, ſubſidia aliqua pecuniaria, quæ

tamen ſummam viginta trium millium aureorum non exceſſerunt, contribuit. Atque Scaramella per hoſce nouos Rhetigoiorum motus, tractatum in Hiſpania, de Valletellina denuò repetitum, interrumpi poſſe aiebat. Porrò tractatus hic huiuſcemodi fuerat. In Galliam, die XIX. Aprilis, in locum, Aunis, dictum, à Marchione Mirabelli Legato Hiſpanico ordinario, Proiectum, vt vocant, magno Galliæ Cancellario, Sillerio, ſeu huius filio, Secretario de Piſſieux, miſſum fuerat. Deinceps, in loco, Arranjuës, in Occagnia Hiſpaniæ, die III. Maij, anno M. DC. XXII. procurantibus Nuncijs Apoſtolicis, Comes de la Rochepot, Legatus Gallicus, & Balthazar Zunica, ex præcipuis Hiſpanicis Conſiliariis vnus, ad articulos aliquos deuenerunt, quorum argumentum fuit: Rex Hiſpaniæ fortalitia in Valletellina, & Comitatu Bormij, in manum Principis, qui nominatus fuerit, deponeret, quouſque omnia, quæ ſecuritatem religionis Catholicæ ſpectant, bene ſtabilita fuerint. Princeps ille depoſitarius omnibus ex æquo Principibus Catholicis liberum tranſitum concederet. Idem præterea, necnon milites præſidiarij, Pontifici, & duabus Coronis, Gallicæ nempe, & Hiſpanicæ, iuramentum præſtarent, atque in ſtatu Politico nil quicquam immutarent. Si Rhæti, durante hoc depoſito, directè aut indirectè, ſine cauſa legitima, armis contra Ducatum Mediolani, aut contra Vallemtellinam, aliquid tentauerint; ipſo facto excluſi eſſent ab omni beneficio, quod per interpoſitionem Regis Chriſtianiſſimi obtinent. Rex Catholicus, ex Comitatu Clauennę, & circumuicinis locis, omnem militem abduceret: ita, vt Rhętis Comitatus, prout antea poſſederunt, liberè permaneat; negotium tamen Religionis ad ſatisfactionem Pontificis reducatur. Quod attinet ea, quæ inter Archiducem Leopoldum, & Rhætos facta ſunt; Rex Catholicus media expedientia ad quietem exquireret; atque negotium Archiducis Leopoldi expeditionem hancce neutiquam impediret: adeoque iſta duo, nempe tractatus de Valletellina, Clauenna, & Bormio; itemque tractatus cum Archiduce Leopoldo, negotia diſtincta, & ſeparata habeantur. Don Balthaſar, nomine Regis Catholici, promiſit, quòd ſi fortè Archidux Leopoldus

iuſti

iusti, & æqui fines excederet; Rex Catholicus nullum ipsi auxilium, & fauorem præstiturus sit. Vice versa Legatus quoque Regis Christianissimi spopondit, quòd si Rhæti inter hæc conuenta se non contineant, Rex Christianissimus, non solùm ipsos adiuturus non sit; sed quoque ad illos reprimendos operam collaturus. Et hæcce intra spatium bimestre ab vtroque Rege rata haberi debebant.

Sed ad Rhetigoios redeo. Indesinenter exules Rhæti, & ipsi quoque Rhetigoij, Heluetios de auxiliis interpellauerunt. Proinde priuati aliqui ad commiserationem commoti, primò aliquid contribuerunt. Protestantes deinde Heluetiæ ciuitates, cùm Tria Fœdera iam iterùm vnita essent, grandiorem pecuniarum summam, cautione expressa adiecta, vt ea ad defensionem patriæ, & non aliter, vterentur, interpolatis vicibus subministrarunt. Baro Rodolphus à Salis, Joannes & Jo. Petrus Gulerus, Colonelli Joannis Guleri filij, vnà cum Joanne Ardnsero, Dauosiano, machinatore, & construendorum fortalitiorum perito architecto, Tiguro discessere, atque die Sabbathi, xxx. Aprilis, in castris in Dominium Maiævillanum appulerunt. Horum aduentu, Rhetigoij mirum quantum exhilarati fuere. Architectus tantùm per octo dies in castris commoratus, atq; deinceps à Republica Tigurina, cui seruiebat, reuocatus fuit. Valla tamē propè Molinæram intra Cizerium & Trimontium, itemque ad Cliuum S. Lucij, meliora forma designauit. Rhetigoij, Engadini, & Vallis-Monasterienses, qui in Heluetia hinc & inde dispersi erāt, etiam ad Rhetigoios in castra se contulere. Dauosiani, cùm iam Austriaci in castro Castrensi se dedidissent, & à Rhetigoijs per fœdera & grauissimas exhortationes expeterentur; ipsi quoque ad Rhetigoios in Dominium Maiævillanum venere: Capitaneumque crearunt Joann. Petrum Gulerum. Jurisdictio Dominij Maiævillani Capitaneos nominauit Theodoricum Enderlinum, & Jacobum Tescherum. Consilium bellicum cum plenaria potestate, cuius Director Baro Rodolphus à Salis nominatus institutum fuit. Antea, die xxviii. Aprilis, dragones Baldironi, quibus aliqui Rhæti, proscriptorum consanguinei & agnati, mixti erant, in pagum Ci-

zerium irrumpere ſtatuerant: ſed à Rhetigoijs, Cizerianis, & Igienſibus repulſi fuere. Unus ex Baldironianis occiſus, aliqui vulnerati fuere: atque tres equos amiſere. Die Veneris, Legati proximiorum Heluetiorum ſeptem Cantonum, qui Comitatum Sarunetum regunt, Ragazium appulerunt: Joãnes, nempe Eſcherus iunior, Senator Tigurinus; capitanei Ægidius Friſchherz, & Joannes Henricus Redingus, Suitenſes; Adamus Bœningerus, & Sebaſtianus Martinus, Glaronenſes: qui, cùm à Rhetigoiis (nam Baro Rodolphus à Salis, cum aliis, Ragazium ad eos iuit) quàm pacis amantes eſſent, intellexiſſent, atque ab iiſdem, vt ſe amicè interponerent, rogati fuiſſent: duos ex ſuis; Redingum, & Martinum, ſtatim ad Raitnouerum, qui Veldcurij erat, miſere, qui inſtarent, vt hinc & inde ab armis ceſſaretur, & res amicè componeretur. Sed, tetro vultu ab eo excepti, &, nullo honoris titulo præmiſſo, in ſermone interrupti fuere. Duo fœdera, exclamabat, cum Archiduce confœderata eſſe: Rhetigoios autem, vti ſubditos, eidem Archiduci omnem obedientiam iuramento præſtito debere. Hi cùm periurij rei ſint; Auſtriacæ Domui media non defore, vt pro demeritis puniantur. Glaronenſium Legatus regerebat, Archiducem Rhætos per iugulum, vt dicitur, apprehendiſſe, vt, quæ voluerit, promittere coacti fuerint. Adhæc, inſolentiam militis Auſtriaci præſidiarij, Rhetigoios, qui tamen iura antiqua Principis infringere nõ tentent, ad defenſionem excitaſſe: adeoque iterum hi delegati inſtabant, obnixè rogantes, vt res ad amicam compoſitionem deuenire poſſet. Aſt ipſe aures dare minimè volebat. Jamque ſequenti nocte, claſſico vbique per ditionem illam Auſtriacam dato, cum popularibus, aſſumptis etiam ſelectioribus militibus ex duabus illis cohortibus quæ in caſtro Caſtrenſi fuerant, verſus Cliuum S. Lucij tendit. Die Dominica, 1. Maij, quæ feſto Paſchatis, ſtylo veteri, dicata erat, Rhetigoij ante diluculum iterum ſuburbium Maiævillæ occuparant, & vicos atque plateas communiuerant, & claſſico poſtea dato, hoſtem elicere volebant. Sed Auſtriaci ſe intra vrbem continuerunt, & creberrimis ſcloppettorum diſploſionibus Rhetigoios vexarunt. Baro Rodolphus

dolphus à Salis, qui etiam primarij Ducis munere fungebatur, in humero læuo scloppetti ictu tactus fuit, vt in terram collaberetur; sed statim iterum surrexit, & populo animum addidit. Cutis leuiter tantùm delibata fuerat. Ab altera parte versus portam, quam à tiliis denominant, capitaneus Joannes Jouchius tanto impetu in Austriacos irruit, vt eos, qui iam vrbe egressi erant, in fugam egerit: &, vt postea à Maiævillanis relatum fuit, milites iam se in cellas abdiderant. Jouchius, cum paucis, sub porta erat. Sed Austriaci cùm numerum exiguum viderent, animos resumpserunt. Jouchius in capite gladio maiori vulneratus: atque septem præterea ex Rhætis desiderati fuere: inter quos erat Simon Sprecherus, gentilis meus, iuuenis fortitudine nulli secundus. Ex hostibus eques vnus, & nouem milites gregarij, cecidere. Ad portam, quam vocant Sarunetensem, etiam diu certatum fuit. Cùm Austriaci viderẽt, Rhætos suburbium deserere non velle; ignem proximioribus ædibus suburbij subiecerunt: vbi tum Rhæti igne ventoque compulsi, suburbio excessere. Atque suburbium igne consumptum fuit: intactæ solùm illæ domus, quæ Malantium spectant, relictæ fuere: quas deinde die Martis, III. Maij, Rhæti etiam incenderunt. Nam ventus contra oppidum vehementer primò flabat, proindeque sperabant, Austriacos oppido pelli posse. Sed Austriaci auxilio oppidanorum, quos ad laborem cogebant, adiuti, tanta sollicitudine ignem ab vrbe repulerunt, vt nihil damni acceperit. Suburbium autem totum conflagrauit: adeoque in vtroque suburbio sexaginta quinque domus, septuaginta octo stabula, & sex torcularia, absumpta fuerunt.

Raitnouerus, cum suis, iam in pago Balzares castra habebat. Rhæti, die Mercurij, IV. Maij, ad ipsum ad fines vsque Rhætiæ, fontem nempe S. Catharinæ, aliquos miserunt, vt ad pacificationem ipsum flecterent. Sed ipse excipiebat, nihil se tractare velle, nisi transitum liberum ad oppidum Maiævillæ sibi priùs concesserint. Ita re infecta vtrinque discessum fuit. Ipse mox aliquos ex suis versus Cliuum S. Lucij, tentandi gratia, præmisit, qui repulsi fuere. Præterea montem Ellerum, quem Faliscienscm vocant, quòd pago

Falisco immineat,nocte sequenti,cùm antecedenti die repulsus fuisset,occupauit,& aggeres festinato opere excitari iussit. Eadem die Mercurij capitaneus Christophorus Treuerus,cum dragonibus,& selectioribus peditibus,Curia egressus fuit, vt Rhætorum vires,ad Molinæram in vallo construendo occupatas,dissiparet. Sed ipse pedem referre coactus,dragonem ex suis vnum amisit: aliqui etiam sauciati fuere. Cum Treuerus Curiam reuersus à Baldirono interrogaretur, quid de istis rebellibus sentiret: ipseque bonos milites esse responderet, Baldironus totus excanduit, quòd hosce rebelles rusticos nomine militum condecorasset. Steigeriani domum Episcopi Curiensis, quæ in Molinæra est, incenderunt. Die Jouis, quinta Maij, Raitnouerus, relicto aliquo milite in monte Falisciensi, cum maiori parte, qui circiter mille ducenti erant, rectà versus Faliscum pagum tendit. Faliscienses,qui triginta ad aggeres propè balneum erant, cùm viribus impares essent, recesserunt. Hostes pagum deprædati, flammis totum, templo & domo æditui exceptis(quam domum deinde Austriaci mense Septembri combusserunt)iussu Raitnoueri, deuastarunt. Pars militis in cœmeterio, qui à pago aliquantùm distat,substitit. Raitnouerus ipse acie instructa, sub pago in nouellis vineis,Rhætos exspectauit.Præterea aliqui loca eminentiora occupauerant, vt Rhætos aduenientes vndique concluderent. Nam ex composito cum Austriacis,qui in oppido Maiævillæ erant,à quibus nuncium acceperant, res ita instituta fuit: vt præsidiarij oppido erumpentes à tergo dein instarent. Faliscienses ad Rhætorum proximiorum castra cùm accurrissent, casu capitaneos Jo. Petrum Gulerum, & Theodoricum Enderlinum, inuenerunt, quibus rem omnem exposuerunt. Hi itaque milites,quos nancisci possunt,nempe non plures quàm octuaginta quinque, qui omnes, octodecim exceptis, Castrenses Rhetigoij fuere, assumunt: atque ne quis, donec signum certum Gulerus dedisset,strepitum vllum excitet,seuerè præcipiunt: adeoque magno silentio in hostes tendunt. Cùm iam ad stationarios hostium venissent, qui displosis scloppettis se statim in fugam dederunt, Gulerus omnes,quantum possent,vocem

cem attollere iuſſit: quo facto, acriter in hoſtes irruerunt, &obuios quoſque, præſertim Gulerus & Enderlinus, qui equis vehebantur, proſtrauerunt. Qui ſequebantur, vulneratos fuſtibus interfecerunt. Raitnouerus, cum aliquibus equitibus, in anguſto illo tranſitu, propè Rhenum, militem ſuum à fuga quidem reuocare conatus fuit; ſed fruſtrà hoc fiebat: quinimò pecudum inſtar in Rhenum aliqui ſe præcipites dabant: atque vix pugnæ vlla legitima munia edebant; ſed, armis abiectis, manibuſque faciei ſuperpoſitis, fuſtium ictus exſpectabant. Raitnouerus, cùm iam Gulerus ei proximus eſſet, ipſe quoq; fuga ſibi conſulens, alueo quodam Rheni tranato, euaſit. Guleri equus iam defeſſus erat, atque ſuper cadauera minùs celeriter incedere valebat; alioquin Gulerus, & Enderlinus (hic in occidendis aliquibus, qui ad montem tendebant, præpeditus fuerat) nacti fuiſſent ipſum Raitnouerum. Porrò notatu dignũ eſt, quòd ducenti ſelecti pedites, & viginti quinque dragones, oppido Maiævilla (prout inter hoſtes decretum fuerat) egreſſi ſunt, qui pago Faliſco proximi fuere, vt iam flammæ ignis ad eos peruenirent. Hi ſtationarios ſuos per iter diſpoſuerant, vt ſi fortè Rhæti ipſis iter impedire vellent, ab his admonerentur. Illi verò, qui in campanili vrbis Maiævillæ erant, cùm vnum & alterum thorace rubeo, & caligis, more Rhætorum confectis, indutos poſt muros in via vidiſſent, Rhætos hos eſſe arbitrati, qui tamen Auſtriaci milites erãt, veſteſque Rhætorum antea in præda nacti fuerant, ſtatim ſcloppetta exploſere; ſicque bis terve fecere. Milites egreſſi, cùm hoc ſignum audiuiſſent, atque veriti eſſent, vt iter ſibi præcluderetur; celeriter in oppidum redierunt. Ex hoſtibus trecenti in hoc conflictu perierunt; ex quibus centum Rheno merſi fuerunt. Inter mortuos, duo Locumtenentes, aliiq; præterea officiales, inuenti fuere. Ex Rhætis ne vnus quidem vulneratus fuit. Singularis autem virtus Guleri, & Enderlini, hîc emicuit, qui plures quinquagenis proſtrauerunt. Poſtmodum animaduerſum fuit, aliqua cadauera brachia & tres digitos humo extuliſſe. Hos aliqui, ex iis eſſe, qui in caſtro Caſtrenſi fuerant, iamque periurij in Rhætos fœditatem conteſtari, iudicabant: alij contrà,

quòd corpora non benè humata fuiſſent, ea ab aëre intumuiſſe, hincque brachia, & crura, viſa fuiſſe colligebant.

Baldironus Curiæ, ſollicitudine æſtuans, vt tranſitum Rhætis in Fœdus Griſæum inhiberet, dirupto caſtro Liechtenſtein, quod exteriùs pago Haldenſtein imminet, die Jovis, v. Maij, centum milites ſub Gelſero, Neukilchiano Heluetio, locumtenente Joannis Keiſeri, impoſuit: & die ſequenti Veneris, centum alios illis adiunxit. Sed ipſa die Jouis aliqui Abbatiſcellani Heluetij, quos Conradus Schuſſius ducebat, aduenere. Rhetigoij enim ſtatim, poſtquam Auſtriacos præſidiarios occidiſſent, ſi quid pecuniarum apud eos inuenerunt, vel ipſi in promptu habuerunt, partem earum Chriſtophoro Mundlio, Maiævillano, dederũt, vt quamprimùm militem in Heluetia conſcriberet. Is hos Abbatiſcellanos, & aliquos Rhenithalenſes, alioſque conduxit. Die Sabbathi, vii. Maij, capitanei, Stephanus Thiſius, Conradus Schüſſius, & Chriſtophorus Mundlius, exiguo cum numero militum Vatio inferiori egreſſi, per montem ſupra locum Oldis, ad caſtrum Liechtenſtein venere. Infeſtis ſcloppettorum ictibus res diu geſta fuit. Nam Auſtriaci poſt muros ſe communiuerãt, & duos Rhætos, Chriſtianum Buſchium, & Chriſtianum Ciſlium, Vatienſem inferiorem, qui audacter ad muros acceſſerat, occiderunt. Aliqui etiam ex Auſtriacis ceciderunt. Dehinc capitaneus Stephanus Thiſius, partem Abbatiſcellanorum, ad occupandum pagum Haldenſteinium, miſit, qui Auſtriacos obuios quoſque interfecerunt: ipſe verò Auſtriacis obſeſſis in ruderibus caſtri Liechtenſtein, omnem aditum, & aquam præripuit. Haldenſteinij in palatio Volfgangus Jaraſtroffius, Baro à Sternberg, Bohemus, qui Baldironi dragonum ſignifer erat, captus fuit: ſed interpoſitione Thomæ Baronis ab Ehrenfels, Domini in Haldenſtein, poſtea dimiſſus fuit. Die Dominica, viii. Maij, obſeſſi in Liechtenſtein deditionem fecerunt, incolumitatem pacti; præſtitoq; iuramento, ſe contrà Rhætos nunquam militaturos, cum gladijs ſuis per Heluetiam dimiſſi fuerunt. Conſilium bellicum aliquos ex ſuis ad Griſæos, & Cathedrales miſit, vt ad defenſionem priſtinæ libertatis Rhæticæ, ex tenore fœderis, auxilio eſſent.

sent. Sed nihil apertè promittere ausi sunt. Nam Baldironus duorum Fœderum Oratores Curiam vocauerat, & ab eis auxilia poposcerat. Suprasaxenses Cathedrales, sub capitaneo Casparo Frischio, centum milites Curiam miserũt: Grisæi autem se limites suos tueri velle responderunt, & expansis vexillis cum milite ad pontem Richenouiæ venerunt. Jussu etiam Baldironi duo Fœdera ad Heluetios, die x. Maij, litteras exararunt, eosque, ne Rhetigoiis in hac ipsorum rebellione aures præberent, minúsve vlla consilia aut auxilia præstarent; sed militem, custoditis transitibus, qui ad Rhætos venire vellet, impedirent, rogarunt. Inde Quinquepagici præcipuè ab Austriacis, vt transitus suos custodirent, sollicitati fuere: proindeque Suitenses Lachæ, in Marcha, & Comitatu Castrensi, atque Abbas S. Gallensis in Rheguscis, custodias posuerunt, & omnem militem, natiuis Rhætis exceptis, transitu prohibuerunt. Nihilominùs multi per varios anfractus in Rhætiam venerunt. Rhæti, qui Haldensteinij erant, dies noctesque cum incolis in construendis aggeribus ad ripam Rheni occupati fuere: prætereaq; deliberauere Grisæos, qui Feldspergi, & Richenouiæ erant, leui velitatione tentare. Die ergo, x. Maij, sex ex ipsis per semitam Feldtspergum versus tenderunt, & nauiculam ibidem, qua Rhenum traiicere soliti erant, abduxerunt. Hinc rumor in castris Grisæorum increbuit, Rhetigoios omnes aduentare. Lucius à Monte, se, cum suis, Richenouiæ in corte communire volebat. Sed paulatim milites Catholici dilabebantur. Tympanista Disertinorum in fagum præaltam, vt tutus esset, ascendit. Quod cum illis, qui Haldensteinij erant, nuntiatum fuisset, Stephanus Tisius, & Schussius, relicto Mundlio cum aliquo milite ad custodiam Haldensteinij, ad pontem Richenouiæ, vbi Grisæi Protestantes plerique adhuc aderant, tenderunt; quos exhortati sunt, vt coniunctis viribus transitum custodire, remque communem adiuuare vellent. Taminiani, cum paucis aliis, apud ipsos manserunt.

Die Veneris, VI. Maij, Curiam Rhætorum Camillus del Monte, Dux primarius, cum auxiliarijs Regis Hispaniæ copiis appulit. Primi erant, ipse Camillus, & Petrus Bobadilla,

Locumtenens Don Joannis Gusmanni; qui alæ cataphra-ctorum præerat; & Dauid Onellius, qui alam equitum leuis armaturæ ducebat; atque Camillus Raudensis, Hieronymi frater, qui octo cohortes ex legione Joannis Baptistæ Pecchij regebat. Die sequenti Sabbathi reliqui aduenerunt: nempe, Michaël Aspurz, qui turmæ equitum præerat; item aliquæ cohortes ex legione dicti Camilli, & ex legione Joannis Serbelloni. Cohortes amplius viginti erant: quarum deinde aliquæ ex Serbellonianis ad Imum castrum remissæ fuerunt. Qui die Sabbathi Curiam venerunt, in suburbio pernoctarant. Quarum Locumtenens, Ludouicus Monachus, ciuis Curiensis, Rhetigoiis amicus, ad pontem Richenouiæ profectus, voluit, vt intempesta nocte in suburbium Curiæ venirent: ipse, cum aliis fidis suis, pontem occupare, & asseres inde tollere, constituerat, vt aditus hinc inde occlusus esset: sicque Hispanos ex itinere, & pluuiis defessos opprimere possent. Sed Abbatiscellanorum capitaneus imbrem prætexens, proficisci recusauit. Comes Joannes Serbellonus, cum maiori parte legionis suæ, in Comitatum Clauennæ venit.

Die Lunæ, IX. Maij, Austriaci dragones ex oppido Maiævilla erupere, vt Malansianis ex loco Banx, armenta abigerent. Sed à Rhætis repressi, duo scloppettorum ictibus, & vnus à pastoribus fustibus, interfecti fuere. Die Martis sequenti, Rhæti per pratum, Pratafantum dictum, se ad riuum molatrinæ contulerunt, atque fossa ducta eum, ne amplius molere possent, deriuarunt. Adhæc vallum in ora syluæ, quæ sylua Domini vocatur, duxerunt, & ducentis militibus id firmarunt. Quod cùm Austriaci ex campanili & speculis cernerent; ex vrbe erumpentes, ab hora sexta matutina ad primam pomeridianam vsque certarunt. Sed à Rhætis victi, & quindecim ex eis (Austriaci tantùm quinque affirmant) cæsi fuere: duoque capti. Ex Rhetigoiis duo, Nicolaus Gasnerus, & Jacobus Thammus propè molatrinam occisi fuerunt. Austriaci mox iterùm aperto signo militari, cum totis ferè copiis vrbe egressi, centum & quinquaginta arbores fructiferas sub vrbe strauerunt, quibus, fossa iam facta, alueum Rheni ad molam deducere conati sunt.

Et

Et ſanè via tecta ad molam peruenire poterant: ſed Rhæti crebris ſcloppettorum ictibus in opere eos retardarunt. Quocirca, ſtratagemate inuento, veſtes viriles & muliebres ciuium Maiævillanorum Auſtriaci milites aſſumpſerunt, vt Rhæti ita ſibi parcerent. Et ita ſanè euenit. Nam cùm ex vrbe cum ligonibus & bipaliis Rhætico habitu induti venirent; Rhæti ciues ad operam coactos eſſe autumabant. Nihilominùs aqua deduci non potuit. Quare, cùm iam farinæ, & conſequenter panis penuria in oppido laborarent: lapidem molarem in caſtrum deduxerunt, atque binis rotis præaltis, quæ pedibus ſubactæ in gyrum voluerentur, confectis, penuriæ remedium excogitauere. Sed ſingulis diebus quinque tantùm quartaria, vnde panis vix centum militibus ſufficiebat, molere potuerunt. Proinde gregarij milites ſiliginem, quæ parcè ipſis ſubminiſtrabatur, lapide conterebant: alij illam coquebant. Atque fames tam militum quàm ciuium magna erat.

Capitaneus Florius Buolius, Scanauicanus, ex Heluetia etiam in patriam redierat. Cumque ſibi Scanauicani à Baldirono & Hiſpanis valdè timerent; infra pagum Maladrium, qui horæ itinere ſupra ciuitatem Curienſem ſitus eſt, in anguſto tranſitu, Saxum vocant, ſe aliquantulum communiuerunt, locumque aliquibus viris cum fuſtibus ibi collocatis, firmarunt. Baldironus, re cum Hiſpanis communicata, die Mercurij, XI. Maij, milites in tres manipulos diſtribuit. Blaſius Hartnerus, qui Saliſburgenſium Præfectus vigilum erat, ducentos ex ſuis per montem, Mittenberg dictum, deduxit, vt Scanauicanos à vertice inuaderet; qui exiguas Scanauicanorum excubias diſturbauit. Alterum manipulum, qui trecentis ex legione Pecchiana conſtabat, capitaneus Galeatius Trottus rectà verſus aggeres Scanauicanorum duxit: quem pauci illi Scanauicani cum fuſtibus ſuis (nam pars maior periculum nullum ſuſpicata domum ad arandos agros abiuerant) fortiter per tres circiter horas ſuſtinuere. Capitaneus Trottus in brachio, & crure fuſte læſus fuit. Sed cùm Hartnerus iam à ſummitate ipſis immineret; pauci, qui adhuc ſupererant, Scanauicani ex pugna ſe ſubduxerunt. Viginti duo Scanauicani, plerique

Maladrienſes, deſiderati fuere: præterea mulieres, & infantes octo in inuaſione pagi, quem hoſtes combuſſerunt, occiſi: templum etiam, vtut Catholicam Religionem ibi exercerent, incenſum; campanæ Curiam deportatæ, atque ea die Maladrio, & ex pagis vicinis, armenta circiter octingenta abacta fuerunt. Ex hoſtibus quinque perierunt. Tertium manipulum Martinus à Camenis, Rhætus, & capitaneus Felix Rocchus, Neapolitanus, (hi erant ducenti Neapolitani) per Pradam ab altero Pleſſuræ latere, ducebant. Pradenſes, & Tſchierſenſes, loco commodo, in Steinbach, in excubiis erant, & hoſtes facilè arcere potuiſſent. Sed Martinus, habito colloquio cum vno qui Tſchierſienſibus præerat; atque promiſſa impunitate, ſi tranſitum concederent, vt ab armis diſcederent illis perſuaſit. Ita Neapolitani Quatuorpagos in Valle Scanauicana, Luenium, Molines, Calfreiſam & Caſtellum, in cineres redegerunt. Baldironus Curiæ in ponte ad portam ſuperiorem ſtabat cùm Maladrium incenſum fuiſſet. Quem, cùm ex primarijs ciuibus aliqui ſuppliciter rogaſſent, vt militem ab incendio reuocaret; tandem annulum, quo epiſtolas obſignare ſolebat, de manu detraxit, vt milites ſuæ voluntatis ſignum cognoſcerent, & ab incendio deſiſterent. Sed ficta res, procul dubio, fuit. Nam per omnia ſacramenta iurauerat, ſe velle, vt pagus ad S. Petrum, vbi Caſparus Caluus interfectus fuerat, in cineres redigeretur. Ex copiis etiam litterarũ Camilli del Monte, quas ad Ducem Feriæ ſcripſit (eas deinde Curiæ in hoſpitio ipſius Camilli inueni) ſatis apparebat, iuſſa primariorum ducum fuiſſe, vt omnia comburerentur. Nam, inter alia, ait: Omnia in Valle Scanauicana combuſta, & nulli hominum veniam factam fuiſſe; hocque ſpectaculo ciues Curienſes, qui nullos exteros milites admittere voluerint, territos eſſe, vt iam mitiores facti, aliam linguam loquantur. Laudat ſummoperè induſtriam, & fidelem operam Martini à Camenis. Die ſequenti, Iouis, duo pagi, ad S. Petrum, & Paicum, etiam igne abſumpti fuere. Milites omnes magna præda onuſti ſub noctem ex Valle abierunt: quos, ſi incolæ vires aliquantum collegiſſent, atque auxilia Rhetigoiorum citiùs adueniſſent, facilè, quippe propter

prædam

prædam plerique arma abiecerant, profligare potuissent. Sed omnes ad montana confugerant: atque pagum quoq; Peistum deseruerant. Attamen nec hostes, qui sibi à Rhetigoiis timebant, eousque progressi sunt. Portenta, & præsagia multa hanc Austriacorum & Hispanorum inuasionem denunciarunt. Anno M.DC.XIX. mense Octobri, in pago Jenatio, in Rhetigoia pisces barbati, mystaces longas habentes, capti fuere: quæ res insolita, nec priùs in flumine Langaro visa. Concionator Casparus Bonorandus, senior, statim explicuit, militem exterum per eos denotari. Anno M.DC.XX. nocte Natalem Domini nostri Jesu Christi antecedente, in pago Maladrij, aliqui murmur ingens audiuerant, ad instar multitudinis alicuius Italica lingua inter se colloquentis. Incolæ suspicati fuerant, mendicos Campodulcinenses armẽta ex stabulis, quæ infra pagum erant, furari velle: sed postea animaduerterunt, rumorem illum versus pagum Pradam è regione esse; nempe in eis ipsis locis, quâ Neapolitani postea transierant. Alia alibi visa & audita: quæ singula recensere nimis longum foret. Scanauicani, toti consternati, Antonium Schmidium, Ministralem Vallis, ad Baldironum die XIX Maij miserunt, rogantes, vt posthac sibi parceret, atque obedientiam omnem spondentes. Baldironus, vt omnia arma Curiam, atque sex insuper obsides mitterent, atque deinceps nec verbis, nec factis, contra augustissimam domum Austriacam aliquid machinarentur: præcipiens, si hæc præstarent, vtut sine voluntate Principis plenam veniam ipsis concedere non possit, promisit, se boni intercessoris officio fungi velle. Jamq; intra tres dies Scanauicani obsides tradere tenebãtur. Hãc responsionem, quamuis duram, & ancipitem, delegati Scanauicanorum acceptarunt. Cæterùm, cùm iam obsides Curiam mitterent; superuenere, per proximum interiacentem montem, ducenti Rhetigoij, qui obsides in itinere interceperunt, prætereáque Vallem communiuerunt, vt posthac ab hoste tentata non fuerit. Scanauicani postea aliquos ex suis in Molinæram, & ad Cliuum S. Lucij ad Rhetigoios miserunt. Baldironus à Curiensibus tormenta maiora, ex quibus aliqua Trium Fœderum ex æquo erant,

extorſit, eoſque inſtigauit, vt aliquos delegatos (inter quos capitaneus Andreas à Salis erat) Jeninſium in Dominium Maiævillanum, ad Conſilium bellicum mitterent. Inſtructionis ſumma erat: Rhetigoij ſtatim arma deponerent: ex Quatuorpagis, & Dominio Maiævillano diſcederent: & pacem potiùs, quàm ſeditionem ſequerentur.

Hi vires Regis Hiſpaniarum extollebant, atque Auſtriacorum, & innatam Principis Leopoldi clementiam, prædicabant. Sed Conſilium bellicum nec arma deponere, nec caſtra deſerere voluit: pacem verò ſummopere ſe expetere teſtatum eſt. Quòd autem tyrannicas Auſtriaci militis actiones attinet; non obſcurè, ſe eas non minùs morte ipſa deteſtari, ſignificarunt. Conquerebantur de Curienſibus, quòd cùm eandem Religionem ſecum profiterentur, prætereaque indiſſolubili fœdere ſibi ſociati eſſent, ſe à tyrannide non ſolùm non vindicarent; ſed hoſti inſuper tormenta maiora, quæ ex parte Rhetigoiorum etiam ſint, conceſſerint. Curienſes autem, ſe non ſui iuris eſſe, propter multitudinem militis, ſatis innuebant. Sub id tempus Bartholomæus Planta, Rhætij Dominus; Martinus à Camenis, aliique, aſſumpto numero Hiſpanicorum, & Auſtriacorum militum, pontem Richenouiæ occupare conſtituerunt: cumque Martinus Curia exiret, minitatus fuit, Taminium, natale ſolum ſuum, incendio perditurum. Sed, cùm ad pontem veniſſent, Abbatiſcellani, Taminiani, & alij, pontem iam abruperant, & ſe communiuerant, atque hoſtium impetum fortiter ſuſtinuerunt: qui proin, re infecta, Curiam reuerſi ſunt. Baldirono occupatio Haldenſteiniani dominij, & tranſitus, maximè neceſſaria videbatur: nam ita ſperabat ſe poſſe etiam Vatio inferiori, & ponte Rheni, potiri, ſicque Rhætis omnem aditum ex Heluetia præcludere. Itaque, nauiculis, & ratibus nonnullis præparatis vt Rhenum ſuperare poſſet, die Veneris, XIII. Maij, ipſe, & Camillus del Monte, cum copiis Malanſium venere. Sed flumen admodum rapidè fluebat: adhæc, qui Haldenſteinij in præſidio cum incolis erant, ex aggeribus ſuis, ad ripam Rheni, ſtrenuè ſe tuebantur: cúmque iam aliqui milites ad ripam appuliſſent, repulſi tamen fuere: qui catenam tenebat, interfectus,

terfectus, & aliqui vulnerati fuerunt. Ac quamuis Baldironus verbis & verberibus militem cogeret; nemo tamen rapiditati fluminis se committere ausus fuit. Sub vesperam ergo, cùm præterea duos alios milites amisisset; Curiam, re infecta, redijt. Die Mercurij, XVIII. Maij, Rhæti, infra Cliuum S. Lucij, vigintiduos equos in pascuis nacti sunt, & in castra deduxerunt. Die Veneris, XX. Maij, aliqui Maiævillani, qui in castris erant, equos aliquos Austriacorum in pratis adepti sunt. Et cùm fœliciter hoc cessisset, eadem die etiam alios equos præsidiariorum Maiævillanorum, vt iam triginta essent, acquisiuerunt. Ut hoc in effectum dare possent; Maiævillani viginti ex suis miserunt, qui pastores (erant hi Austriaci milites) summo manè à tergo aggrederentur: hos quum ad fugam compulissent, in vrbem auxilia petitum properarunt. Maiævillani interim post murum latitabant: cumque hostes vrbe egressi essent; in insidias inciderunt, atque scloppettorum ictibus ita fuere excepti, vt per aliam viam in vrbem redire coacti fuerint. Sed mox maiori numero militum vtrinque accurrentium pugna redintegrata fuit. Viginti tres ex hostibus cecidisse dicuntur: vtut Austriaci septem tantùm desideratos fuisse affirment. Hostes in recessu tres domos & vnum torcular combusserunt. Domus equitis Vespasiani à Salis, Salinecca dicta, incensa quoque; sed ignis à Rhætis restinctus, & domus, quæ propè oppidum erat, occupata fuit. Ex ea, quippe spatiosa & munita, Rhæti hostes in oppido multùm infestare potuerunt. Die Jouis antecedenti, XIX. Maij, Hispanici, & Austriaci aliqui equites, versus Molinæram profecti sunt: vbi tum leui velitatione certatum fuit: nam speculandi gratia tantùm exiuerant.

Die sequenti Veneris, XX. Maij, Baldironus, & Camillus del Monte, cum toto exercitu Hispanico, & Austriaco, assumptis quatuor tormentis maioribus bellicis, in campum apertum ad Molinæram venerunt, multosque rusticos ex Dominio Rhætiensi, Corvantiorum, & Aluonouanorum iurisdictione, secum pro fossoribus adduxerunt. Baldironus, tibicine statim ad Rhetigoios misso, mandatum sibi esse à Serenissimo Archiduce, vt in Alsatiam exercitum dedu-

ceret,significans,se proinde cum exercitu adesse: iussitque sibi liberum transitum per aggeres, & totum Dominium Maiævillanum,Veldcurium versus concedi. Rhæti,quamuis astum,quo hoc fiebat, aduerterent; tamen transitum in honorem Serenissimi Principis, hac conditione vt gregatim singulis nempe diebus ducenti,transirent, & de damno abundè cauerent,concedere voluerunt. Baldironus verò hoc responso maximè exacerbatus,milites ad velitationem subitò extimulauit,símúlque aggeres construi,& tormenta maiora locari præcepit. Rhæti,cùm hostem iam adeò propinquum haberent, & infestissimis ictibus vexarentur, eum forti animo aggredi statuerunt. Quadringentos versus montem miserunt, qui à parte superiori hostem vrgerent: vbi tum acriter pugnatum fuit. Austriaci enim gnauiter se opposuerunt, & equites Hispanici illis auxilio venerunt. Aliquoties hostes repulsi fuerunt:atque nisi Baldironus,qui se strenuè gessit, cum Salzburgianis superuenisset,in fugam iam versi fuissent. Ab altera parte versus Rhenum, vbi Abbatiscellani, & Quatuorpagici erant, etiam eruptione facta,iam ad tormenta maiora deuenerant. Sed equitatus hostilis aduenit; atque hîc quoque diu dimicatum fuit. Tandem Rhæti,numero hostium victi,ordine seruato ad valla redierunt. Ex hostibus eadie plus quàm centum occubuerunt: è quibus Locumtenens, & duo signiferi Itali fuerunt. Capitaneus Christophorus Treuerus,fustibus grauiter contusus, die sequenti Curiæ obijt. Capitaneus Julius Bregondius, Cremonensis, in genu vulneratus, post decem dies etiam Curiæ mortuus est. Capitaneus Michaël Aspurz,ipsiúsque Locumtenens, necnon Capitaneus Caspar, ex Vicecomitum familia, aliíque Officiales multi, plurimíque milites vulnerati fuerunt: quinquaginta equi, præter suffossos, sauciati. Ex Rhætis, & eorum sociis, quadraginta octo desiderati: inter quos octodecim Igienses fuere: multi præterea vulnerati. Joannes Simon Rhetigoius, se à quatuor equitibus Hispanicis gladio strenuè defendit: ac quamuis in altero brachio grauiter vulneratus esset; vnum tamen ex eis occidit,& alios tres in fugam egit. Baldironus, cum castris, aliquantum recessit, & loco, Via

cauaı

caua dicto, aggeres extrui curauit: vbi in opere Rhætiensis quidam rusticus à Rhætis occisus, & aliqui vulnerati fuerunt. Hispanos tunc risisse, atque dixisse ferunt, hunc verum delendi rebelles modum esse, vt alter alterum occidat. Die Sabbathi sequenti, cùm iam castra in Via caua imposita essent, Camillus del Monte ibi remansit; Baldironus verò interim etiam in vrbem, vt eam in fide retineret, comeauit. Aliqui Steigeriani rudera castri Aspermontani superioris, quod recta linea Vallo Rhætorum, quod iam à Rheno ad montem vsque perductum erat, imminet, superarunt, & Rhætos inde depulerunt. Inde deinceps multum molestiæ Rhætis intra valla dederunt. Sed post duos dies, cùm summo nisu rupem Rhæti superassent, lapidibus proiectis, Austriaci loco pulsi fuerunt, & duo ex ipsis præcipitio occisi. Intra valla Rhætorum, Christianus ille Matthias Contrensis, cuius antea mentionem fecimus, & Joannes de Antoniis, Lacupratensis, qui peritissimus scloppettarius fuerat, & aliquos ex hostibus prostrauerat, ex castris hostium scloppettis petiti occubuerunt.

Austriaci, qui sub Cliuo S. Lucij erant, quibúsq; iam loco Raitnoueri Gaudentius Corettus iussa dabat (hi erant quatuor cohortes ex legione Comitis Alluici à Sulz, quæ modò ex Alsatia venerāt; quibus præfecti, Locumtenēs Colonellus Michaël Altmanshauserus; item capitanei, Offenburgerus, Pollschvilerus, & Zindius: aderat præterea capitaneus Franciscus Franzinus. Jamque etiam aduenerant Ciurlettus Bertholdus, & Ejerlinus) die Sabbathi, XXI. Maij, ex composito cum Baldirono (exploratoribus nempe hinc inde semper omnia referentibus) tres cohortes, Ejerlini, Bertholdi, & Franzini, ipso diluculo ad superandum montem Faliscensem miserunt. Porrò in monte illo septuaginta milites ex Cœnobianis, quibus frater meus signifer Conradus Sprecherus præerat; & Castrensibus, quos Christianus Puzius regere debebat, collocati erant. Cœnobiani primi ab hostibus tentati, eos fortiter represserunt, atq; decurionem (caporalem) tresque alios ex hostibus occiderunt. Ab altera parte Castrenses à tergo ab hostibus petiti fuere, qui numero superati recesserunt. Sed cùm adhuc aliqui in peri-

culo essent, Puzius fratrem meum compellauit, vt impetu in hostes facto, suos periculo eximerent. Proinde frater meus, gladio maiori armatus, primus in cursu cùm fuisset, pila tormentaria sub mammilla dextra trāsuerberatus fuit: animo tamen non defecit. Fortunatum nepotem, vt se ex monte deduceret compellauit, atque deinceps nocte sequenti, ad pontem Rheni, deficientibus paulatim ex ingenti sanguinis effusione viribus, placidè animam Deo reddidit. Antè mortem astantes ad pietatem, concordiam & defensionem patriæ exhortatus fuit. Octo alij in monte ex Rhætis occubuerunt, in quos hostes crudeliter sæuierunt. Unum adhuc viuum excoriarunt, atque dextram ei deinde abscissam aperto stomacho infixerunt. Dum isti montem occupant, Dux primarius Corettus, cum reliquis copiis, mille nempe & quingentis militibus, ad Cliuum S Lucij tendit. Sed fortiter repressus, atque Dux ipse Corettus sub auricula pila tormentaria vulneratus, aliqui ex hostibus occisi, alij vulnerati fuere. Austriaci iam in ea parte montis, quæ Crestig dicitur, aggeres, & casas militares erexere, vexilla sua, vt ab omnibus cerni possent, in altum sustulerunt, tripudiis dicteriisque nostris insultarunt, deniq; ignem artificiosum, ostentationis ergo, emiserunt. Obsessi in vrbe Maiævilla, igne lætitiæ excitato, ipsis respōderunt. Michaël quinetiam Saxerus, Heluetius, Abbas Fabariensis in monasterio suo, quod è regione in monte situm est, idem faciebat. Porrò in castra Rhætorum ad Maiævillam aliqui milites ex agro Tigurino & aliis locis, ductoribus Josepho Verdmyllero, Joanne Vilhelmo Stapfero, & Andrea Steinero, clam aduenerunt. Sic etiam Glaronenses multi aduentarunt, qui ad Molinæram missi fuerunt. Iis præerant Thomas Schmidius, Henricus Schussius, Daniel Beldius, atque Casparus Heerus, qui cum Joanne Loriento, Rhetigoio, Castrensium cohortem ducebat. Postea quoq; Joannes Melchior Martinus accessit. Die Lunæ, XXIII. Maij, sexcenti Austriaci per semitam Ludis dictam, & syluam Inannam, ex monte Faliscensi descendunt, atque eodem ferè loco vbi ante, in nouellis, inquam, vineis, sed aliquantùm propiùs ad montem, subsistunt, aciémque suam instruunt.

ſtruunt. Faliſcenſes ſtatim tres ex ſuis,vnum ad Cliuum S. Lucij, vbi Dauoſiani, Rhetigoij; alterum, Rouenum, vbi dux primarius Rodolphus à Salis; tertium Salineccam, vbi Heluetij & Maiævillani erant, mittunt. Conſilio habito, Cœnobianis,Caſtrēſibus,& Acerianis cuſtodia ad Cliuum S. Lucij committitur: & in vallo, & aggeribus ante vrbem excubiæ diligenter diſponuntur, qui ſcloppetta continuè exonerabant,vt obſeſſos exitu prohiberent. Dux verò primarius Rodolphus,ducentos & quinquaginta ſeligit,atque hoſtibus verſus Faliſcum obuiam it. Cùm his ad hoſtem veniens, in genua deuolutus, preces fundit: iterúmque ſurgens,ſummo impetu cum ſuis in hoſtes fertur. Hoſtes,qui omnes ſelectiſſimi ex Auſtriacis erant, & loco commodo ſtabant, fortiter ſe primò opponunt. Tandem ex noſtris aliqui à Faliſcenſib. viarum gnaris ducti,crepidinem montis ſuperant,indéque hoſtes ſaxis proiectis depellunt,atque in eos irruunt: ſicque victi Auſtriaci in fugam aguntur. Capitaneus Ejerlinus, à Chriſtiano Senthio, Maiævillano, in ſylua ſolus inuentus, ſtatim arma depoſuerat, vitámque ſaluam petierat: ſed à ſuperuenientibus militibus in primo furore fuſtibus occiſus fuit. Occiſi quoque fuere tres Locumtenentes Auſtriaci, inter quos Gelzerus etiam ille Neukilchianus Heluetius fuit, qui antea die Dominica, VIII. Maij, Liechtenſteinij iuramentum præſtiterat,de armis contra Rhætos non ampliùs ferendis. Præterea cecidere duo ſigniferi, & octo officiales alij, atque milites gregarij humi exanimes inuenti: multi in Rheno ſuffocati: multi vulnerati,inter quos Pancratius Streiffius,Locumtenens Bonifacij Bertholdi, fuit. Auſtriacos in ſylua, & præſertim iuxta ſemitas, aliquas arbores penè incidiſſe, aiunt, quas poſtea pro libitu ſternere poſſent. Ex his quercus vna ſuper tres Auſtriacos in fuga cecidit,vnumque obtriuit:reliqui duo fuſtibus occiſi fuere. Ex Rhætis ſolus Victor Belinus,Dauoſianus, globo tormentario per caput acto, in pugna occubuit: tredecim vulnerati fuere: ex quibus deinceps Caſpar Stupanus, S.Theologiæ ſtudioſus, ex vulneribus deceſſit. Dum ad Faliſcum pugnatur, Auſtriaci, cum reliquis copiis, inſtructa acie, vt Rhætos in diuerſis locis di-

ſtractos ſuperare poſſent, verſus Cliuum S. Lucij tendunt, & montem proximum, vt inde aggeribus potiri queant, ſuperare tentant. Sed à Rhætis, qui per aſcenſum montis diuerſas foueas parauerant, eáſque ſaxis miſſilibus impleuerant, atque in vna quaque duos moſchettarios abſconderant, cum damno repelluntur. Qui per viam verſus aggeres tendebant, eodem modo excepti fuerunt. Auſtriaci quatuordecim, inter quos Locumtenens quidam, qui ipſorum ductor fuerat, ceciderunt; multique vulnerati fuerunt. Ex noſtris, vnicus Rhetigoius ſauciatus fuit, qui deinde ex vulnere obijt. In ipſo ardore pugnæ tres parelij in cœlo viſi fuerunt: quod fauſti ominis ergo Rhæti exceperunt, nempe, tria Fœdera fœlici nodo iterum coalitura.

Interim in Molinæra continuis ſcloppettorum diſploſionibus res vtrinque agebatur. Rhæti tandem cognouere, quòd, ſi hoſtes à ſummitate montis impeterentur, loco pelli poſſent. Reſciuerunt etiam, Baldironum plerumque ſe Curiæ continere. Septingentos ergo ſelectos, Rhetigoios pleroſque, ductoribus, Stephano Thiſio, Joanne Jouchio, Joanne Loriento, Caſparo Heero, & Miniſtrale Martino Michaële, nominant. Hi, die Mercurij, XXV. Maij, ſub noctem Rhetigoiam ingrediuntur, vt die ſequenti ipſo diluculo ex Valle-ſana, per proximum montem Stampfs, hoſtes ex Molinæra pellere poſſint. Accidit autem vt dies illa Jouis, XXVI. Maij, in feſtum Corporis Chriſti incideret, proindéque Baldironus cum multis aliis Curiæ eſſet. Adhæc, ipſo veſperi antecedenti, ciues Curienſes in domo Joannis Valſeri, qui Præfectus vrbis vigilum erat, congregati fuerant, vt ibi de cuſtodiis diſponendis (nam ciues ipſi quoque ſuas excubias agebant) deliberarent. Hos cùm capitaneus Antonius della Scaza, Neapolitanus, cum armis conuenire videret, ſuſpicionem ſtatim de aliqua cum Rhetigoiis colluſione concepit: ſtatímque tantum perfecit, vt equites & pedites aliqui in vrbem noctu vocarentur. Rhæti, die condicto, ſed non ſatis tempeſtiuè, in caſtra hoſtium irruerunt. Equites plerique ſuos equos, detractis frænis, in paſcuis reliquerant. Sed cùm Rhætos à longinquo cernerent (nam incuria cuiuſdam militis Aceriani ante tempus ſe oſtentauerant,

uerant, putauerantque Jouchium iam pugnam inchoasse) ad arma protinùs vndique conclamatum fuit, multíque ex hostibus, conuasatis rebus, ad fugam se parauerunt. Sique tunc illi, qui ad aggeres ex nostris erāt, erupissent; magnam stragem edere potuissent. Verùm satis lentè, territi periculo antecedenti, egressi sunt. Equitatus hostilis se ad prælium quidem parauit, & equus Camilli del Monte sub eo confessus fuit; sed peditatus celeri fuga ad vrbem Curiam festinauit; quos etiam equites statim secuti sunt. Atque tam effusa vltimò pugna fuit, vt, cùm per portam inferiorem vrbis non omnes simul intrare possent, aliqui citatis equis ad superiorem se contulerint. Ex hostibus in hac pugna quinquaginta duo ceciderunt, & multi vulnerati fuerunt. Rhæti duo tormenta campestria, quorum vnum crepuerat, aliquos moschettonos, & multa alia arma, & trecentas pecudes nacti sunt. Ex nostris aliqui hostes ad portas vrbis insecuti sunt: atque alij versus montem Mittenberg se contulerunt; aliqui in proximis propè vrbem vineis, contra Capitaneorum iussa, nullis seruatis ordinibus, dispersi substiterunt. Capitaneus ergo Keiserus, cum Salisburgianis qui in vrbe remanserant, sub vesperam ad velitarium certamen egressus est. Ex Rhætis duodecim in vineis desiderati fuerunt: reliqui ad exercitum qui Masansij erat, redierunt, quò etiam ex monte Mittenberg, qui eò ascenderant, nocturno tempore venerunt. Ex Salisburgianis tres ceciderunt. Masansij statim vallum à Rhætis duci cœptum fuerat, atque ea vespera ibi castrametati sunt. Sed, cùm nec oppidum Maiævilla, nec Imum castrum in Rhætorum potestate esset; à Duce generali ad valla in Molinæra ipsa adhuc nocte reuocati fuerunt: vbi hostium aggeres solo æquarunt. Interim Maiævillæ nostri obsidionem vrserunt. Obsessi, die Sabbathi, XXVIII. Maij, cùm antecedenti die ad valla Rhætorum, quæ ad syluam Domini ducta erant, speculandi gratia deuenissent, & paucos milites ibi vidissent; pagum Jeninsium comburere statuerunt. Sed modò aliqui Heluetij ex cohorte Josephi Verdmylleri, Tigurini, ad valla venerant. Austriaci egressi se Rhetigoios, atque amicos fingebant, & stationarium militem scloppet-

tarium Heluetium Austriacus quidam bipenni armatus in manu vulnerauit, consertísque manibus alter alterius arma nactus est. Hostes cum damno repressi fuerunt. Subsignifer, qui eorum ductor fuerat, cum quatuor aliis interfectus fuit: octodecim, inter quos Bartholomæus Adolphus Mherus in fronte, vulnerati fuerunt. Mors huius subsigniferi, strenui militis, Austriacorum animos maximè fregit. Nam quamuis sequenti die etiam vrbe egressi essent; tamen valla aggredi non ausi sunt. Eadem die Dominica tormẽtum campestre, quod in Molinæra hostibus ereptum fuerat, commodo loco positum in vrbem Maiævillam exoneratum fuit. In castro Maiævillæ, tædio, & morbo capitaneus Christophorus Pratius, qui summæ rei præerat, consumebatur: cumq; iam noctu aliquoties aliquos ex suis cum aliqua suppellectile per lintres secundo Rheno Baltzerum vsque misisset: nullum tamen responsum recipere poterat. Comes Casparus ab Alto-Amisio, qui se neutralem in hoc bello declarauerat, Philibertum Rignoultum Brossvalderum, suum castri Vallis-Dulcianæ Præfectum, ad Rhætos mittere statuit. Atque iam obsessi quoq; de deditione agentes, liberè cum armis, omnibúsque impedimentis & explicitis signis, discedere petierunt. Modò etiam nuncium in castra Rhætorum perlatum fuit, quatuor illas equitum turmas, legionésque, Neapolitanam & Joannis Medicæi, ex Alsatia versus Veldcurium redire. Et verò etiam eò venerunt. Sed cùm Maiævillani præsidiarij iam se dedidissent; & hi, exemplo aliorum territi, versus Cliuum S. Lucij proficisci detrectarunt; adeoque per montem Arelam in Vallem-Monasterij, Bormium, & in Vallemtellinam, missi fuerunt, indéque aliqui postea Pesclauium vsque peruenerunt.

Die Martis, vltima Maij, duo Fœdera, instinctu Baldironi, Legatos, inter quos Ministralis Joannes Berchterus, Disertinensis; & capitaneus Andreas à Salis, fuerunt, Jeninsium ad Rhætos miserunt: quò etiam venit Interpres Regius Antonius à Molina. Hi Rhætos ad inducias acceptandas exhortati sunt. Baldironus autem interim copias ex Alsatia adduci posse sperabat. Legati hi spem certam faciebant, Decem Jurisdictiones iterũ pro fœdere receptum

iri.

iri. Reſponſum hi idem, quod priùs, accepere, vt nempe, milites Auſtriaci exteri ex Rhætia prius diſcederent; tunc ſe omnes pacis honeſtas conditiones acceptaturos. Ita Legati die ſequenti Curiam redeunt.

Die Mercurij, Cal. Junij, interuentu dicti Broſſvalderi, cum Auſtriacis Maiævillæ ad ſequentes conditiones ventum fuit: Ut Auſtriaci milites explicitis ſignis, atque cum armis, omnibúſque impedimentis, liberè diſcedere poſſent: hac exceptione addita, ſi priùs conſtiterit, quòd ciuibus vtriuſq; ſexus, nec in vita, nec in honore, aut bonis, aliquod damnum intulerint. Proinde aliqui ciues ex vrbe accerſiti, qui non de alia iniuria, quàm quòd à militib. ſemper noctu caſtro, exceptis primoribus aliquibus, incluſi fuiſſent, conqueſti fuerunt. Pactum etiam fuit, vt quam prædam nacti eſſent, in vrbe relinquerent. Die itaque ſequenti Iouis, cùm Capitaneus Pratus, nomine omnium, Capitaneo Jouchio, ſtipulanti nomine Rhætorum, promiſiſſet, ſe cõtra Rhætos in poſterum arma nunquam laturos, octingenti & quinquaginta milites, atque mulieres militum centum quinquaginta ſeptem per Cliuum S. Lucij ex Dominio Maiævillano diſceſſerunt. In vrbe inuenti ſunt moſchettones (ſpingardos alij vocant) aliqui maiores, & tormentum vnum campeſtre, quod anno præterito, cùm ab Heluetiis in Cliuo S. Lucij diſploderetur, aliquantùm ab interiori parte concrepuerat: ſed iterùm ab Auſtriacis adaptatum fuerat, vt eo vti potuerint. Salis item & frumenti in caſtro copia erat. Hac ipſa die, ſub noctem, Matthias Ruffrieus, Griſæus Rhætus, qui, nomine Caſpari à Schauenſtein, præfecturæ Maiævillanæ præfuerat, ab aliquibus in vrbe occiſus fuit. Accuſabant ipſum Maiævillenſes, quòd ciues malè tractauerit, & omnia Auſtriacis indicauerit; puluerem etiam nitratum, qui defoſſus clam erat, Auſtriacis impertiuerit. Conſilium tamen bellicum factum hoc ægrè tuliſſe, ferunt. Iam Bartholomæus Planta, Rhætij Dominus, Martinus Camenis, & alij aliqui Rhæti, qui Curiæ cum Baldirono erant, rebus ſuis diffiſi, Clauennam, Volturenam, indéque Velcuriam abiuerunt. Camenis ſolus Clauennæ Baldironum exſpectauit. Die Martis, VII. Junij, tres Auſtriaci milites, à

Baldirono, vt dicebatur, emiſſi, vt pagum Trimontium comburerent, capti, & Jeninſij, iuſſu Conſilij bellici, ſcloppettis interfecti fuerunt. Tres item alij milites Auſtriaci Tirolenſes, ſe ſubduxerant ab aliis Auſtriacis; cùm Maiævilla exirent, & per alpes domum velle ire dicerent, ſed à Lacupratenſibus, vti perſonæ ſuſpectæ in montibus inuenti, duo à mulieribus occiſi fuere.

Deinceps iam de Imo caſtro, & vrbe Curia, deliberatum. In præſidio ad Cliuum S. Lucij Joannes Jouchius, & Joannes Vilhelmus Stapferus, collocati fuerunt. Die VI. Junij, Jo. Petrus Gulerus, cum cohorte ſua, & collectis aliquibus Rhetigoiis, per Rhetigoiam, & Dauoſium, ac iuriſdictionem Aluonouanam, quæ in fœdus & fidem iterum iam recepta fuit, ad obſidendum Imum caſtrum proficiſcitur. Ab altera parre, per Tumiliaſcam Stephanus Thiſius, cum cohorte ſua, & aliquibus Cathedralibus, per proximum montem verſus Muttam etiam eò venit. Hi obſidionem vtrinque vrgentes, die Mercurij, VIII. Junij, dato vtrinq; ſigno, vallíſque promotis, & occupatis locis eminentioribus, iam ad impetum faciendum ſe parauerant. Hoſtes verò tota quoque nocte in vallo ducendo occupati fuerant, & aliquos ex ſuis amiſerant.

Cùm verò de deditione interpellati eſſent; non abnuerunt, ſed cum armis & impedimentis ſuis liberè dimitti petierunt. Die ergo Jouis ſequenti, cùm Rhæti, qui non ſeptingentis plures erant, cognouiſſent hoſtem Curia Malixium vſque perueniſſe; liber diſceſſus cum armis, & impedimentis ipſis, Clauennam verſus permiſſus fuit. Hi fuerant triginta quinque equites, & ſeptingenti pedites, quibus præerant Joſephus Oſius, Centurio maior legionis Serbellonianæ (qui poſtea, ob inopinatam deditionem, Clauennæ à Comite Serbellono captiuus factus fuit) Joannes Jacobus de Curte, eques Melitenſis, Jacobus Stanga, Jo. Antonius Magiolinus I. V. D. & Franciſcus Vernaccia. Frumenti, & vini non exigua copia ibi inuenta fuit. Parùm etiam abfuit, quin Commiſſarius quidam Hiſpanicus extra pagum cum pecuniis captus fuiſſet. Rhæti litteras Joſephi Oſij, quas Curiam miſerat ad Baldironum, vt ab eo ducentos auxiliarios

liarios reciperet, interceperant: quod cùm ipse resciuisset; faciliùs ad pacta deuenit: nam iam vrbem quoque Curiensem obsidione cinctam esse ipsi persuaserant. Adhæc nostri quoque litteras Baldironi ad Consiliarios Oenipontanos, ad Stredelium, & ad vxorem ipsius directas, Lantij interceperunt. In Stredelianis, inter alia, conquestus fuit de penuria pecuniarum, & quòd terram ipsam, vbi valla construere velit, caro pretio emere cogeretur: atque de abitu iamdum cogitans, Diabolum inclamabat, si quo metu terreretur; verùm nulla prompta auxilia comparere dicebat, & proinde se impedimenta, & pulverem tormentarium versus Engadinam mittere velle. His addebat, Se vix credere posse, quòd duo potentissimi Principes passuri sint, vt hæcce facta quatuor agrestes (Rhetigoios innuebat) inulta ferant.

Die Martis præcedenti, VII. Junij, Hispanici, & Austriaci, Malixium versus tenderunt, vt iurisdictionem Coruantiorum deprædari, & obsessis ad Imum castrum auxilio venire possent. Sed à Coruantiis, quibus aliqui Rhetigoij ex valle Scanauicana adiuncti fuerunt, bis térve in pratis prope ædem S. Hilarij, quæ proximè supra Curiam est, repulsi fuere. Tandem, nocte iam ingruente, cùm hostes totis viribus institissent; Coruantij, numero longè impares, loco cesserunt, & ad montana se contulerunt. Ex hostibus vndecim interfecti, & multi sauciati fuerunt. Ex Rhætis quinque occubuere; è quibus fuit Huldricus Buolius, Senator Coruantius. Simonem à Salis, ciuem Curiensem, eiúsque filiam ægrotantem, cum ancilla, Hispanici milites in monte occiderunt, & ipsius ædes ad Saluatorem propè vrbem Curiam combusserunt. Malixium vsque hostes ascenderunt, atque ædes illas paucas, ad Stabulum, & Crucem dictas, duabus exceptis, igne combusserunt. Equites quidam ad Cœnobium vsque Curvaldense penetrarunt. Rhæti, qui ad obsidionem Imi castri fuerant, cum Aluonouanis, & Coruantiis collectis, die Jouis, X. Junij, sub noctem Malixium venerunt, atque Scanauicanis, aliisque, vt Mittenbergum montem nocte sequenti occuparent, iussa data fuerunt. Nostri, ad ædem S. Hilarij, & in proxima sylua, castrametantur, & aggeres tumultuario opere erigunt. Obsessi

Curiæ ad ædes deſtructas S. Antonij, quæ proximæ S. Hilario ſunt, vallum, & aggeres magni laboris duxerunt: patibulum quinetiam, quod in monticulo poſitum eſt, vallo circumduxerunt, ibique Auſtriacum vexillulum oſtentabant. Adhæc ab altera vrbis parte, ſupra caſtrum epiſcopale, in cliuo etiam aggeres extruxerant, atque milite aliquo firmauerant. Præterea ad deſtructum Cœnobium S. Lucij, & S. Stephani templum, quod iam antea ruinoſum, vſque ad medium deſtruxerunt, vallum duxerunt: ad ſtagnum, & viuarium caſtri epiſcopalis omnia communiuerunt: portam vrbis inferiorem, & eam quoque, qua mortui ad ſepulturam efferuntur, aggeribus obſtruxerunt, & diu noctuque in laboribus minimè ſegnes fuerunt. Primarius Dux, Rodolphus Baro à Salis, cum Caſtrenſibus, Acerianis, Quatuorpagicis, cohorte Dominij Maiævillani, quibus deinde ſe etiam adiunxit Henricus de Hartmannis, qui Aluonouanorum, & Coruantiorum capitaneus erat; item cohortes Helueticæ Joſephi Verdmylleri, Tigurini, Thomæ Schmidij (qui tunc Dux primarius legionis Glaronenſis creatus fuit) Danielis Beldij, Henrici Tſchudij, Georgij Kienaſtij, ac Conradi Schuſſij, die Jouis IX. Junij, ex Dominio Maiævillano mouens, ea nocte in Molinæra ſubſtitit, atque die ſequenti, ante lucem, Maſanſium vſque peruenit, ibique vallum duci curauit. Ex hoſtibus tantùm pauci aliqui equites in proximum extra vrbem pratum, quod Quadram Epiſcopi vocant, prodierunt, & mox in vrbem redierunt. Andreas Steinerus, Vicoduranus, præfectus vigilum, cum aliquibus ad proxima ab vrbe torcularia miſſus fuit, vt de hoſtium conatibus cognoſceret. Qui, cùm vidiſſent caſtra ibi tutò locari poſſe; hæc die Sabbathi eouſque promota fuerunt. Hiſpanici, extra portam inferiorem, ædes cuiuſdam figuli combuſſerunt; cumque aquilo vehementer ſpirans fauillas ad vrbem deferret; ciues ægrè vrbem ab incendiis præſeruare potuerunt. Interim per internuncios inter Ducem primarium Rodolphum, & Gulerum, de occupandis aggeribus, qui in cliuo illo ſupra caſtrum epiſcopale erant, deliberatum fuit. Atque negotium hocce nocte diei Dominicæ, XI. Junij, aliquibus militibus, præmio illis promiſſo,

promiſſo, demandatum fuit. Hi, excitato magno clamore, ex monte Mittenberg in aggeres irruerunt; & ab altera parte vrbis Gulerus dato claſſico hoſtes terruit, vt in vrbem ſine armis & pileis auffugerint. Adhæc caſtra paſſim, claſſico dato, circa vrbem perſtrepuere. Deinceps Rhæti in arcenda aqua molatrinarum occupati erant: ſed ruina ex colle proximo prorumpens, aquam obſtruxit, natura iam ipſa cooperante. Tubuli etiam, per quos aqua fontana in vrbem ducebatur, inciſi fuerunt.

Præterea ex aggeribus occupatis Rhæti hoſtes, & in vrbe, & in vallo ad portam inferiorem, vbi inter alios caporalis quidam occiſus fuit, vexarunt. In vrbe Maria, filia Petri de Furno, in capite vulnerata, ex vulnere pòſt deceſſit. Jamque vix quiſquam per vicos vrbis tutus incedebat, ignibus quinetiam artificioſis in vrbem vibratis hoſtes & ciues perterrebantur. Cùm Hiſpanici è ſuis quendam, ex vulnere mortuum, ad ſepulturam in Eccleſiam Cathedralem deferrent; quidam, cereum manu tenens, verſus Rhætos, qui in cliuo illo extra vrbem erant, conuerſus, & digito minitans, O hirci cornuti Lutherani, inclamabat: cumque vltimum verbum, Lutherani, eructaſſet, eo ipſo momento pila tormentaria in os adacta ſauciatus, atque maxillæ, & os ex vulnere ita inflata fuerunt, vt per aliquot dies nihil manducare potuerit. Tempore eodem, cùm iam Hiſpanici in aulam epiſcopalem funus detuliſſent; Hiſpanicus quidam miles, ſe à Lutheranis modò ſecurum eſſe gloriatus, per aurem dexteram pila tormentaria occiſus fuit. Alium caſum admirabilem, qui paulò antè in vrbe accidit, apponere libet. Miles, ex cohorte Galij Neapolitani, extra vrbem ad tegularum officinam Jacobum Hizium, Catholicum, qui in aula epiſcopali alebatur, ſecuri ex manibus arrepta, occiderat. Hic à Camillo del Monte in carceres detruſus, atque ad patibulum cõdemnatus, cùm ad ſupplicium brachiis ligatis educeretur; crucem ligneam, quam geſtabat, capiti ſacerdotis impegit, eique magnum vulnus inflixit; militem quinetiam aſtantem ſauciauit: cúmque iam de furca ſuſpenſus fuiſſet; abrupto laqueo, in terram concidit. Omnes ipſum mortuum putabant: ſed ille mox inſurgens auffugere co-

nabatur. Porrò, quantumuis aliqui pro ipso, quippe qui pœnam constitutam iam pertulisset, intercederent; Camillus tamen, quòd Sacerdotem cruce verberasset, gratiam ipsi impertiri noluit. Ad postem ergo patibuli alligatus, viginti quatuor scloppettorum ictibus transuerberatus fuit: ipseque nihilominus viuus adhuc permansit, & vincula abrupta fuere. Tandem carnifex in terra ipsum, laqueo collo iniecto, vix strangulare potuit. Periculis, quibus in vrbe expositi erant, ingens quoque inter milites victus penuria accessit. Frumentum in aqua coxere; quod ipsum tamen exigua quantitate eis suppeditabatur. Libram carnis equinæ Itali quatuor bacenis emerunt.

Paulò ante, die nempe tertia Junij, Curiæ, Joannes Pontisella, ciuis septuagenarius, obijt. Vir fuit doctissimus, qui compluribus ante obitum annis, distichon epitaphio suo inscribendum, vti suæ prosapiæ vltimus, huiusmodi conscripserat:

Pontisella suæ cecidit lux vltima gentis:
Curia læta tulit: Curia mæsta tulit.

Et verè prophetizauit: nam, ob calamitosum statum vrbs mœsta erat. Camillus del Monte supra modum anxius, iam tum de abitu cogibat; quærebatque ex aliquibus ciuibus, num tutò se per Fœdus Grisæum subducere posset. Cúmq; responsum accepisset, omnes transitus occupatos esse, magis adhuc cruciatus fuit. Baldironus se magis intrepidum demonstrabat. Episcopus, Canonici, & Senatores Curienses, cùm milites etiam de discessu cogitarent, Baldironum, vt ad deditionem consentiret, exhortabantur. Ipse verò hoc maximè obtendebat, rusticos (Rhætos sic vocabat) sibi liberum abitum non permissuros. Quapropter primò capitaneus Andreas à Salis, & Tribunus plebis Erhardus Metgierus, in castra Rhætorum missi, petierunt, vt ab vlteriori conatu contra vrbem porrò abstineretur, & induciæ pangerentur. Idem quoque eodem tempore Joannes Paulus, Interpres Regius Gallicus, nomine Legati Guefferij flagitans, addebat, Legatum perfecturum, vt omnia in pristinum, in ipsa quoque Valletellina, restituantur. His paucis responsum fuit; Quando exteri milites ex Rhætia discesserint,

rint, facturos omnia nostros, quæ æquitati consona sint: cæterùm, cur minùs iam verbis fidant, causam esse, quòd sæpiùs decepti fuerint. In vrbem reuersi deputati, mox iterum ex vrbe redeunt. Ac miles quidem discessum hosti permittere statuit: populares autem Rhæti Baldironum, fomitem & tubam belli, expetunt. Ductores, Austriaci præsertim, in hoc consentire minimè volunt. Proinde nuncij sæpiùs mittuntur, & remittuntur. Tandem Episcopus, Canonici, & Senatus Curiensis, Baldironi maximè precibus adducti, qui præ mœrore vix cibum sumere poterat, iamque nec suo militi satis fidebat, has sequentes compositionis conditiones proposuerunt: Si Baldironus cum reliquis liber dimittatur, se perfecturos, vt Joannes à Porta, Caspar Alexius, Blasius Alexander, & capitaneus Jacobus à Ruinella, Oeniponti detenti, liberè quoque dimittantur: atque pro horum liberatione Episcopum, & Canonicos sponsores fore. Baro Rodolphus à Salis annuit. Gulerus verò ægrè assensum præbuit: nam iam tum cum Salisburgensibus qui in aggerib. ad S. Antonium erāt, vt ipsi se dederent, tractauerat. Simulare debebant, ac si prælio victi essent: ipseque eis salarium sesquimensis spoponderat. Obsides Salisburgenses se daturos polliciti fuerant: sed tarditate tympanistæ, qui hinc inde comeabat, res impedita fuit. Nam cùm tympanista cum responso grato in castra Guleri à Salisburgianis rediret; Rodolphus & reliqui in pacta iam consenserant. Adhæc iam fama certa de copiis Hispanicis in Fœdus Grisæum, Pesclauium & Engadinam aduentantibus, increbruerat. Die ergo Jouis, XVI. Junij, Hispanici & Austriaci per imū castrum Clauennam versus cùm vexillis, armis & impedimentis suis vt liberè abirent, die sequenti Veneris, XVII. Junij, pactum fuit. Secundò, cùm primario Duci Baldirono liber discessus permittatur: captiui Oeniponti statim quoque liberi dimittantur: & huius rei cautio ab Episcopo, & collegio Curiensi, fiat. Vice versa Rhæti promittant Episcopo & collegio Curiēsi patrocinium & protectionem, tam quoad personas, quàm quoad res ipsorum quæ de iure ad ipsos spectant: sic, vt liberè, fide publica habita, in Rhætia, & in aula Episcopali, sine vllo impedimento, habitare possint. Tertiò,

in discessu nec Rhæti obsessis exteris, nec obsessi Rhætis aliquod damnum aut iniuriam inferant. Cautum fuit, vt ab vtraque parte sex obsides darentur. Et Baldironus quidem voluit, vt capitaneus Dieteganus ab Hartmannis, qui Colonelli Rodolphi à Salis, & Jo. Petri Guleri affinis, frater nempe vxorum, erat; item Joannes Gulerus, frater Io. Petri, & Ioannes Antonius Pestalozius, sororius Rodolphi, inter obsides essent, & Clauennam vsque se comitarentur. Cùm ex vrbe iam discederent; Rhetigoij fustibus suis sanguine tinctis in acie steterunt. Duo Austriaci, qui Baldirono seruierant, ad S. Antonium supra vrbem se absconderant, & Baldirono, ob retenta stipendia mortem interminati fuerant. Hoc vbi Gulerus resciuit, statim eò aliquos ex suis misit, qui eos inde abducerent, morte illis denuntiata, si quid contra fidem publicam committerent. Quartus pactorum articulus fuit, vt obsessi omne æs alienum contractum persoluerent: atque illis victus in itinere suppeditaretur. Quibus denique quintus iste accessit, vt Rhæti duos illos captiuos, Baronem à Fels, & Locumtenẽtem Poppum, dimitterent. Die Veneris sequenti, cùm se ad discessum omnes parassent; tumultus in vrbe inter milites natus fuit. Baldironus omnino volebat, vt Salisburgiani secum Clauennam, & per Vallemtellinã in Vallem-Monasterij, quod iter ipse tenuit, venirent. Keiserus, & Rondinellus, qui in locum Ciurletti postea capitaneus factus fuit, non videbantur abnuere apertè; gregarij autem milites se vnanimes opposuere. Baldironus procurauit, vt equites & pedites Hispanici congregati vim Salisburgianis, nisi obedirent, minitarentur. Verùm hi, vtpote lectissimi milites, occupato foro ante templum S. Martini, vim fortiter repulere, vt, displosis aliquibus scloppettis, Hispani re infecta abirent. Proinde cum Baldirono, ex Germanis reliquiæ cohortis Treuerianæ, & aliqui Steigeriani (erant omnes circiter ducenti) discesserunt. Hispanici autem milites erant ducenti quinquaginta equites, & mille ducenti pedites. Inter equites Hispanicos duo Rhæti toti loricis armati, & capiti casside imposita, incedebant, Rodolphus nempe Capellus, Biuiensis, qui Treueri cohortem regebat, & Cõradus Planta,

frater

frater Bartholomæi, Domini Rhætiensis: qui quòd pactis comprehensi non essent, ante portam superiorem à Rhætis capti, & ab equis deturbati, statim custodiæ dati fuerunt. Die sequenti Lunæ, xx. Junij, ante portam inferiorem vrbis, in Quadra Episcopi, Capellus morti adiudicatus, & à quatuor militibus Heluetiis ictibus scloppettorum interfectus fuit. Planta in castrum Maiævillæ deductus: inde postea, mense Julio, deceptis custodibus, euasit. Ea nocte, qua vrbs dedita fuit, Uldricus Schniderus, Amisianus Rhætus, quo Baldironus exploratore vtebatur, cùm ex vrbe auffugisset, à militibus Rhætis comprehẽsus, & fustibus occisus fuit. Salisburgiani, qui quadringenti & sexaginta quatuor erant, per portam inferiorem abierunt, & Masansrj iuramentum præstiterunt, Se nunquam contra Tria Fœdera Rhætorum, & Heluetios, nempe, quatuor ciuitates Protestantes, Glaronenses, & Abbatiscellanos, bellaturos. Sed hi quoque per periurium statim operam suam contra Rhætiam Austriacis addixerunt, & per Cliuum S. Lucij Veldcurium petierunt. Sauciati, quorum multi erant, Curiæ, quoad conualuissent, permanserunt. Rhætorum, & sociorum, qui Curiam obsidione strinxerant, numerus mille & quadringentorum non excedebat.

Eques Joannes Baptista Pecchius, cum parte legionis suæ, vti etiam Jacobus Robustellus, Volturenensium rebellium gubernator, cum aliquibus cohortibus Pesclauium vsque venerant. Sic quoque Comes Joannes Serbellonus, cum maiori parte legionis suæ, & aliquibus equitibus, Zúzium in Engadinam superiorem progressus fuerat. Clauennæ, vices Serbelloni agebat capitaneus Joannes Antonius Carosius, & iam Hispanorum septem cohortes sub Quiroga, Centurione maiori Joannis Braui, eò venerant. Sed cùm de deditione vrbis Curiensis accepissent; Pecchius, & Robustellus in Volturenam, quò etiam Don Camillus del Monte cum suis venit, & Serbellonus Clauennam, reuersi sunt. Hispani autem deinde Clauenna discesserunt.

Curiæ, vbi ciues se iam cum reliquis Rhætis coniunxerunt, deliberatum fuit, vt iterum Tria Fœdera perpetuo fœderis vinculo se colligarent. Atque iam dum aliquæ

Communitates Fœderis Grisæi se ad coniunctionem obtulerunt. Sed plerique Disertini, & Leguntini, Hispanicis viribus freti an territi? nondum consentire volebant. Heluetij Quinquepagici aliquem militum numerum ex eis, qui in Comitatu Bilthionensi erant, ad petitionem oratoris Hispanici Casati dimiserunt. Ex his multi à Grisæis capitaneis aliquibus iterum stipendiis Hispanicis conducti fuerunt, & cum duobus Præfectis vigilum Heluetiis Biltiona discesserunt. Proindeque etiam Disertinum à Duce Feriæ missus fuit Doctor Cribellus, Secretarius, & Capitaneus Hispanicus, qui Capitaneos Joachimum à Cabalzaro, & Joannem Coraium etiam nominauit. Iamque Disertinum vsque quadringenti tam Heluetij quàm Itali venerunt: & mandatum Legati Hispanici erat, vt pontem Richenouiæ cum Grisæis custodirent: qui transitus tamen iam à Rhetigoiis, vt diximus, occupatus erat. Jo. Petrus Gulerus, cum cohorte sua, cliuo S. Lucij, vti Gubernator Dominij Maiævillani, præfectus fuit. Stapferus, Steinerus, & Maiævillani, Curiæ permansere. Stephanus Thisius, & Henricus ab Hartmannis, in Quatuorpagos, & ad pontem Rheni, cum suis, missi; Rhetigoij aliqui domum remissi fuerunt. Primarius Dux Rodolphus à Salis, cum cohorte sua, atque cohortibus Schmidij, Beldij, Tschudij, Verdmylleri, & Schussij, (erant quinque cohortes) die Lunæ, xx. Junij, Curia Ilantium venerunt: vnde statim ad omnes Communitates Fœderis Grisæi nuncij missi fuerunt, vt fœderi, & capitulationibus Mediolanensibus, tanquam vi & metu extortis, renunciarent, & antiquum perpetuumq; fœdus Trium Fœderum iterùm iurarent. Milites cõscripti, cum Cribello, & capitaneis quàm velocissimè ex Rhætia discesserunt. Disertini, & Leguntini, gratiam implorarunt, spondentes, se capitulationibus Mediolanensibus renunciaturos, & posthac cum Tribus Fœderib. in fœdere & data fide perpetuò permansuros. Cum ipsis transactum fuit, vt sex obsides ex suis pro cautione darent, & nouies mille aureos pro expensis in promptu numerarent: quod vtrumque effectum dederunt. Pecuniæ illæ militibus, vltra ordinarium stipendium, distributæ fuerunt. Aliqui Rhætorum dragones (nam duas alas, vnam sub capitaneo Dietegano

ab Hartmannis, alteram ſub capitaneo Stephano Thiſio conduxerant) Diſertinum vſque excurrerunt. Populares Ruueni, & in locis vicinis, multùm de Glaronenſibus aliquibus, & præſertim Colonello Thoma Schmidio. propter prædas conquesti ſunt, & querelas ſuas ad Comitia Heluetica Badenam detulerũt. Dux primarius Rodolphus Thronum vſque cum paucis peruenit: vbi Jacobus Joderus Judex prouincialis electus fuit. Sebastianus à Castelberg, Abbas Diſertinenſis, ſatis tectè Mediolanum miſſus fuit, vt animum Ducis Feriæ expiſcaretur, & ſe mediatorem inter Leopoldum Archiducem, & Rhætos interponeret. Fœdus Cathedrale ipſum quoque capitulationibus Mediolanenſibus renuntiauit, & fœdus perpetuum trium Fœderum acceptauit.

Die Lunæ, XXVII. Junij, Oratores Trium Fœderum Curiæ conuenerunt, & ſequentes articulos condiderunt. Primò, Abolitio, & venia generalis omnibus Rhætis, ſeu proſcripti illi, ſeu non proſcripti fuerint, qualiacunque tandem crimina contra patriam machinati ſint, indulta; atque in vniuerſum omnibus, Hiſpanicæ, Auſtriacæ, aut Venetæ factioni addictis liber in patriam aditus concesſus fuit; vt in patria, ſine impedimento & obtrectatione habitare poſſint. Sed ab omnibus poſthac factionibus abſtineant, atque fideles & patriis legibus obedientes ſint. Sin minùs; atque in nouo aliquo crimine deprehenſi fuerint contra patriam commiſſo, tum pœnam etiam propter præterita ſubeant. Secundò, Capitulationes nouæ, tam Hiſpanicæ, quàm Auſtriacæ, quæ Mediolani concluſæ fuerunt, antiquatæ, & litteræ fœderales de nouo, præſtito iuramento, acceptatæ fuere, perpetuò deinceps obſeruandæ. Tertio, Ex quolibet fœdere viri mille ducenti ad defenſionem patriæ conſcribantur, atque præſtò ſint. Rodolphus Saliceus, Liber Baro à Salis, Dux generalis exercitus Rhætici creatus fuit. In Fœdere Griſæo iam Throni quatuor Capitanei electi fuerunt, videlicet, Christophorus à Montalta, iunior, Riſius à Montalta, Joannes Catharina, & Carolus à Marcha: quorum quiſque trecentos ducere debebat. Sed hi, & Cathedrales quoque, ſatis lenti in conſcribendo milite fuerunt. In Ca-

thedrali Fœdere capitanei erant, Andreas à Salis, Joannes à Salis iunior, Colonelli Baptistæ filius, Volfgangus à Jualta, & Stephanus Thisius; qui, præter dragones, etiam cohortem peditum ducebat. Fœdus autem Decem Jurisdictionum septem cohortes semper aluit. Jussa etiam data fuerunt, vt omnes transitus diligenter custodirentur. Litteræ fœderales coram Oratoribus Trium Fœderum Curiæ publicè lectæ, &, vt diximus, fœdus solemni more ab eis iuratum: postea, die Dominica, III. Julij, ab omnibus Communitatibus, quæ in potestate Trium Fœderum erant, iuramento publico solemniter confirmatum fuit. Engadini superiores, Prægalli, & Pesclauienses, quòd vltra montes, & hosti proximi essent, orauerunt, vt à iuramento, ne qua hosti ansa se inuadendi daretur, modò eximerentur: cæterùm omnem fidelitatem obtulerunt. Episcopus Curiensis etiam compellatus fuit, vt more prædecessorum, qui primi in codicillis fœderalibus nominantur, litteras fœderales iuraret: sed quòd, non priùs impetrata Pontificis Romani facultate, id sibi integrum non esse causaretur, sese excusauit. In his Comitiis litteræ exarantur ad Archiducem Leopoldum, vbi actiones tyrannicæ Baldironi, & Austriacorum militum, &, quòd nulla pacta, & leges Baldironus obseruauerit, prolixè narrantur. Orant Principem vt Engadinam inferiorem, ac Vallem-Monasterij, Rhætis restituat: ipsiq; fœdus hæreditarium se obseruare velle, & quæ iura Principi legitimo titulo competant, se minimè infringere velle, spondent. Ad Ducem Feriæ etiam, vt occupata restitueret, scriptum fuit: eidemque bonæ vicinitatis studia oblata. Archidux Leopoldus modò ex Alsatia Constantiam ad lacum Bodamicum profectus, die XVIII. Junij Brigantium appulit, vt de omni re certiùs cognosceret. Raitnouerus tunc ægrotum se simulasse dicitur: nam Princeps ipsi ob rem malè gestam primò minùs clemens videbatur. Ast Raitnouerus omnem culpam in ignauiam popularium Austriacorum coniiciebat. Deinceps Princeps Veldcurium venit: vbi Austriaci capitanei, vt fidem socordiæ popularium Austriacorum facerent, classico dato, quasi Rhetigoij adessent, ad arma omnes vacarunt. Sed populares, qui in

vallo,

vallo, ad pagum Tiſſis, qui propè oppidum Veldcurium eſt, collocati erant, ferè omnes auffugerunt. Ita ſe Capitanei excuſarunt. Fuerat apud Principem Leopoldum Chriſtophorus Oerberus, quondam Conſul Hallenſis, conſiliarius Auſtriacus, qui modò Sexamnij in Rhætia fodinas argenti excolens, vltrò citroque commeabat, ſatiſque innuebat, Principem maximè iratum eſſe. Attamen putabat, ſi tranſitus liber toti Auſtriacæ domui per Rhætiam concederetur, rem componi poſſe. Sed aliorum Principum miniſtri huic petitioni obſtitiſſe dicuntur. Princeps, rebus ad bellum ordinatis, in Alſatiam rediit. Oratores Trium Fœderum Badenam, ad Comitia Heluetiorum, Equitem Jo. Antonium à Marcha, Conſulem Gregorium Meyerum, & Landtmannum Joannem Sprecherum, fratrem meum, miſerunt, vt pro conſiliis, & auxiliis, tranſituque libero pro milite, auxilio Rhætis venienti, inſtarent. Venerunt etiam Badenam Hieronymus Caſatus, Alphonſi demortui filius, Legatus Hiſpanicus, & Joãnes Reinhardus à Schauenburg, Legatus Auſtriacus, qui querimoniam valdè prolixam contra Rhetigoios, quos ſemper rebelles vocabat, inſtituit: &, inter alia, de aliquibus Cantonibus Helueticis etiam conqueſtus fuit, quòd ſuos auxilio venire Rhetigoiis permitterent: commeatuque, ac aliis, eos adiuuarent. Heluetij, ſe excuſantes, ad componendum bellum (prout antea Joann. Henricum Redingum Suitenſem ad Archiducem Leopoldum miſerant) ſe mediatores fore obtulerunt: adeoque dies compoſitionis XXVIII. Julij Veldcurij nominatus fuit. Qui natiui Heluetij erant, his poſthac ad bellum defenſiuum in Rhætiam proficiſci conceſſum quidem fuit: tamen excubiæ Suitenſium perſeuerarunt, & aliqui natiui Heluetij tranſitu prohibiti, aliqui etiam in aquam deturbati fuerunt. In his Comitiis comparuerũt etiam Joannes Simeon Florinus, & Joannes Coraius, & tres alij Griſæi, qui de præda Glaronenſium, vt diximus, & aliquibus concuſſionibus conqueſti ſunt. Nouam hanc Trium Fœderum reconciliationem, & confœderationem, ad deſtructionem Catholicæ Religionis excogitatam eſſe, ſpargere aliqui non erubuerunt: iamque re ipſa multas Communitates exercitio Ca-

tholicæ Religionis priuatas, Sacerdotes malè multatos, & expulsos, atque post amnestiam & abolitionem generalem, templum vnum Catholicorum spoliatum fuisse commenti sunt. Quodnam templum esset, deinde interrogati, nullum prorsus nominare sciebant: nam falsum erat. Rhætorum Legati, inter quos Jo. Antonius à Marcha Catholicus, ipse quoque omnium probè conscius, mendacia hæc diffusè refutarunt, & coràm aliquibus Catholicis Oratoribus (nam inter priuata colloquia hæc præsertim spargebant) eos interrogarunt, vbi locorum exercitium Catholicæ Religionis impeditum? qui Sacerdotes expulsi? quæ templa spoliata? quod denique impedimentum Catholicis datum fuerit? Illi nihil, nisi ex auditu se hæc habere, exceperunt. Rhætorum Legati Heluetios orauerunt, vt aliquos, expensis succumbentis, in Rhætiam mitterent, qui de omni re diligenter inquirerent. Badenæ etiam Legatus Gallicus Guefferius erat, quem Oratores, iussu Rhætorum, vt auxilio & consilio adesset, adiuerunt. Hic iterùm spem certam executionis tractatus Madrilliani faciens, Regem Christianissimum eius executionem ad litteram vrgere affirmabat: sed Pontificem, & Principes Italiæ, nullam aliam religionem, quàm Catholicam, in Valletellina exerceri velle: sic quoque Heluetios Catholicos, si in tractatu spondere debeant, petere, vt priùs securitati Catholicæ Religionis abundè caueatur: proindeque articulos, anno M. DC XX. mense Nouembri Ilantij sancitos, effectui dari oportere, addebat. Legatus etiam Guefferius suspensionem armorum sollicitauit. Atque fideliter omnia à reditu suo Senatui Rhætico retulerunt. Legati, ad Guefferij petita, assensum libenter præstitissent, si modò aliquid præstare potuisset. Consul Meyerus Badena Arouiam, vbi Protestantes Heluetij postea congregati fuerunt, profectus, ipsorum auxilia implorauit. Inde Valesianos abijt, qui mille selectos milites se missuros obtulerunt: de expensis solùm quæstio erat. Grisæi, & Cathedrales, nondum completum suum militum numerum conscripserant: & ita aliqui dies inutiliter consumpti, & hostibus tempus datum fuit, vt vires recolligere possent. Jo. Petrus Gulerus, febri ex nimio labore, &

re, & vigiliis contracta, Curiæ correptus, eiúsque in locum capitaneus Joannes Vissius, Curiensis, præsidio, quod ad cliuum S. Lucij erat, præfectus fuit. Eques Vespasianus à Salis, Prouisor, militi, & vallo ad cliuum reformando, præpositus fuit, qui se in munere illo, vnà cum Joanne Arduſero, architecto, & Caſparo Gaſnero, diligentem exhibuit, & vallum aptè ad leges artis extruxit.

Curiæ interim consultatum, qua via hostem aggredi vellent. Prudentiores ab initio statim deditæ vrbis Curiensis consuluerant, vt recta ad recuperationem Engadinæ inferioris omnes vires conferrentur. Sed sententia hæc à iunioribus non approbata fuit, qui per diuersionem in ipso territorio Austriaco hostes ad meliora pacis pacta redigi posse putabant. Jussa ergo data fuerunt Dauosianis, & Castrensibus, inter quos multi Glaronenses sub capitaneo Casparo Heero erant, & capitaneo Florio Buolio, vt per montem Fluelam ex regione Dauosiana Susium, in Engadinam inferiorem, impetum facerent. Grisæi autem, & Cathedrales, per montem Albulam, & Engadinam superiorem versus Cernetium hostes tentare debebant. Sed hi nondum parati erant. Capitaneus Vissius per cliuum S. Lucij, cum suis, descendere debebat: vt hostes vndique impeterentur, & minùs auxilij in Engadinam mittere possent. Dies ergo Veneris, VIII. Julij, ad ingressum, & dies Sabbathi, ad aggrediendum hostem, nominati fuerunt. Dauosiani, ductoribus Paulo Buolio seniore, & Florio Sprechero, nepote meo, cum quadringentis militibus; Heerus, cùm centum & septuaginta; Florius Buolius, cum septuaginta; constituta die Veneris, per Fluelam in Vallem Susianam descenderunt. Susium quatuor cohortes Comitis Alvici à Sulz, quas antea nominauimus, ex pago Guarda appulerant. Steigeriana cohors die antecedenti Cernetium missa fuit, vbi Baldironus, & Stredelius, cum nouem cohortibus erant. Guardæ Baro Fuxus, cum sex cohortibus Tirolensibus, se continuit, vbi valla, vti etiam Scolij in cœmeterio Austriaci duci curauerant. Vallis Susianæ iter hostes, præcisis abietibus, impedire conati fuerant. Rhæti tamen, profligatis eorum stationariis, bipartito ordine sub vesperã in pagum

Susium irruentes, hostes, post aliquas displosiones, trans flumen Ænum fugarunt, vbi hostes pontem frustrà comburere tentarunt. Cernetij hæc per crebros milites fugientes nuntiata, & fama etiam sparsa fuit, per Albulam alias copias aduenire. Nam Baldironus iam per exploratores suos de Rhætorum consilio cognouerat, & se vix credere posse has tres cohortes solas in Engadinam venire voluisse, dixerat. Stredelius metu perculsus, per montem Valderam in Vallem-Monasterij cōtendit. Zeschius, Præfectus vigilum, iam pontes, qui versus Engadinam superiorem sunt, exuri curauit. Tota nocte inter Rhætos & Austriacos, qui trans Ænum erant, infestis scloppettorum displosionibus certatatum fuit. Sed ante diluculum Austriaci locum deseruere, & Cernetium, postquam priùs duas ædes combussissent, concesserunt. Jam Baldironus cum suis in itinere erat, vt his auxilio veniret. Cùm verò eos in fuga deprehenderet; non sine fremitu Cernetium reuersus est. Susij ex hostibus triginta tres occubuerunt, multique sauciati fuerunt. Mirum hoc, quòd cùm octo post dies, nempe die Dominica, XVII. Julij, ego, cum aliis militibus, tumulos quinque, vbi Austriaci sepulti erant, conspiceremus, ex vno horum adhuc sanguis, non liuidi, sed rubri coloris, per terram ebulliit: quod idem aliqui milites antecedentibus diebus se vidisse testati sunt. Ex Rhætis, in ingressu pagi Doricus de Bosca Ardetiensis, Engadinus, & postea in pago, Jacobus Belinus, Dauosianus, scloppettis occisi, & septem Dauosiani vulnerati fuerunt. Baldironus totus ira & metu percitus, conuasatis rebus suis ignem Cernetio, quod plures quàm ducentas egregiè extructas ædes continebat, in diuersis partibus iniici præcepit, qui, exceptis viginti quatuor vilioribus domibus, totus conflagrauit. Ipse, summa festinatione die Sabbathi, IX. Julij, per Valderam montem in Vallem Monasterij auffugit. Multa arma, pilas tormentarias, puluerem nitratum, vbique in itinere sparsum reliquerunt. Aliqui milites, qui Susij vulnerati fuerāt, in itinere mortui sunt. Cernetij denique aliqui ex iusto dolore, & ira, aliquos interfecerunt. Baldironus Felicem Modoëtiensem, Italum, Locumtenentem dragonum suorum, Clauennam pro auxiliis sol-

liis sol-

liis ſollicitandis per Engadinam miſerat: qui ab Antonio Stampa, iuniore, & duobus aliis deprehenſus, & occiſus fuit. Prægallienſis Magiſtratus, vt Serbellono gratificaretur, contra hos percuſſores proceſſum inſtituit. Tanta autem trepidatio Auſtriacorum fuit, vt primò nemo ferè ex gregariis militibus in fortalitio ad S. Mariam in Valle-Monaſterij permanere voluerit: adeoque, ſi Rhæti coniunctis viribus præſtò fuiſſent, facilè eos profligare potuiſſent. Pauci Guardam contenderant, & inter eos Scriba quidam, qui cùm Fettanum, cum gregario milite, veniſſet, à Marco Graſſo, & Dominico Secho, interfecti fuerunt. Fuxiani, rebus, & vallis ſuis minimè fiſi, Scolium vſque, die Veneris, VIII. Julij, aufugerunt: qui cùm de morte huius Scribæ cognouiſſent; (nam equus eius Scolium verſus auffugerat) Fettanum reuerſi ſunt. Fettanienſes aliqui (multi in ſyluis adhuc latitabant) ſe primò oppoſuerunt: ſed, cùm inermes vt plurimum eſſent, in fugam, & ſyluam acti fuerunt. Pagus, qui, in duas partes diuiſus, circiter ducentas ædes habebat, poſt deprædationem, ipſa ea die, igne vbique iniecto, exceptis ſex domibus, abſumptus fuit. Auſtriaci antea, vti ſecuri de Engadinorum fide eſſent, obſides ex quolibet pago penes ſe ad triginta habuerant: quos, exceptis paucis, qui fuga euaſerunt, ſecum, vti etiam octuaginta alios ex pago Scolienſi, Ænotrium in iuriſdictionem Auſtriacam, die Lunæ, XI. Julij, abduxerunt. Die Dominica antè Rhæti, qui Suſij erant, ad Engadinos ſuperiores aliquos miſerunt, vt litteras fœderales iurarent: quod promptè præſtiterunt, & ad defenſionem tranſituum ſuorum cuſtodias poſuerunt: atq; ad Pontem-reſinam, & alibi, valla ducta iterùm renouarunt.

Interea die Jouis, VII. Julij, Dux generalis Rodolphus, cum decem cohortibus, & dragonibus, nempe, ſua, Andreæ à Salis, Stephani Thiſij, Theoderici Enderlini, & Jacobi Teſcheri, Henrici de Hartmannis, Joſephi Verdmylleri, Jo. Vilhelmi Stapferi, & Andreæ Steineri, Thomæ Schmidij, Danielis Beldij, & Joan. Melchioris Martini, Henrici Tſchudij, & Conradi Schuſſij, in Rhetigoiam venit: atque eo adhuc veſperi conſtitutum fuit, vt, die ſequenti Veneris, Aceriani Rhetigoij, per montem proximum, quem Furcam

vocant; & Cœnobiani, per montem Scleppinum; ipse verò Dux, cum decem his cohortibus, & Castrensibus, per Vallem S. Antonij, & montem Gabeam, in Vallem Montafunum, Austriacæ ditionis, descenderent. Montefuniani, de Rhætorum aduentu parùm resciuerant. Accriani eos in alpestri statione, & loco Petenna, cum pecudibus inuenerunt; sed nihil damni ipsis intulerunt. Ab altera parte Vallis Caschurna est: inde populus, cùm milites in alpibus videret, auffugit. Vallum in ora vallis ductum, ibique aliqui milites Austriaci, & Montefuniani erant, qui aliquot scloppetta disploserunt, militemque vnum ex Rhætis in sura vulnerarunt, equum etiam sub capitaneo Andrea Steinero occiderunt: indeque mox celeri fuga se ad montana receperunt. Rhæti ad primum pagum, S. Gallum dictum, venerunt: vbi propè pontem, qui illo flumini impositus est, populares aliqui in armis visi fuerunt, ignemque ponti iniecerunt. Rhæti, ad extinguendum ignem properarunt, pontemque refecerunt: ibique miles gregarius ex eis in aquis submersus fuit. Nostri in pago castrametati sunt. Populares in syluis, & montibus latitarunt: sed, cùm viderent, Rhætos ab incendio abstinere; primò mulieres, mox etiam viri aduenerunt. Seuerè enim à Duce generali edictum fuerat, ne templa spoliarentur, néve vlli vis in corpore, aut honore fieret. Qui aduenerunt, etiam suppellectilem suam seruarunt. Generalis enim voluntas erat, vt à præda quoque abstineretur: sed milites in ordine retineri minimè poterant. Joannes Rodolphus Curtius, subpræfectus Pludonensis, quò etiam vallis Montefuniana spectat, Salisburgianos illos milites, qui Curiæ fuerant, secum habebat, nuncio ad Ducem generalem, & Consilium bellicum, misso, rescire petijt, Cur regionem Archiducis Leopoldi inuaserit, seque in loco tuto cum Rhætis tractare desiderare significauit. Ad quam petitionem Generalis respondit, Anno præterito ex hac valle, vias & semitas commonstrantibus ipsis incolis, ab Austriacis militibus iurisdictionem Cœnobianam in Rhetigoia, non indicto bello, inuasam, atque ei damnum irreparabile illatum fuisse: & etiamnunc Engadinam inferiorem (nondum de fuga Austriacorum ex ea

cogno-

cognouerat) & Vallem-Monasterij, contra omne ius ab Austriacis occupatas teneri. Stare itaque propositum Rhætis, ex ditionibus Archiducis Leopoldi, donec occupata restituantur, aliquo modo damna sua resarcire. Petebat etiam, vt litteras fiduciæ ad tractandum exhiberet. Die Dominica nuncius adfuit, qui, Rhætorum in Engadina progressum recensens, Rhætos ad festinandum iter exhortatus fuit. Montefunianorum quoque deputati ad Rhætos venerunt, & cum eis pacti sunt, vt quicquid hactenus prædæ adepti essent, apud milites remaneret: ipsique quater mille aureos, ne regio igne vastaretur, penderent, iurarentque, se contra Rhætos nunquam arma laturos, & si quis hostis per Vallem Montefunianam Rhætiam inuasurus sit, se in tempore eos admonituros. In quæ omnia consenserunt. Armentorum maior pars, persoluto exiguo pretio, eis restituta fuit. Rhæti facilè, cum toto exercitu, per duo itinera, nempe, per Ferromontium Guardam, aut, per montem Seines, Culturam, & inde per montem Futschiolum, Ardetium, in Engadinam inferiorem tendere potuissent: sed miles, licentia iam corruptus, dictis minùs parebat, & multi cum præda discesserant. Tres ergo cohortes, Stephani Thisij, Theodorici Enderlini, & Jacobi Tescheri, ac Conradi Schussij, die Lunæ, XI. Julij, versus Engadinam inferiorem missæ fuerunt: quæ non recta via Guardam; sed per montem Seines Culturam tenderunt: vbi per duos dies commoratæ, cum incolis de certa summa pecuniarum, pro damnis vitandis, transegerunt, secumque duos obsides, donec pecuniæ persolutæ essent, abduxerunt: qui tamen postea euaserunt. Die demùm Jouis, XIV. Julij, non sine præda per Futschiolum montem Ardetium in Engadina appulerunt: cùm hostes ea ipse die ad Chianflorum Engadinos, & alios fudissent, & omnia infra Sentum igne vastassent. Dux Generalis, cum reliquis septem cohortibus, quibus se etiam capitaneus Joannes Jouchius adiunxit, die Martis, XII. Julij, sub vesperam, Dauosium per montem Schleppinum venit, & die sequenti Mercurij ibi substitit. Die Jouis autem, XIV. Julij, in Engadinam inferiorem, Susium, etiam post cladem à Rhætis ad Chianflorum acceptam, venit.

Engadini continuis precibus milites, qui Susij erant, vt ad fines, pontem nempe S. Martini, se conferrent, sollicitauerant. Itaq; Christophorus à Montalta, Grisæus, qui cum centum & triginta militibus, die Martis antè, Susium appulerat; & Florius Buolius, cum septuaginta suis, die Mercurij, cum Engadinis se in viam dedere, & ea nocte Scolij mansere. Die verò sequenti Jouis, XIV. Julij, Eremusium progressi, ibi in prandio sumendo aliquantùm morati sunt. Post cibum sumptum, cum iam Serramplanam (locus ibi propè est, qui Platta dicitur, & transitum tanquam Serra claudit) deuenissent; Leonhardus Rea à Porta, qui à partibus Rodolphi Plantæ steterat, suasit, vt ibi in loco munito manerent, & auxilia exspectarent; nam de aduentu hostium versus pontem Martini innotuerat. Sed aliqui alij Engadini eius consilium, tanquam hominis suspecti, spernebant: iamque Engadini aliqui, mali ominis ergo, se inuicem pugnis vexabant. Statutum ergo fuit, castra vlteriùs promouere. Engadini aliqui ad montana, & partem superiorem occupandam, missi fuerunt: reliqui, cum Montalta, & Buolio, per viam regiam incesserunt. Cùm iam ferè ad pagum Chianflorum deuenissent, nec vllos certos speculatores præmisissent: Baldironus interim, apud quem Martinus à Camenis erat, cum Austriacis ad Chianflorum venerat, vbi in duo agmina partiti, quorum vnum in prato stabat; alterum à parte cliuosa ceruicibus Rhætorum, qui dispersim contra aciem in prato existentem incedebant, imminebat, incautos à fronte & tergo obruerunt, atque statim ad vexilla Eremusianorum, & Buolij (Montaltæ signifer tantùm contum, seu hastam, vexilli habebat) penetrauerunt. Vitus Dolvatius, Buolij signifer, interfectus fuit: Eremusiēsis suum ex manibus abiecit: adeoq; vtrumque in manus hostium peruenit. In ipso conflictu capitanei, Caspar Heerus, & Georgius Jenathius equis vecti, adductis secum quinquaginta moschettariis, superuenerunt. Sed cùm Rhætos iam nutare viderent; & ipsi cum Montalta, & Buolio, recesserunt. Milites Rhæti plerique ad montana confugerunt. Quindecim ex eis desiderati: ex hostibus quatuor ceciderunt: quorum duo lapidibus occisi fuerunt. Grisæi

quin-

quindecim,inter quos Joannes Montalta signifer fuit,cùm ad montem proximum confugissent, ad Rhætos in Montefunum ire voluerunt: sed à Montefunianis proditi,diu Pludoni captiui detenti, & tandem post pacificationem Lindauiensem dimissi fuerunt. Alij etiam ex Engadinis capti: quos plerosque deinde hostes contra iura belli occiderunt. Pagum Chianflorum hostes statim incenderunt: cumque iam nouem cohortes essent,pagum Celinum etiam inuaserunt,& obuios quosque,præsertim senes, & infantes,qui ob ætatem & infirmitatem in tempore auffugere non poterant, viginti nempe octo personas trucidarunt. Pagum ipsum,vti etiam ædes ad pontem Martini,Retsfellam,S.Nicolaum,Syluam planam, deniq; Eremusium quoque,adeoque omnes pagos infra Sētum,exceptis Mnau,& Crieusch, qui duo parui pagi in montibus sunt,igne vastarunt. Sentinenses, & Scolienses iam hosti proximi erant: atque Scolienses gratiam implorarunt, obsidésque ad eos miserunt: quos deinde Austriaci, cùm de Rhætorum ex Montefuno aduentu cognouissent,vnà cum tormento campestri,quod ad Serramplanam nacti sunt, Ænotrium versus abduxerunt. Tormentum illud campestre in duabus domibus vallatis *(Plockhauss)* quas ad pontem Martini construxerant, collocarunt. Dux Generalis, cum Susij capitaneum Heerum, & Castrenses, atque Tschudium reliquisset, vt transitum versus Valderam, & Vallem-Monasterij custodirent, & Dauosianis domum ire permisisset; ipse cum reliquis cohortibus Sentum petiit,& ibi castrametatus est.

Capitaneus Joannes Vissius,cum suis, ad Cliuum sancti Lucij,die Sabbathi, IX. Julij, Balzeres, & Melsum paruum (duo pagi propè castrum Guottenberg sunt,& Comiti Casparo ab Alto-Amisio parent) petijt. Pauci Austriaci milites,qui ibi erant,in castrum Guottenberg auffugerunt: vnde tormenta maiora,sed sine offensione Rhætorum,disploserunt continuè. Incolæ ad montana confugerant. Rhæti, prædis pauculis actis in castra reuersi sunt. Eadem die,aliqui ex Rhætico milite ex statione alpestri Trisiensium, qui pagus infra Balzeres est, butyri aliquantulam copiam in castra attulerunt. Veldcurij,& in circumuicinis locis Au-

ſtriacis, tunc trepidatio magna fuit. Multæ mulieres ad Heluetios trans-Rhenanos ſe contulerunt: & ſuppellectilem magis pretioſam Lindauium miſerunt. Quinimò Conſiliarij, & populus Oenipontanus, non extra metum fuerunt: quippe iam aliqui etiam, ſecundo Oeno, res ſuas vlteriùs miſerant: nam ex Montefuno intra duos dies æſtiuo tempore facilè Oenipontum itur. Die Dominica ſequenti, x. Julij, Comes Caſpar ab Alto-Amiſio, per litteras ad Capitaneos, qui ad Cliuum S. Lucij erant, de inuaſione conqueſtus, ſe Rhætis bene ſemper cupiuiſſe, ſignificauit, & ablatorum reſtitutionem petijt. Reſponſum fuit; De ipſo Comite neminem conqueri: ſed ſubditos ipſius hoſtes in deprædando Dominio Maiævillano adiuuiſſe, prædamque ab ipſis emiſſe, campanas ad ædem Cliui S. Lucij in ditionem Comitis detuliſſe: præterea, hoſtibus omnes ſemitas oſtendiſſe, denique contra Rhætos militaſſe: nam inter mortuos ad montem Faliſcenſem Antonium Sparrum, & alios, agnitos fuiſſe. Proinde ægrè ferre ipſum non debere, ſi ad depellendos hoſtes, qui in Comitis ditione caſtrametati fuerant, Rhæti, iure belli, eò venerint. Perficere ergo velit, vt hoſtes ibi non ampliùs caſtrametentur, & in id incumbat, vt pax ſecura ſtabiliatur, quam Rhæti vnicè exoptent.

Die Lunæ, XI. Julij, Curiæ Comitia Trium Fœderum indicta fuerunt: vbi ſuper eis, quæ Badena allata ſunt, conſultatum fuit. Lectæ quoque fuere litteræ Legati Guefferij, quibus, inter alia, Epiſcopum, & Canonicos Curiẽſes, Rhætis commendabat. Timebat enim ſibi Epiſcopus, cùm Concionatores illi Oeniponti captiui non intra præſcriptum menſem libertati reſtitui poſſent, ſibi tarditatem imputatum iri. Sed per litteras Archiducis Leopoldi probauit, quòd liberationem ipſorum ſollicitauerit. Allatæ etiam litteræ, à Duce Feriæ miſſæ, quæ admodum ambiguè conceptæ erant. Inter alia, res Rhæticas, ait, per aliquot annos tantis mutationibus fuiſſe obnoxias, vt nemo aliquod certum iudicium de ipſis ferre poſſit: cæterùm, occupatorum reſtitutionem, nempe, vt milites ex Valletellina, Bormio, & Clauenna abducantur, à Rege Hiſpaniæ dependere: ſeque capitu-

capitulationes,& confœderationes ad amussim obseruasse. Videbatur petitam operam suam in pacificandis rebus inter Archiducem, & Rhætos, non denegare. Responsionis negotium, vti etiam aliarum rerum, Duci Generali, & Consilio bellico, commissum fuit, qui responsionem deinde ad Abbatem Disertinensem miserunt. Julius Cæsar Cicer etiam suas litteras adiunxerat, qui Rhætos, vt suos Legatos Mediolanum mitterent, exhortatus fuit. Duci Generali, & Consilio bellico, oppidum Veldcurium, vti locus ditionis Austriacæ, & proinde suspectus, pro componendis rebus non placuit. Proinde ad Heluetios scriptum fuit, vt alium locum, si fieri posset, in Heluetiis (Badenam innuebant) designarent. Quantum ad suspensionem armorum; petebant, vt Austriaci etiam ipsi priùs arma deponerent. Res hoc tempore melioribus conditionibus, proculdubio, transigi potuissent. Nam Mansfeldius, & Halberstadius tunc in Alsatiam venerant, & Archiducis Leopoldi copiæ ibi præpeditæ erant: sed post illorum ex Alsatia discessum, belli moles ad Rhætos deuoluta fuit. In istis Comitiis, nomine Comitatus Clauennæ, Franciscus Stampa, vir sincerus, cum mandato comparuit. Clauennates iugum Hispanorum pertæsi, consilium à Rhætis expetebant. Nam Comes Joannes Serbellonus ad incolas Vallis S. Jacobi mandatum miserat, vt die Julij XIV. numerum certum fossorum, sexcentos fasces lignorum, & butyri copiam constitutam Clauennæ repræsentarent: sin minus; ignem & ferrum ipsis minatus fuit. Ministralis, & Consiliarij Vallis S. Jacobi, ad proximos Vallis-Rhenanos, qui excubias suas in monte Spelucensi habebant, litteras illas mittentes; simul etiam consilium & auxilium horum postularunt. Hæ litteræ Curiam ad Comitia delatæ: vbi in diuersas sententias Senatus abijt. Alij, Hispanos non tentandos suadebant: alij, vt cohortes Montaltæ, & à Marcha, quæ tamen nōdum in promptu erant, vnà cum Vallis-Rhenanis & Sexamniensibus ipsis auxilio mitterentur, volebant. Nihil certi definitum fuit. Vallis-Rhenani tamen, cum vndecim Sexamniensibus, qui in excubiis in monte erant, continuè sollicitati, die Veneris, XV. Julij, ante lucem, ad pagum S. Jacobum dictum,

qui hora vna Clauenna distat, venerunt, & ibidem sex equites Serbelloni, quos speculandi gratia in Vallem miserat, adhuc in lectis stertentes cæperunt, & in montem Spelucensem deduxerunt.

Serbellonus, de hac re certior factus, sub vesperam aliquos milites, vt de Rhætorum castris ad sanctum Jacobum cognoscerent, & ad velitationem eos prouocarent, misit: ex quibus tres tum, inter quos sargentus Franciscus Brusinus, occubuerunt. Die Sabbathi sequenti, cùm Serbellonus certò cognouisset, ex Prægallia nullum militem Rhæticum venire; & Vallis sancti Jacobi incolæ, periculum timentes, plerique in montes diffugissent, vt vix vigintiquinque tempore pugnæ cum Rhætis essent: hostes, ductore capitaneo Jo. Antonio Carosio, qui omnia tympana, quæ in legione erant, assumpserat, vt numero & strepitu plures viderentur, versus sanctum Jacobum venit. Rhæti, qui ducēti & octuaginta tantùm erant, se in duo agmina, cis & trans Lirum flumen, vt aditum hosti impedirent, diuiserunt. Sed qui trans Lirum stabant, vbi Ministralis Andreas Treppus iussa dabat, minùs fortiter se opposuerunt: cis Lirum autem, vbi Antoninus, & Locumtenens Joannes de Georgiis imperabant, strenuè diu pugnatum fuit. Lapidibus proiectis, etiam aliquos hostes occiderũt. Cùm verò iã ab hoste, qui ab altera parte perruperat, se intercludi posse vidissent; etiam recesserunt. Quinque ex Rhætis occubuerunt: & aliqui vulnerati fuerunt. Hostes statim pagum sancti Jacobi, & per totam vallem omnes pagos, qui in planitie erant, ad pedem vsque montis Spelucæ, quousque capitaneus de Curte venit, igne perdiderunt. Mulieres, cum Sacerdote Campodulcini, assumpto labaro, & cruce, in genicula procidentes, veniam, & ne igne omnia vastarent, deprecatæ fuerunt. Sed frustra hoc fuit. Senem vnum Catholicum etiam ibi, & famulum dicti Francisci Stampæ, natione Gallum, occiderunt, atque cum præda Clauennam redierunt. Comes Serbellonus, Paridem, & Jo. Baptistam Pestalozios, Clauennenses, & Ministralem sancti Jacobi, Syluestrum Todescinum, ac Jacobum Biauascum, Consulem Gordonensem, vti fautores Rhætorum, captiuos in fortalitium Fontanum

misit:

misit: vbi Ioannes Baptista,& Syluester,& Jacobus,ex mœrore postea obiuerunt: Paris tandem,cùm innocens esset, liberatus fuit. Idem Serbellonus postea etiam egregiam domum Colonelli Baptistæ à Salis, Solij in Prægallia, per ipsos Prægallos Infraportanos, destrui curauit. Antonius della Foppa, Bondensis Prægallus, à muro decidenti occisus fuit.

Die XVIII. Julij, Don Franciscus de Padilla, Gaetanus, Castellanus Mediolani, Clauennam venit: ibique per quatriduum mansit. Septem cohortibus ex legione Joannis Braui præsidium iterum ibi auctum fuit: quæ tamen mox iterum abierunt. Rhæti in cacumine montis Speluca vallum continuo opere duxerunt, & tria minora tormenta campestria ibi collocarunt: eoque duæ illæ cohortes Montaltæ,& à Marcha,etiam venerunt. Dux Generalis,vt vbique tentaret, an aliqua amissorum recuperationis spes affulgeret, Ministralem Constantinum Plantam ad confinia Vallistellinæ misit, vt cum Doctore Francisco Venosta, vel ipso Robustello, aut Actio Besta, colloquium institueret. Tandem,die XX. Julij, Actius Besta,cui tamē Hispani vnum ex suis Officialibus addiderunt, ad condictum locum Brusium venit: vbi cùm Constantinus eum exhortatus esset, vt Vallistellini se iterum Dominio Rhætorum submitterent; Actius respondit,de hac,& omni alia re,cum Hispanis tractandum fore,à quibus Vallistellini toti dependere cogantur. Constantinum admonuit,vt Rhætis diceret, se ad pacem componerent: nam etiamnunc tempus esse. Sed si diutiùs differant; Rhætiam flamma & ferro deuastatum iri. Paulò post Carolus Robustellus, Jacobi filius, titulo Gubernatoris sex cohortium ornatus, & à Duce Feriæ conductus,in Vallem-Monasterij venit. Erant sexcenti milites,in Valletellina plerique ex extero milite collecti. Capitanei, præter Robustellum,erant Antonius Homodeus, Tiranensis; Jacobus Venosta, Grossubtensis; Felossius Marlianicus, & Carolus Lauizarius, Sondrienses; & Hortensius Placius, Pontensis.

His diebus,intra Bergusium & Tuberium,propè Vallem Monasterij, Julius Cæsar Ceschius, legionis Balderonianæ

Præfectus vigilum, à Comite Octauio Sforzia, Vicecomite, qui ab Archiduce Leopoldo rei tormentariæ præfectus erat, confossus fuit. Die Sabbathi, XVI. Julij, capitanei duo, Joannes Jouchius, & Andreas Steinerus, cum trecentis circiter militibus versus pontem sancti Martini, vt eum occuparent, missi fuerant: sed cùm à Joanne Zeheo, Glaronensi, signifero Schmidij, milites, nisi victum necessarium haberent, ne vlteriùs proficiscerentur, instigati essent; re infecta Sentũ in castra hac vespera redierũt. Schmidius, Colonellus Glaronensium, cùm iussus fuisset ab officiali illo pœnam exigere; illud neglexit. Ita paulatim disciplina militaris corruit. Die Dominica autem sequenti, Dux Generalis, cum dragonibus, iterùm versus pontem profectus est, & cùm aliter, nisi aggeribus ductis, milites, propter frequentes displosiones, ponti appropinquare non possent: noctu per Engadinos vallum aliquantùm promotum fuit: sed propter reiteratas displosiones ab opere cessatum, & , cùm Rhæti pontem comburere vellent, Nicolaus Augustinus, præfectus vigilum, occisus fuit: Rhæti, re infecta, Sentum reuersi sunt. Die Martis, XIX. Julij, in castris decretum fuit, vt viginti ex qualibet cohorte in castris ad custodiam relinquerentur: reliqui ad occupandum pontem, & vallatas illas domos irent. Dux Generalis, cum dragonibus, & duobus cohortibus, Andreæ à Salis, & Josephi Verdmylleri, à læua fluminis Oeni ripa; cæteri apertis signis, à dextero Oeni latere per montem proximum supra Oenotrium, incesserunt, & in eo monte, Generalis verò propè Gianflorũ, pernoctauerunt. Die Mercurij sequẽti, summo manè in hostem profecti, supra Oenotrium in colle, & loco munito, in centum circiter Austriacos milites inciderunt: quos Jouchius, & Stephanus Thisius, qui volones Rhætorum ducebant, post aliquam velitationem in fugam egerunt. Quatuordecim ex Austriacis ibi occisi fuerunt, atque spingardum vnum, & alia arma, Rhæti ibi nacti sunt. Milites nostri propter æstum, & quòd nulla aqua ibi inueniri posset, hinc inde dispersi fuerunt. Georgius Hartmannus, Rhetigoius, in medios hostes propè Oenotrium irruens, vndecim ex ipsis interfecit, in quorum numero Jacobus Lossius, Locumtenens.

nens Baldironi, fuit, & ipſe ſaluus in caſtra redijt. Stephanus Thiſius, ad occupandas domos vallatas deſtinatus erat: ſed propter diſperſum militem, etſi hoſtes ſe iam ad fugam accingerent, à propoſito deſiſtere coactus fuit. Generalis ab altera parte aliquos Auſtriacos, qui cis pontem venerant, in fugam egit. Tres extra domos vallatas occiſi fuerunt: & ignem ponti noſtri iniecerunt. Sed cùm ab altera parte, vt diximus, à Rhætico diſperſo milite minùs vrgerentur; in domibus vallatis hoſtes permanſerunt. Quinquaginta ea die ex hoſtibus ceciderunt, & duo capti fuerunt. Ex Rhætis, duo Engadini, vnus Heluetius ex cohorte Stapferi, & Gartmannus Igienſis, qui, cùm caligis Hiſpanicis indutus eſſet, ab Heluetiis imprudenter occiſus fuit. Joannes Henricus Zieglerus, ſergentus cohortis Stapferi, & Steineri, cum milite gregario Joanne Bindero, cùm à via aberraſſent, ab hoſtibus Oenotrium captiui abducti fuerunt. Dux generalis militibus mandauit, vt noctu ponti ignem iniicerent: qui tamen non totus abſumptus fuit. Eadem die Mercurij, ſub noctem, copiæ iterum in caſtra redierunt. Die Veneris, XXII. Julij, iterùm Engadini inferiores (hos, die antecedenti, Dux primarius, vt, præter litteras fœderales, etiam amneſtiam generalem iurarent, adegerat: nam animorum exacerbatio inter ipſos nondum reſederat; ipſiſque præfecerat capitaneum Jo. Fridericum à Salis) ad pontem Martini, cum aliis, vt vallum ibi ſtruerent, miſſi fuerunt: ſed re infecta redierunt. Die Sabbathi, XXIII. Julij, Stephanus Thiſius, Joannes Jouchius, & Andreas Steinerus, cum trecentis ſelectis, per proximum montem in Vallem Scarlam, quæ intra Engadinam inferiorem, & Vallem-Monaſterij eſt, miſſi fuerunt. In ea Valle in aggeribus conſtructis ducenti Auſtriaci, plerique populares Tirolenſes ex legionibus Fuxij, & Hennlij, eſſe debebant. Sed hi in pago ipſo, extra aggeres, à Rhætis incauti obruti, & cùm ſe fugæ darent, triginta ſeptem, inter quos Verlius caporalis, occiſi fuerunt. Reliqui locum commodum & munitum nacti, ſe ad reſiſtendum pararunt. Thiſius ergo, & Jouchius cum parte montem petierunt, Ut à ceruice ipſis imminerent: Steinerus recta via

contra ipſos tendit. Cùm ſe ita interceptos viderent, gratiam extenſo linteo albo petentes, duos ex ſuis ad Rhætos miſerunt: qui tranſegerunt, vt tanquam captiui, deponentes omnia arma, tractarentur. Centum itaque quinquaginta duo, inter quos Jacobus Schmidt, Locumtenens, & Angererus præfectus vigilum, Sentum captiui in caſtra deducti, & duo Officiales ibi detenti, reliqui gregarij milites ad Cliuum ſancti Lucij, vti ibi vallo ducendo operam impenderent, miſſi fuerunt. Die Mercurij, XXVII. Julij, trecenti Engadini inferiores per Vallem Scarlam, in Vallem de Vigna, vbi Tuberianorum, & Laudenſium *(Lâtſch)* Tirolenſium pecora erant, profecti, centum & quinquaginta armenta maiora adepti ſunt. Sed cùm vlteriùs, quàm in mandatis haberent, progreſſi eſſent, & hoſtes de ipſorum irruptione cognouiſſent: aliqui dragones ipſos in receſſu adorti ſunt: cumque Engadini paucos ſcloppettarios haberent; duodecim ex ſenioribus, qui minùs ſequi poterant, interfecti fuerunt. Duobus antè diebus Cernetiani Engadini, per montem Jugum planum, in Vallem ſancti Jacobi, vbi Monaſterienſes montanam ſtationem armentariam habebant, profecti ſunt, atque centum & viginti quinque pecora maiora ſecum abduxerunt. Die Jouis, XXVIII. Julij, Dux Generalis, cum omnibus vexillis, quæ Senti erant, (quò etiam Conradus Schuſſius, qui Suſij erat, vocatus venit; & Suſium cohors Theodorici Enderlini, & Jacobi Teſcheri miſſa fuit) Oenotrium tendit. Jouchius, & Steinerus, cum ducentis & quinquaginta per ipſam montis crepidinem, Dux generalis cum maiori parte exercitus per medium montem, & Stephanus Thiſius verſus domus illas vallatas ad pontem inceſſerunt. Hoſtes propè Oenotrium in acie ſtabant; qui cùm Rhætos, qui per altitudinem montis veniebant, ſibi imminere viderent, ſtatim, deſertis aggeribus ſuis, ad caſtrum Naudeſperg, quod pago Oenotrio ſuperpoſitum eſt, confugerunt. Stephanus Thiſius interim domos vallatas ad pontem fortiter aggreſſus eſt. Hoſtes, cùm iam etiam alios noſtros proximos viderent, poſt aliquot ſcloppettorum diſploſiones, in fugam verſi, atque triginta interfecti, aut in Oeno ſubmerſi, & viginti duo, ſicuti

vnus

vnus quoque die antecedenti, capti fuerunt: qui ex cohortibus Sulzianis, aut popularibus Oenanis erant. Hi etiam, cum aliis, ad Cliuum ſancti Lucij miſſi fuerunt. Tormentum illud campeſtre, quod die XIV. Julij ad Serramplanam hoſtes adepti erant, recuperatum, & præterea ſeptem cauallettos, ſeu ſpingardos, Rhæti nacti ſunt. Ex Rhætis vnus ſolus, Adamus de Adamis, Rhetigoius, tormento maiori ex caſtro Naudeſperg occiſus fuit. Milites gregarij pago Oenottrio ignem iniicere volebant: ſed à Duce generali prohibiti fuerunt. Sub noctem, incenſa domo vna, vt viam cognoſcerent, per pontem Martini in Engadinenſium territorium redierunt. Domos vallatas deſtruxerunt, & pontem Martini combuſſerent. Ad pedem pontis, ex lignis illis duarum domuum vallatarum, & aliis aſſeribus alij aggeres à Rhætis excitati fuerunt, vt, ſi quando hoſtes pontem ſternere vellent, impediri poſſent. Die ſequenti exercitus in caſtra Sentum redijt. Die Veneris, XXIX. Julij, Culturenſes populares Auſtriaci in ſtationem Fettanienſium Engadinorum venerunt; vbi cùm aliqui Heluetij & Engadini negligentiùs excubias agerent; octuaginta vaccas inde abduxerunt.

His diebus in Rhætiam Colonellus Georgius Janus Pœblizius, item capitaneus Ulyſſes à Salis, capitaneus Jo. Petrus Eſcherus, Tigurinus, ex exercitu Comitis Mansfeldiæ; capitaneus autem Jacobus de la Maiſon-neuue, Baudichon dictus; & eius ſignifer Piaget, Geneua venerunt. Pœblizius legionem, ſumptibus Venetorum, conſcribere debebat: ſed in medio procinctu auxilia, quæ augeri debuiſſent, tepeſcere viſa ſunt. Baudichoni, vt turmam equitum conduceret, mandatum fuerat. Ulyſſes à Salis, Jo. Petrus Eſcherus, Joannes Fauſchius, & Tobias Finerus, Adrianus, & Jo. Jacobus Viſſij, Glaronenſes; Hermannus Zidlerus, Abbatiſcellanus, qui Rineckij obijt, & in eius locum Hermannus Schuſſius ſuffectus fuit, omnes, cohortes conſcripſerunt, & in Dominio Maiævillano primò collocati fuerunt. Georgius Jenatius, cum Andrea Sprechero, Joannes Henricus Huoberus, Tigurinus, Joannes Æſchmannus, Vædiſchvilenſis, poſtea etiam cohortes in Rhæ-

tiam duxerunt. Sic etiam Jo. Uldricus Zieglerus, qui Bernæ habitabat, cum Zacharia Ætero, Bernate, aliquos milites conſcripſit. Hi tamen tantùm Valenſtadium vſque (cùm Rhæti ex Engadina diſceſſiſſent) venire potuerunt. Die Martis, II. Auguſti, ab aliquibus gregariis militibus ex Glaronenſi legione, contra iuſſa magiſtratus, caſtrum Eremuſianum incenſum fuit. Miles vnus gregarius, qui ſub Treuero militauerat, iamque ſub cohorte Henrici de Hartmannis erat, quòd cum ſocio ad hoſtes deficere voluiſſet, Senti ſuſpenſus fuit. Die Mercurij, III. Auguſti, terræmotus in Engadina inferiori fuit: ex quo multa loca concamerata in pagis combuſtis conciderunt. Fettani duo infantes à concidentibus muris eliſi fuerunt. Terræmotus iſte nec Curiæ, nec in Fœdere Griſæo fuit. Et hi terræmotus in Rhætia præſagium futuri mali ſemper fuerunt. Die Jouis, IV. Auguſti, hora prima noctis, in Dominio Maiævillano ſplendor, igni flammanti ſimilis, viſus fuit. Die Lunæ, VIII. Auguſti, ſanguineæ nubes ſuper montem Faliſcenſem procurrentes conſpectæ fuerunt. Et de diuerſis ſpectris multi multa narrabant. Poſt occupatum pontem Martini Dux generalis, cùm milites de anguſtia & incommoditate caſtrorum Senti conquererentur, exercitum per pagos Engadinæ inferioris diſtribuit. Glaronenſes, nempe Colonellus Schmidius, Tſchudius, Beldius, Martinus; atque Huoberus Tigurinus, Scolij: Dux ipſe generalis, Joannes à Salis, Colonelli Baptiſtæ filius, Henricus de Hartmannis, Stephanus Thiſius, cum dragonibus ſuis, Ardetij: Andreas à Salis, Verdmyllerus, Stapferus, & Steinerus, Guardæ: Chriſtophorus Montalta, Joannes Catharina, & Florius Buolius, Lauinij: Heerus, Theodoricus Enderlinus, & Teſcherus, Schuſſius, & Jouchius, Suſij, caſtrametati ſunt: quò etiam venit Jenathius; ſed mox Dauoſium reuocatus fuit. Et hæc caſtrorum diuiſio rebus Rhætorum ſummum damnum attulit. In Engadina ſuperiori, Volfgangus à Juualta manſit. Per aliquot dies otioſi Rhæti, inducias, vti ſpes facta erat, exſpectantes, manſerunt.

Sed interim ex Alſatia magnus numerus militum in Rhætiam contendit. Nempe, ſex aliæ cohortes ex legione Sulziana,

ziana, atque cum his Comes ipſe: capitanei reliqui fuere, Jo. Ludouicus Steinbock, Centurio maior, Am Grütt, cui Freibergerus ſucceſſit, Zursteeg, Freius, & Herbſtheimerus. Quatuordecim item cohortes Burgundorum legionis Baronis à Vatteuilla, quibus præerat Centurio maior Don Felix Onellus, Hibernus. Adeoque Comes à Sulz, qui ius ciuitatis apud Tigurinos habebat, & Baro à Vatteuilla, Berna oriundus, contra Rhætos arma ferunt. Redierunt etiam Schuarzvaldiani ſub Hieronymo Auguſto zum Jungen: denique centum & quinquaginta dragones. Hi primò Brigantij, & in locis circumuicinis, caſtrametati ſunt. Baldironus etiam legionem ſuam auxerat. In locum Baronis Cerniſchij, qui ægrotabat, Spiegelius, ſignifer Steigeri: in locum Baronis Ejerlini, Comes Paris Ladronus: in locum Baronis Felſij, Vollmannus: in locum Treueri, Montibellus Berettus, Capitanei creati fuerunt. Auſtriaci horum aduentu audaciores facti; Montefuniani, qui Saliſburgenſes ſibi iam adiunxerant, verſus Rhetigoiam, & Dominium Maiævillanum excurrerunt. Die Dominica, VII. Auguſti, Salzburgiani, & populares ex loco, im Brandt dicto, in montanas ſtationes Lacupratenſium Rhetigoiorum venerunt, vt oues inde abducerent: ſed illæ ſcloppettorum fragore diſperſæ fuerunt, vt Auſtriaci tantùm vnicum Rhetigoium, qui æditiuus Lacuprati erat, & excubias agere debebat, Pludonum captiuum deduxerint. Rhetigoij colligendis fœnis, & ſiliginibus occupati, negligentiùs excubias agebant. Die Jouis, XI. Auguſti, Saliſburgiani aliique, cum popularibus vicinis Auſtriacis, in mõtanam ſtationem pecuariam, Jeeſs, quæ ſupra pagum Rouenam eſt, vbi Maiævillani, Rouenenſes, & Vallisſanenſes pecora ſua habebant, ingreſſi, cûm cuſtodes qui pauci erant, & fœno ſecando præterea occupabantur, facilè fugaſſent; pecora non pauca abegerunt. Rhæti hanc iniuriam vlturi, per Cliuum ſancti Lucij deſcenderunt, & quadraginta pecora maiora, equóſque quinque abduxerunt. Die ſequenti Veneris, XII. Auguſti, Auſtriaci, ex Carneira, montana ſtatione pecuaria, Conuallenſium Rhetigoiorum octuaginta vaccas, & viginti iuuencas abegerunt, & quatuor viros ſenes, qui ibi ad cu-

ſtodiam erant, captiuos Pludonum duxerunt; Chriſtianum Bremum autem, quòd ſe contrà tutaretur, occiderunt. His tamen atque aliis depopulationibus populus minùs mouebatur, & ſemper fœniſecio, colligendæ ſiligini, & hordeo inhærebat. Caſtrenſes tamen Rhetigoij die Dominica, XIV. Auguſti, militem ſuum ad cuſtodiam tranſituum in monte Gabia, & alibi, collocarunt. Aceriani autem magis negligentes in cuſtodiis erant. Auſtriaci ergo die Martis, XVI. Auguſti, per montem, Sporen dictum, in Rhetigoiam venerunt, & ex Truſen montana ſtatione Acerianorum centum & quinquaginta iuuencas, & quingentas oues abegerunt: & butyrum, & caſeos, quos non auferre potuerũt, in fimum proiecerunt. Eadem etiam die per montem Gabiam Caſtrenſes aggreſſi ſunt: qui tamen ipſos viriliter propulſarunt. Poſtera die Mercurij Lacupratenſes aliqui ex montana ſtatione Auſtriacorum vna ſeptemdecim iuuencas, & quadraginta oues, abduxerunt.

Ducenti Curienſes, & Coruantij, ad Acerianos; Dauoſiani, ad Caſtrenſes Rhetigoios venerunt. Quatuorpagici, & proximi multi ex Griſæo Fœdere ad Cliuum ſancti Lucij properarunt. Cumque iam hoſtes in diuerſis partibus diſperſi eſſent: Crucij in Rhetigoia à Georgio Salùzio, & Capitaneis aliquibus, quibus & ego præſens eram, deliberatum fuerat, vt vna die Rhæti vndique, ſignis hinc inde datis, in hoſtes prorumperent. Nam diſperſi adhuc faciliùs profligati fuiſſent. Sed nec hic nuncius, qui in Engadinam ire debuerat, in tempore appulit. Conſilium cæteroquin & ipſi Duci generali placuerat. Sed interim plerique, qui ad Cliuum ſancti Lucij, & in Rhetigoiam venerãt, domum redierunt. Jam de nouo nuntiatum fuit, hoſtes Rhetigoios iam inuadere velle. Cohortes itaque Jouchij, & Heeri Glaronenſis, in Rhetigoiam vocatæ; atq; Jouchius Schleppinum, alter Gabiam, montes, cuſtodire conſtituerunt. Jenatij, & Sprecheri cohors, Dauoſij manſit. Paulò poſt Theodoricus Enderlinus ex Engadina in Dominium Maiæuillanum miſſus fuit. Sic Engadina multo Rhætico milite priuata fuit. Cognitum poſt fuit, Baldironum in hoc vnicum incumbere, vt omnes Auſtriacæ copiæ verſus Engadinam ducantur.

Die

Die Jouis, XVIII. Augusti, Curiæ Comitia congregata fuerunt: ad quæ ex Heluetiis duo Legati venerunt, Salomon Hirzelius, Senator Tigurinus, & Adamus Bœningerus, Glaronensis, qui Rhætos ad cõcordiam exhortati sunt. Dictum enim fuerat, Catholicis cum Protestantibus non benè conuenire. Adhæc, sperare se aiebant, omnia per pacificationem breui transigi posse. Oppidum enim Imperiale Lindauium, ad lacum Botamicum, locum pro componendis rebus nominatum esse. Denique, spem certam esse, Archiducem Leopoldum in inducias & suspensionem armorum consensurum: à Rhætis idem quoque postularunt. Interim Rhætos ad vigilantiam exhortati sunt. Rhæti, actis gratiis, eos vt auxiliis & consiliis prompti essent, rogarunt, atque secessionem ab armis statim, vbi Archidux eam approbauerit, polliciti sunt. Litteras hi ab Imperatore Romano, præterito mense Julio ad Heluetios scriptas, ostenderunt, quibus, inter alia, in Rhetigoios, & eorum socios inuectus, inuasionem regionum Austriacarum hæreditariarum (Montefunum innuebat) non inultam fore minatus fuit.

Die Martis, XVI. Augusti, antea Stephanus Thisius, & Andreas Steinerus, cùm de deprædationibus Austriacorum in Engadina inauditum fuisset; cum quadringentis militibus per montem Futschiolum in Culturam missi fuerunt: vbi, præter incolas, duæ cohortes Austriacæ erant. Sed cùm volones citiùs, quàm mandatum fuisset, hostibus appropinquassent; hi statim ad montana abductis secum armentis, confugerunt. Octo ex eis occubuerunt. Milites nostri domos deprædati sunt, & aliquas incenderunt, atque cum præda, in castra in Engadinam reuersi sunt. Heluetius quidam, cùm se præda nimis onerasset; ab hostib. qui ex montanis reuertebantur, occisus fuit. Die Sabbathi, XX. Augusti, capitaneus Stephanus Thisius, assumptis ducentis militibus, cortes & domos illas circa castrum Taraspum inuasit, quinque ex hostibus occidit, duósque, quorum alter erat Andreas de Menga, Engadinus, ob homicidium à patria exul, quo modò internuncio Austriaci vtebantur, cepit. Cùm hic iam ex captiuitate euasisset; ab alio Engadino

obtruncatus fuit. Post deprædationem,in qua,præter alia, octuaginta armenta maiora erant, domus etiam incensæ fuerunt. Quatuor ab hinc diebus capitaneus Martinus, Glaronensis, cum aliquo milite, Taraspum redijt, & sexaginta pecudes inde abduxit.

Die Sabbathi, xx. Augusti, Stapferus,& Steinerus,cum trecentis suis,atque Engadinis per montem Zampoirum,in locum,Spescha,dictum (duo viculi propè Samnunum sunt, & ad Austriacos pertinent) profecti, hostes, qui ducenti conscripti milites erant, in pago superiori antè lucem adhuc in lectis stertentes obruerunt, viginti tres occiderunt, in quibus Locumtenens vnus fuit: & prædas pecorum aliquas egerunt. Uterque pagus, igne iniecto,conflagrauit. Die xxv. Augusti, aliqui Maiævillani & milites ad Cliuum sancti Lucij in mõtanam stationem Schanensium, subditorum Comitis ab Alto-Amisio egressi, pecora aliquammulta abegerunt.

Rhæti Deputatos suos ad diem Transactionis iam nominauerant,Volfgangum,nempe,à Montalta,Joannem Trauersium,& Huldricum Buolium: qui se in viam Lindauiam versus dederant, cùm superuenissent litteræ Archiducis Leopoldi Spira Nemetũ,die xv. Augusti ad Heluetios scriptæ, quibus diem Transactionis quartam Septembris, Lindauiæ,nominans,ea ipsa die cessationem armorum incipere debere declarauit; ita tamen, vt Tria Fœdera (hæc verba formalia sunt, adeoque Archidux Leopoldus coniunctionem Trium Fœderum iterùm approbabat) etiam litteras reuersorias dent, quòd inducias & sessionem ab armis obseruare velint. Misit etiam litteras salui conductus, vt Rhætorum Legati liberè Lindauiam accedere possint. Hæ litteræ xxx. Augusti ab Heluetiis in Rhætiam missæ fuerunt; iamque Rhætorum Legati Tigurum, vt auxilia, propter hostium multitudinem ad confinia Rhætorum confluentem,ab Heluetiis flagitarent,profecti sunt. Tiguro verò simul etiam Lindauiam cum Helueticis Legatis se contulerunt.

Austriaci, ad quos Comes Aluicus, & omnes Capitanei venerant,die xviii. Augusti, omnem exercitum,quem in

quatuor

quatuor Dominiis cis montem Arelam habebant, conuocarunt, atque præsidiarios quoque illos, qui in castro Guttenberg erant, impositis dicto castro, vallo, & aggeribus ad pagum Tisis, aliquibus popularibus Austriacis, assumpserunt: ac die Sabbathi, XX. Augusti, Montefunum ingressi, in pago Tschickuno, & vicinis locis, ad diem alterum vsq; Sabbathi, XXVII. Augusti, permanserunt. Die sequenti Dominica, XXVIII. Augusti, exercitus, nempe, legiones, Sulziana, Vatteuilliana, Salzburgiani, & Schuarzvaldiani, ad S. Gallum in Montefuno congregati, per montem Seines Culturam venerunt, & sequenti die Lunæ in Vallem Ischlam duarum horarum spatio progressi, ea ipsa adhuc die per montem Sebles in Vallem Samnonum, quæ Engadinæ inferioris membrum est, profecti sunt: vbi iam Baldironus cum legione sua, item Voltureni sub Carolo Robustello, turma equitum capitanei Balæstræ, Itali, & ter mille quingenti Tirolenses, quibus Christophorus Jacobus Liechtenstenius, & Ferdinandus Fuxus, præerant, eos exspectabant. Comes à Sulz Generalis salutatur: ita tamen, vt Baldironus eis, quos secum adduxerat, præsit. Pater Alexius, Capuccinus, cuius socius pater Pius, alias Joannes Gaspar à Castromuro, Rhætia oriundus, auctoritate sibi à Papa concessa, vexillis & armis, suo more, benedixit. Vallem Samnonum, exceptis paucis ædibus, combusserunt: & obuios quosque occiderunt.

Die Martis, XXX. Augusti, proposuerant versus Ardetium in Engadinam irrumpere. Sed falsò ipsis relatum fuerat, decem cohortes Rhætorum (tantùm octodecim milites fuerant) eos in monte exspectare. Itaque nubilo cœlo, ductu Simonis Janetti, Engadini, de quo antè diximus (pater Alexius in relatione sua Joannem Martinum, per errorem, nominat) per montem Zampoirum Celinum in Engadinam eadem die venerunt. Comes Aluicus in templo pernoctauit: & non vltra mille milites in pagum appellere potuerunt: reliqui in sylua & monte pernoctarunt. Duodecim, quorum septem ex cohorte Steinbockij erant, frigore in monte perierunt.

Egregiam occasionem Rhæti hîc neglexerunt. Nam in

monte duodecim tantùm Engadinos in custodiis collocauerant. Quòd si in tempore cum milite montem occupassent, aut adhuc defessos aggressi essent; facilè hostes profligare potuissent. Ab altera parte, versus pontem Martini, die Dominica, XXVIII. Augusti, hostes etiam se ostentarant, & Oenotrij pontem portabilem, ad superandum Oenum, parauerant. Die sequenti Lunæ pontem Oeno imponere totis viribus conati fuere: sed aliquibus Engadinis, cum quibus Antonius Violandus erat, qui modò ex Palatinatu venerat, repulsi fuerunt. Propè castrum Taraspum Hennlius, cum quatuor cohortibus, etiam comparuit. Die Mercurij, XXXI. Augusti, Comes à Sulz sexcentos scloppettarios versus pontem S. Martini misit. Sed Engadini, cum triginta Heluetiis, cùm hostium aduentum in pagum Celinum cognouissent, noctù, ne interciperentur, à ponte recesserant. Austriaci ergo, vt commeatum Oenotrio aduehere possent, pontem construxerunt.

Die eadem Mercurij vallum illud ad cœmiterium Scolianum à Rhætis, ne hosti vsui esset, dirutũ fuit. Die Martis antecedenti, Baldironus rusticum Celinẽsem Engadinum, cum vxore & liberis, captiuum fecerat; hunc, iuramento dato, & familia apud se pignoris loco retenta, ad exploranda castra Rhætorum misit. Rhætis iste indicabat, Baldironum apud se Martinum à Camenis, & alios Rhætos Engadinos profugos habere: milites autem, quos in pago Celino viderit, mille & quingentos non excedere. Dux generalis ergo Colonellum Georgium Janum Pœblizium, & Stephanum Thisium, dicta die Mercurij, XXXI. Augusti, Scolium, cum octingentis selectis, misit, qui ibi quadringentos alios ex legione Glaronensi, aut cohorte Steineri, secum assumerent. Steinerus, & Martinus, cum eis profecti sunt. Hi mille ducenti recta Eremusium petierunt: vbi ad pontem quadraginta, quibus Osvaldus Munzingerus, Basileensis, ex cohorte Verdmylleri, præfectus, collocati fuere: cæteri montem, ad pagum Mnau ascenderunt. Sed hostis, circa meridiem, Celino cum triginta cohortibus egressus, hora secũda per viam regiam Eremusiũ versus processit. Rhætorum speculatores, qui Engadini erant, negligentes, & varij pleri-

plerique in sermonibus inuenti fuerũt, vt priùs hostis faciem, quàm aduentum nostri cognouerint. Cùm hostes iam viam regiam occupassent; Pœblizius præcepit, vt ordines, & agmina Rhæti seruarent, atque Ardetium redirent per montem. Engadini autem aliqui, quibus deinde se multi gregarij milites adiunxerunt, Sentum versus, vt suppellectilem aliquam seruarent, tenderunt. Hostes pontem Eremusij, quem quadraginta illi ad custodiam positi præ nimia festinatione non abruperunt, (si abrupissent, diu hostem sustinere potuissent) occuparunt, tres ibi occiderunt, & aliquos ceperunt: inter quos Osvaldus ille fuit, qui hostes de omni re edocere potuit. Adhæc iidem nostros per montem incedentes insecuti, quinque interfecerunt, & aliquos ceperunt. Pagum etiam Sentum intrauerant: sed tunc Rhæti aliqui collecti eosdem, qui plerique dragones erant, ex pago iterùm repulerunt. Cùm verò alij superuenissent; vi irruperunt, aliquos incolas ægrotantes, inter quos etiam grauida mulier fuit, occiderunt. Pœblizius, die Jouis, prima Septembris, cum suis in castra redijt. Porrò hostibus animus ex relatione captiuorum auctus fuit. Nam quindecim tantùm cohortes Rhætici militis, vti verum erat, esse referebant: quæ vix bis mille pedites, & quinquaginta dragones, efficiebant. Engadini, armis gerendis apti, vix erant trecenti, fustibus plerique tantùm armati. Hennlius, cùm pagum Sentum ab Austriacis occupatum vidisset; displosionibus Falckonettorum illos, qui Scolij erant, tentauit: qui pagus tum quoque derelictus fuit: Hennliusque eò venit. Comes autem Sulzianus, cum reliquo exercitu, Senti pernoctauit. Eadem die Jouis hostes Sentum, vbi ducentæ & quinquaginta domus, & Scolium, vbi trecentæ domus fuerant, adhæc sex quoque domus illas Fettani, ex incendio seruatas, igne penitus perdiderunt. Pater Alexius in relatione sua Comitem Alvicum, & reliquos belli Duces incendium prohibere voluisse: sed milites parere recusasse, commemorat, atque dixisse, Archiducem Leopoldum vnicuique domum vnam in Engadina donasse, & omnia prædæ exposuisse: Se autem, ad instar cochlearum, domus dorso portare minimè posse; proinde eas comburere velle. Sub-

vesperam in campis extra Vallemtasnam exercitus hostilis appulit: atque Comes statim in vallem, vt aditum exploraret, venit; indeque ad exercitum reuersus, etsi iam nox instaret, & alij dissuaderent, non cunctandum iudicauit: atque adeò mille selectos scloppettarios in Vallem ipsam misit. Pontem tamen priùs, Generalis Rhætorum, per Capitaneum Henricum de Hartmannis abrumpi curauerat. Rhætorum cohortes pleræque, quæ Scolij, & Ardetij fuerant, in aggeribus cõstructis ad pagellum, Canoua, dictum, qui suprà Ardetium Vallitasnæ imminet, substiterunt: atq; Engadinis, vti itineribus assuetis, custodia montis commissa: Huoberus, ad custodiam pontis, qui infra Ardetium est, & quo ad pagum, Supra œnum, dictum, itur, collocatus fuit: nam ea ipsa die Iouis aliqui Tirolenses Taraspo ad dictum pagum venerant, & illum combusserant. Adhæc Hennlij irruptio ibi timebatur. Variæ Rhætorum sententiæ in consilio bellico Ardetij erant. Alij suadebant, omnes copias Ardetium ad resistendum hostibus conuocandas esse. Sed Generalis timebat, ne per Valles Ferremontum, & Toiam, aliaque loca, interciperentur. Alij dicebant, conuasatis omnibus, Susium eundum cum copiis omnibus, ibíque Dauosianorum, Rhetigoiorum, & aliorum auxilia exspectanda esse. Hæcq; sententia iam obtinuerat, & Generalis eam cohortibus, quæ Guardæ erant, ita communicauerat. Sed Glaronenses, atque inter hos præcipuè Tschudius, Ardetij manendum esse: nam si noctu castra mutaturi sint, milites hinc inde se subducturos. Et huic opinioni etiam adhærebat Stephanus Thisius, qui locum in Canoua, vbi erant, satis munitum putabat, & montem, vbi angusta tantùm semita esset, paucis defendi posse, asserebat. Generalis concubia nocte Steinerum Guarda ad se vocauit. Milites autem ipsius Guardæ manserunt: sed ductore altero carebant. Nam Stapferus, ante octo dies, morbo ex nimio labore contracto, Tigurum profectus fuerat: quod rebus Rhætorum, vti etiam aduersa valetudo Joannis Petri Guleri, & Capitanei Andreæ Sprecheri, multum nocuit: nam omnes tres strenui milites erant. Sic etiam in Heluetia militis conducendi gratia erant Capitanei, Dietegauus ab Hartmannis,

Georgius

Georgius Jenatius, (qui etiam morbo correptus fuit) Joannes Fridericus à Salis, & Daniel Beldius. Verdmyllerus autem, qui etiam Guardæ erat, cum cohorte ſua, cui ſe etiam aliqui ex Steineri cohorte adiunxerunt, ſub noctem Lauinium petijt. Hac nocte propemodum tota, cœlum ſupra pagum Ardetium rubuit, vt ſanguine aër conſperſus videretur. Rhæti totam noctem ſpingardarum diſploſionibus contra volones in Valletaſna pugnarunt: illi ſubinde moſchettis ſuis etiam reſponderunt. Jam appetente die Veneris, 11. Septembris, mille illi moſchettarij, cùm vnicuique hauſtus vini datus eſſet, & vnus ictu ſpingardi concidiſſet; à Locumtenente Colonello Altmanshauſero, & Capitaneo Kleinhans, qui ipſis præerant, ad impetum contra Engadinos, qui in monte erant, excitati fuerunt. Hi aliquos profugos Engadinos ſecum habuerunt, qui ſemitam commonſtrarunt. Hora ergo ſeptima antemeridiana velitatio cæpta fuit. Generalis Stephanum Thiſium, & Steinerum, cum trecentis militibus Engadinis in auxilium miſit. Sed hi nimis tardè appulerunt. Interim maior pars Auſtriaci exercitus per Vallemtaſnam prope Canouam irrumpit. Adhæc verſus Oenum aliqui miſſi, vt Rhætos etiam ibi inuaderent. Cumq; iam mons ab hoſte captus eſſet; qui Canouæ erant, à duabus partibus impetebantur. Proinde, poſtquam multi, inter quos Rhetigoij aliqui erāt, ſe fortiter defendiſſent, receſſerunt. Henricus de Hartmannis, & Joannes à Salis, inter vltimos adhuc in aggeribus ſteterunt. Multi ex Rhætico exercitu noctu antè ſe Suſium verſus ſubduxerant. Aliqui ex Glaronenſium legione, & Huoberi cohorte, ſpoliando pago Ardetio occupati, atque plerique in deprædatione, ab hoſtibus ſuperuenientibus occiſi fuerunt. Aliqui in Oeno perierunt. Hoſtes, cùm Canouam veniſſent, & doliola aliqua pulueris nitrati ibi in domo Joannis Gulfini inueniſſent, caſu vnum ignem concepit, adeò vt muri hinc inde ruerent: vnde octo ex hoſtibus occiſi fuerunt. Horum dragones Rhætos inſecuti, multas mulieres Engadinas, & infantes calcibus protriuerūt. Aliqui milites etiam, & mulieres, atque infantes, infra Guardam, cùm Carſonum verſus auffugere vellent, in aqua perierunt: nam aliqui milites

Heluetij, qui eò confugerant, priùs pontem abruperant. Susium cùm Rhæti venissent, militem retinere volebant, vt loco tuto se communirent: sed pauci dicto audientes erãt: & iam agminatim per montem Fluelam Dauosium tenderunt. Multi, per montanam stationem, Vereinam, dictam, ad Rhetigoios in fuga peruenerunt. Stephanus Thisius, Steinerus, Martinus, Joan. Arnoldus Adlinger ab Arnoldstein, nobilis Silesius, magister Hartmannus Schuarzius, Joannes Saluzius, Martinus Obersaxerus, & duodecim alij, Susio, equis vecti, egressi sunt: cumque iam pars equitatus hostilis eò peruenisset; in proximis pratis cum ipsis velitati, vnum occiderunt, duos vulnerarunt, & parùm abfuit, quin Locumtenentem Colonellum Altmanshauserum captiuum fecissent. Reliqui fuga Lauinium euaserunt. Cùm autem milites plerique Susium pagum reliquissent; & ipsi pauci, qui cum hoste pugnauerant, Dauosium petierunt. Hostes, sub vesperam, Susium omnes peruenerunt, & pagos omnes, infra Susium, exceptis Mnau & Crieusch, combusserunt. Multi ex exercitu Rhætico capti fuerunt: ex quibus quadraginta, qui plerique Engadini erant, in pratis propè Susium, Baldironus interficere iussit. Qui sub legione Comitis Alvici captiui detinebantur, mitiùs tractati fuerunt. Desiderati sunt ea die ex exercitu Rhætico, aut milites, aut mulieres, infantesque Engadini, circiter ducenti. Nam ex solo pago Fettano plus quàm triginta cæsi fuerunt: Pater Alexius scribit, mille & ducentos ex Rhætis desideratos: quod tamen falsum est. Ex Austriacis, præter octo illos, qui in ruina domus perierunt, tantùm quatuor occubuisse, & aliquos vulneratos fuisse, idem ait quidem; sed nec hoc verum: nam, vt ex militibus Austriacis postea cognitum fuit, octodecim ex ipsis occubuerunt. Colonellus Schmidius, Glaronensis, cum filio, infra Guardam, in Valle Gluzen captus fuit. Comes Alvicus ipsum postea sequenti die, vt fama constans est, hac conditione dimisit, vt, iuramento præstito, Heluetico militi persuaderet, vt ex Rhætia discederet. Venit itaque Dauosium, & se numeratis militi aliquot nummis, auffugisse dixit. Atque multi interim milites se subduxerunt. Ubi Generalis, die Veneris, sub vesperam,

ram,

ram, Dauosium venisset: neminem primò in Valle Fluela ad custodiam transitus retinere potuit. Dauosiani, conuocatis quos potuerunt ex suis, nam ædes hinc inde dissitæ sunt, aliquos ad dictam Vallem Fluelam, quibus etiam aliqui ex cohortibus Steineri, & Verdmylleri, adiuncti fuerunt, miserunt: alios in Vallem Dismaa deduxerunt: in qua Valle tamen minùs periculi, vtpote quæ Engadinæ superiori adiacet, subesse putabant. Generalis interim Curiam, & in alia loca, Rhætiæ litteris raptissimè exaratis & missis, auxilia petijt. Joannem Paræuelum Steinerum, Heluetium tibicinem, die Sabbathi, III. Septembris, manè ad Comitem Alvicum cum litteris Susium ablegauit. Sed iam Comes Susio Cernetium mouerat: & Susij mille præsidiarios Tirolenses reliquerat, in eum finem, vt pater Alexius annotat, vt Engadinos ex latibulis prorepentes trucidarent. In litteris illis Generalis Salicæus significabat, sibi diem induciarum & suspensionem armorum crastinam, nempe Dominicam, IV. Septembris, dictam esse, seque inducias obseruare velle: & ab ipso Comite scire petere, num verbo Archiducis Leopoldi parere, & satisfacere velit. Hostes iam ipsa die Sabbathi, III. Septembris, in Engadinam superiorem venerunt. Engadini superiores ad pontem altum aliquos milites habuerant: sed, consilio capto, delegatos aliquos, inter quos Jodocus Raserius, & Petrus Parinus, qui Stredelio & Baldirono benè noti erant, ad Austriacum exercitum mittunt. Hi pacti indemnitatem pro sua valle (nam se coactos litteras fœderales iurasse aiebant) cum Austriacis transigunt. Capitaneus Volfgangus Juualta, cum cohorte sua, Bergunium se confert. Delegati hi Engadini, tanquam obsides, Dauosium, & Maiævillam vsque, cum Austriacis venire coacti sunt. Et ita exercitus Austriacus per pagum Susanam, & Vallem Pinetam, ad montem Scalettam tendit. Duo pueri Heluetij, qui Susij captiui fuerant, ab hostibus auffugerunt, & Dauosianis, qui in Valle Fluela erant, significarunt, hostes in Engadinam superiorem, & inde in locum, Pratum siccum, dictum, quod in Valle Dismaa est, cogitare. Et hoc statim Duci generali nunciatum fuit. Petrum Ruedium Dauosiani, qui in Prato sic-

co erant, ſpeculandi gratia in Vallem Pinetam, propè Parcabellam, miſerunt: qui, duabus ferè noctis horis elapſis, ad Dauoſianos redijt, & aduentum hoſtis ſignificauit: ſtatimque ad Generalem (qui cum exercitu ad templum maius erat, quod duabus ferè horis à Prato ſicco diſtat) nuncij miſſi ſunt. Pauci illi Dauoſiani, nam vix ducenti erant, titionibus in manum ſumptis, quòd cœli facies obſcura eſſet, verſus cacumen montis inceſſerũt. Sed cùm iam in locum, Riſendt, dictum, qui cacumini proximus eſt, veniſſent; ab hoſte imminẽti impetiti, & Caſparus Nadich occiſus, Chriſtianuſque Peuſchigius captus fuit: ex quo omnia Martinus à Camenis expiſcari potuit. Si Dauoſiani, & Rhætici milites, cuſtodias in tempore in iugo, & cacumine montis poſuiſſent, hoſtium vires in arctis illis clauſtris, procul dubio, diu ſuſtinere potuiſſent. Sed negligentia ſupina vbique apparebat. Dux generalis, nuncio accepto, capitaneo Steinero mandauit, vt cum militibus, quos habere poſſet, ad occupandum aliquem commodum locum in Vallem Diſmaa proficiſceretur: qui ad locum, Domus infantis *(Kindtshaus)* dictum, vbi parua ſylua eſt, ſtationẽ elegit. Mox etiam Dux generalis, & Pœblizius cum reliquis copiis, quæ paucæ erãt propter cõtinuam exterorum militum fugam, aduenerunt. Et iam dies Dominica, IV. Septemb. illuceſcebat. Conradus Buolius, Concionator Dauoſianorum, à dextero Vallis latere, cum manipulo Dauoſianorum, in montem profectus fuerat, vbi in loco, *Scheurvengen*, dicto, hoſtes deuoluendo lapides impediuit, ne montis partem tenere poſſent. Tres ex hoſtibus ibi occiſi, & aliqui vulnerati fuerunt. Porrò conſtitutum fuerat, vt, qui in Valle Fluela erant, quando ipſis ſignum per ſtationarium militem, qui in cacumine montis, inter vtramque vallem iacentis, collocari debebat, datum eſſet, etiam in Vallem Diſmaa deſcenderent. Heluetiorum autem maior pars montem ſuperare recuſauit. Balthaſſar Schuarzius, cum alio agmine Dauoſianorum, à ſiniſtro Vallis Diſmaa latere ad montem miſſus fuit. Sed hi cùm Rhætos in planitie poſtea recedere viderent, nihil efficere potuerunt. Capitanei, Paulus Buolius iunior, Joannes Sprecherus, frater meus, & alij, ſpeculandi gratia, ad

Pratum

Pratum ſiccum profecti, cùm ad locum, Pleicken, dictum, veniſſent, paucos volones ibi viderunt. Inter hos erat ipſe Comes à Sulz, cum Martino à Camenis, & duobus famulis, qui ex loco alto omnia perſpicere potuerunt. Comes ſtatim ad ſuos redijt: &, quamuis decretum fuiſſet, ea die in Prato ſicco ſtatiua habere, & excelſa montis vbique occupare: tamen, cùm paucitatem noſtri militis vidiſſet, ampliùs morari noluit. Ex Rhætis aliqui pauci, cum Buolio, & Sprechero, ad montanas ſtationes Scheuren, & Am-Buel venerunt, & cum hoſtibus velitati ſunt. Et Pater Alexius, in relatione ſua, fatetur, Rhætos hac velitatione Auſtriacos impediuiſſe, quò minùs cibum ſumere potuerint: quumque nondum omnes per montem Scalettam aduenissent; ſi plures Rhæti fuiſſent, defeſſis Auſtriacis obſiſtere potuiſſent. Sed milites multi gregatim ſe à ſtatione ſubducebant. Hoſtes iam denſa acie comparuerunt. Rhæti, viribus impares, nam vix mille erant, receſſerunt. Nouem Geneuenſes & Nouocaſtrenſes, cum Jacobo Valerio, Dauoſiano-Rhetigoio, ex ſylua illa, Infantis domus, dicta, totum Auſtriacum exercitum frequentibus ſcloppettorum ictibus remorati ſunt, interfectis & vulneratis aliquibus ex hoſtibus: qui mox montis partem petierunt, vt hoſce paucos interciperent: quare, vno ſolo occiſo, fuga euaſerunt. Ex Auſtriacis dragonibus etiam tres in deſcenſu montis Scalettæ noctu præcipites acti, mortui ſunt. Dux generalis Salicæus mandauerat, vt ſupra lacum in ſylua (vocant Syluam altam ad S. Volfgangum) Rhæti ſubſiſterent, & in commodo illo loco vires recolligerent, ac auxilia exſpectarent. Jouchius antè cum aliquibus aduenerat; ſed fruſtrà hoc fiebat. Alij, cum paucis Scanauicanis, per Strelam montem in proximam vallem Scanauicam: alij iam per cliuum *(Stüz)* in Rhetigoiam aufugerant. Domus Dauoſianorum ipſi milites ſpoliabant. Ex Aluonouana iuriſdictione etiam quidam adueniebant, qui mox domum reuerſi ſunt. Hoſtes viginti duas perſonas Dauoſianas etiam interfecerunt: inter quas tres mulieres, & reliquæ omnes ſeptuagenariis maiores, quæ tempore auffugere non poterant, fuere. Præter nominatos, etiam aliqui ex hoſtibus occiſi fuere. Meinradus Marcadantus,

Dauoſianus, dragonem, Jacobus ille Valerius die ſequenti militem, & alij tres Voltureños in Diſmáa interfecerunt: presbyterum quendam cum duobus militibus lapidibus necarunt: & duos in lacum præcipitarunt. Eadem ſeptimana, & poſt etiam, Bormienſes octodecim, cum multis equis, in Vallem Diſmaa venerunt, & prædam inde abduxerunt. Sed, cùm ſæpiùs redirent, à Dauoſianis aliqui morte mulctati fuere. Hoſtes Dauoſij, præſertim in ædibus Colonelli Guleri, duorum meorum fratrum, Andreæ & Ioannis, itemque in domibus Buoliorum, magnam prædam, pecunias, veſtes, & pretioſam ſuppellectilem nacti ſunt. In domo capitanei Pauli Buolij ſenioris, tria vexilla militaria inuenerunt: Archiuum regionis & fœderis ſpoliarunt: vexilla maiora *(Baner)* ex quibus vnum cum inſignibus Pontificalibus à Julio II. Pontifice donatum erat, diſcerpſerunt, & faſcias crurules milites inde ſibi confecerunt: duo tamen antiquiora, ſed ex viliori materia confecta, conſeruata ab incolis fuerunt: ſcripturas & monumenta antiqua pleraque diſtraxerunt. Totam ferè Vallem Diſmaa igne abſumpſerũt. In pago ad ſanctum Theodorum, quatuordecim domibus; ad maius verò templum ſancti Joannis, ædibus Colonelli Joannis Guleri, Capitanei Pauli Buolij, meis, ac ſex aliis ignem iniecerunt. Sic quoque in locis Vildmatta, Obermeyerhoff, & ad lacum minorem, aliquas ædes combuſſerunt. Septuaginta in vniuerſum ædes igne abſumptæ fuerunt.

Dux generalis, cum eo militum numero, quem colligere potuit, eadem die Dominica, ſub veſperam, in Rhetigoiam venit, atque denuò emiſſis nunciis vbique auxilia flagitauit. Cohortes Jo. Petri Guleri, & capitanei Ulyſſis à Salis, fratris ipſius Ducis, qui ipſemet venit, & Georgij Kienaſtij, ex Dominio Maiævillano Conuallium in Rhetigoiam vocatę fuerunt. In Conſilio bellico deliberatum, die ſequenti, v. Septembr. militem ad locum, Mattelti *(pratulum)* dictum, quod intra pagum Saxium verſus Cœnobianos eſt, vti locum commodum, reducere, ibique hoſtem exſpectare. Sed noctu multi iterum ex Heluetico milite dilapſi, proindeque capitanei, Verdmyllerus, & Tſchudius, ad eos colligendos

gendos Malanſium vſque miſſi fuerunt; qui tamen nihil efficere potuerunt. Rhetigoiorum etiam non ille numerus, ſicuti ſperabatur, comparuit: nam multi in iugis montium ad cuſtodiam permanſerunt. Dauoſiani quoque pauci aderant. Die Lunæ, ſummo manè aliqui Rhetigoij, cum quinq; cohortibus Heluetiorum, Heeri, Steineri, Verdmylleri, Kienaſtij, & Huoberi, ad locum illum, Mattelti, miſſi fuerunt. Dux generalis cum Pœblizio, dragonibus, & ſeptem cohortibus, nempe, Generalis ipſius, Joannis Petri Guleri, Ulyſſis à Salis, Joannis à Salis; Baptiſtæ f. Joannis Catharinæ, Georgij Jenatij, & Conradi Schuſſij, ſubſequi debebāt. Aderant etiam Stephanus Thiſius, & Henricus de Hartmannis: ſed hi paucos milites habebant: nam multi ex cohorte Hartmanni in Engadina deſiderati fuerunt. Glaronenſes quoque pauci adhuc aderant. Capitaneus tamen Melchior Martinus cum aliquibus etiam venit. Interim, neſcio quo infœlici omine, locus ille Mattelti, priuſquam hoſtis eò deueniſſet, derelictus fuerit. Rhetigoij nihilominùs multi firmiter ibi manendum ſuadebant; ſed alius locus ad Raſchnalz, qui propè intra Saxium pagum eſt, ad reſiſtendum hoſtibus electus fuit. Hoc ipſo temporis puncto ſchedula aperta, ex iuriſdictione Aceriana ad Ducem generalem miſſa, qua ſignificabatur, hoſtes ſummis viribus iuriſdictionem Acerianam inuadere decreuiſſe. Quod tamen non eo modo, vt ſcriptum erat, ſe habebat. Nam venerunt quidem aliqui Montefuniani, viri & mulieres, cum paucis militibus, verſus lacum Luenenſem, qui Acerianæ iuriſdictioni confinis eſt: tres tamen Aceriani ſoli, Georgius Perrius, Andreas Ternozerus, & Michaël Teſcherus, ſcloppettorum ictibus, & ſaxis deorſim volutatis, eos in fugam egerunt. Hoc ipſo momento venit etiam ad Ducem generalem Paræuelus ille tibicen, qui referebat, hoſtes circiter viginti mille eſſe, (cum tamen circiter octo mille eſſent) & legionem Joannis Baptiſtæ Lodroni adhuc eos ſubſequi: & hoc etiam inter milites ipſos, ita ab hoſtibus perſuaſus, ſpargebat. Milites proin Heluetij murmurantes, Capitaneis, ſi ab hoſtibus interfecti fuerint, minati ſunt. Tibicen iſte litteras etiam, à Comite Alvico, ad Heluetios

capitaneos, & milites ſcriptas habebat, quibus inter alia, Se dolere aiebat, quòd Heluetij ſe huic bello cum Rhetigoiis rebellibus immiſcuerint, & multos milites amiſerint. Eos proin ſe, cùm ciuis Tigurinus, & eorum amicus ſit, exhortari, vt ſtatim à Rhetigoiis diſcedant: ſe ipſis liberum tranſitum permiſſurum: nec Archiducis Leopoldi conſilium eſſe, fœdus hæreditarium, quod ipſi cum Heluetiis intercedit, violare. Ad Generalem, & Rhætos, litteras contemptu plenas, hic tibicen etiam attulit. Dux generalis, & plerique Capitanei deliberauerunt, cum numerum exiguum militum haberent, Crucium vſque ad proxima rudera caſtri Solauerſæ ſe conferre, & auxilia exſpectare. Sed Rhetigoij conſtanter hoc negarunt, atque hîc ſe cum hoſte pugnare velle affirmarunt. Generalis, vt militem colligeret, Conuallium vſque, vbi pleriq; ex Aceriana iuriſdictione erant, redijt. Pœblizius interim, Ulyſſes à Salis, Stephanus Thiſius, & alij, duodecim illas cohortes, meliori quo potuerunt modo in aciem diſpoſuere. Via quoque in aliquibus locis arboribus præciſis impedita fuit. Vexilla cum pauco milite in ſylua illa propè Raſchualz, collocata. Hoſtes interim pleraſque ædes in interiori parte Cœnobianæ iuriſdictionis combuſſerunt, vt de quadringentis, ſeptuaginta tantùm reliquæ eſſent. Sub ipſum meridiem, die Lunæ, v. Septembris, pugna ab hoſtibus inchoatur, cum quibus ipſe Comes Alvicus, & capitaneus Hieronymus Rondinellus erant. Rhæti autem, præſertim Rhetigoij, qui tamen plures quingentis non erant, viriliter eos repellunt. Pater ipſe Alexius, qui præſens fuit, Rhetigoios ſcribit, inſtar velociſſimarum rupicaprarum, ab vna rupe in aliam cum ſudibus ſuis ſaliiſſe, & fortiſſimè pugnaſſe: Heluetios autem vilipendit. Comes Alvicus ferè ſolus à ſuis relinquitur, & dragones quoque hoſtium in fugam aguntur. Baldironus, nec verbis, nec verberibus, ſuos à fuga ferè retrahere potuit: iamque captiuos omnes occidere conſtituerant: denique puluere tormentario carebant. Interim Comes, qui etiam aliquantùm receſſerat, acribus verbis ſuos ad virtutem, præſtantiam Germanici militis extollens, exhortatus eſt: iterumque cum Rondinello, & aliis, quos verſus montem cum Altmanshau-

manshausero misit, in Rhetigoios summo impetu irruit. Rhetigoij ab illis, qui montem superarunt, cùm pauci ibi essent, post acre prælium loco pulsi fuerunt. Cumque in proximum pratum, Lauisaunum dictum, quod supra Rastnals est, recessissent: cùm oram prati tenere debuissent; ita se in medio stitere, vt tunc hostes ex commodo loco multos scloppettorum ictibus interficerent. Triginta Rhetigoij tunc, capite inclinato, cum fustibus suis in medios hostes irruerunt, multos occiderunt: & illi Rhetigoij omnes quoque scloppettorum ictibus prostrati fuerunt. Et hic maior conflictus fuit. Jam etiam per viam regiam equitatus hostilis irruens versus pagum Saxium excurrit. Vexillarij autem illi duodecim in sylua ferè soli erant, qui cùm Saxium versus ire vellent, in insidias hostilis equitatus inciderunt, qui post aliquas ædes se absconderat. Tunc vexilla, exceptis tribus, Jo. Petri Guleri, Steineri, & Kienastij, in manus hostium peruenerũt. Capitanei, Stephanus Thisius, & Henricus de Hartmannis, quòd paucos milites haberẽt, iam priùs vexilla de conto detraxerant. Et quinque signiferi, Christianus Pernicrus, Generalis; Theodorus Hungarus, Catharinæ: Trumbius, Heeri: Joannes Valserus, Jenatij: & Jo. Rodolphus Escherus, nobilis Tigurinus, Joannis à Salis signifer, interfecti fuere. Escherus primò captus fuerat: sed cùm videret, prælium Rhætos redintegrare velle; & ipse pugnare volebat. Beatus Jacobus à Bonstetten, signifer Ulyssis à Salis, Kilchspergerus Huoberi, & Schuchsius, Glaronensis, capti fuere. Bonstetterus postea, Rheno tranato, ad Rhætos ad pontem Rheni venit. Viginti quinque Rhæti, inter quos capitanei, Stephanus Thisius, Joannes Fouschius, Steinerus, Joannes à Salis, Baptistæ f. Melchior Martinus, Andreas item Cazettus, & Joannes Campsurnerus erant, in equitatum hostilem impetum facientes, tria vexilla Jenatij, Schussij & Catharinæ, ex hostium manibus eripiunt, septem interficiunt, & reliquos in fugam agunt. Capitanei Ulyssis à Salis vexillum etiam recuperatum fuerat; sed cùm iam Rhæti, propter multitudinem hostium superuenientium, recedere cogerentur, qui vexillum habebat cum equo concidit, & ita hostes signum iterum adepti

ſunt: adeoque in hoc conflictu ſex in vniuerſum vexilla in manibus hoſtium remanſerunt. Ex exercitu Rhætico centum & octuaginta circiter hoc die occubuerunt. Ex quibus fuerunt ſexaginta Rhetigoij, & inter eos Miniſtralis Simon Herculeanus, Petrus Caſpar, quondam Præfectus Maiævillanus, Scriba Hercules Herculeanus, & ſignifer Joannes Florius, Acerianus: item ſedecim Flemiani Griſæi. Ex Heluetiis aliqui capti, in quorum numero Salomon Schonius, ſargentus capitanei Ulyſſis à Salis, fuit. Multi ex Heluetiis, præſertim ex cohorte dicti capitanei Ulyſſis, iam captiui, contra iura belli occiſi fuerunt. Ex hoſtibus plùs quàm quinquaginta in hoc prælio ceciderunt: inter quos capitaneus Jacobus Venoſta, Volturenus; item Locumtenens capitanei Frey, & Præfectus vigilum Schuarzvaldianorum, fuerunt. Hoſtes hac nocte propè caſtrum Caſtrenſe caſtrametati ſunt. Saxij triginta domus, Conuallij totum pagum Plaueginum, quatuor domus Pineti, & tres ad Bargas, infra Lucanum, combuſſerunt. Dux Salicæus, cum reliquiis exercitus ſui, Malanſium in Dominium Maiævillanum venit. Aliqui Heluetij Rhetigoiis, in fuga, armenta, & alia abduxerunt.

Hac ipſa die hoſtes ducenti, nempe conſcripti milites, ſub capitaneo Freibergero, & quadringenti Montefuniani, ante lucem verſus montem Gabiam, & Vallem ſancti Antonij, in Rhetigoiam venerunt. Ibi triginta ſancti Antoniani in excubiis erant: qui tres, Chilianum Maruccum, Jacobum Matthiam, & Janum Flutſchium, per Vallem Carnellam, verſus Montefunum, ſpeculandi gratia, miſerunt: qui in hoſtes inciderunt. Jacobus Matthias, ſcloppetto exploſo, capitaneum Freibergerum in maxilla vulnerauit: Maruccus in femore ab hoſte vulneratus, poſtea etiam occiſus; Flutſchius in manu ſauciatus fuit. Primus, qui ex hoſtibus, ſpeculandi gratia, ad S. Antonianos venit, fuſtibus contuſus fuit. Hoſtes per medium montem inceſſerunt: adeoq; ſancti Antoniani occaſionem adepti, ex eminentiori loco, recto tramite in eos ſcloppetta exonerarunt, tres occiderunt, viginti ſauciarunt, & reliquos in fugam egerunt: vt non ante diem Jouis ſequentem, cùm de Auſtriacorum vi-

ctoria aliunde priùs certiores facti fuissent, redire sint ausi. Cohortes illæ, quæ ad Cliuum sancti Lucij erant; vtpote Tobiæ Fineri, Hadriani, & Joanni Jacobi Vissij, Hermanni Schussij, & aliqui milites ex cohorte Jo. Petri Escheri, ad pontem Rheni venere, atq; eò tormenta tria maiora campestria, & aliquos spingardos, opera captiuorum illorum Austriacorum, cum munitione bellica, deduxere: quò etiam Dux Salicæus cum Pœblizio, & aliis, venit.

Sed videamus quoque quid alibi in Rhætia gestum sit. Die Veneris, II. Septembris, nuncium Curiam allatum fuit; Austriacos versus Vallem, Sturfis, vbi Maiævillani pecora sua habebant, irruptionem tentare. Ciues proinde Curienses, Rhætienses, Coruantij, & alij vicini, ad arma vocati, Cicerium, indeque, cùm periculũ ad Vallem Sturfis cessasset, Curienses, cum Quatuorpagicis, Crucium in Rhetigoiam die Sabbathi sequenti profecti sunt. Cúmque nec ibi de hoste tunc inaudiretur; die Dominica Curiam reuersi sunt. Postea, cùm de irruptione in Engadinam iam cognitum esset; Curienses Lantium versus iuerunt. Tigurum in Heluetiam nuncij quoque, auxiliorum petendorum causa, missi fuerunt: qui Tigurini mox decem cohortes sub duobus Tribunis, Jo. Jacobo Steinero, & Casparo Schmidio, conscripserunt. Capitanei, præter illos duos Colonellos, nominati, Joannes Vilhelmus Stuckius, N. Vogelius, Joannes Felix Schonauerus, Jo. Petrus Escherus (hic, vt diximus, partem cohortis in Dominio Maiævillano antè habebat: & cum reliquis ex sua cohorte in Comitatum Sarunetum venit) Jo. Henricus Grebelius, Joannes Cellarius, Jo. Jacobus Grebelius, & N. Zollerus. Hæ cohortes postea vsque ad pacificationem in agro Tigurino distributæ fuerunt. Trium Fœderum Præsides (vbi ego vices Guleri, Dauosianorum Præsidis, agebam) litteras ad Legatum Guefferium, qui Rapersuilæ in Heluetiis erat, auxilium & consilium ipsius expetentes, miserunt. Die Lunæ, v. Septembris, Ciues Curienses, Foueani Grisæi, Flemmiani, Alto-Triniani, & Rhætienses, Vallem Scanauicanam ingressi sunt, vt per proximum montem in Rhetigoiam descendere possent. Sed, cùm iam in cacumen montis venissent; ignem in interiori Rhetigoia

grassari videbant. Colonellus Michaël Finerus, die Martis, VI. Septembris, Curia ad Ducem Salicæum venit, ipsumq; de Grisæorum, & Curiensium, profectione edocuit. Proinde ambo iterum, cum paucis Rhetigoiis, quos habere potuerunt, ad claustra castri Fragstein versus Rhetigoiam, vt transitum illum custodirent, profecti sunt. Sed iam Grisæi, & Curienses, cum de clade Rhætorum in Rhetigoia intellexissent, per montes propè Trimontium in planitiem descenderunt, domumque remearunt. Quare Salicæus quoque, cum paucis illis, ad pontem Rheni rediit. Comes Aluicus eadem die Martis castra promouit, pagos, Puteum inferius, & Fagetum *(Buochen)* in Castrensi iurisdictione; Acerium, Crucium, Lacupratum, & Fanasium, in iurisdictione Aceriana, incendit, vt paucæ admodum ædes remanserint. Circa Crucium hac nocte castrametatus est. Eadem die Martis, Comes Aluicus tibicinem, cum litteris, ad Colonellum Thomam Schmidium, Glaronensem, qui tamen non aderat, misit. Argumentum erat: Domum Austriacam cum Heluetiis, sub quibus Glaronenses comprehensi, fœdus hæreditarium obseruare velle: proinde illi Rhetigoios rebelles missos faciant, ne ignis belli etiam ad eos perueniat: atque repetit, quòd magnum numerum militum, & vexilla amiserint. Die sequenti Mercurij manè, Comes Aluicus, cum aliquibus, in pratis illis propè Malansium comparuit. Ad ipsum capitanei, Stephanus Thisius, qui antea ei, dum in Bohemia sub Duce Bauariæ stipendia meruerat, notus erat, & Eschmannus, Heluetius, missi fuerunt. Inter alia petitum fuit, vt Dominio Maiævillano, cùm Archiduci Leopoldo nullum ius in illud competat, parceret, nec incendio ac direptione vastaret. Comes respondit, Se militem iratum & indomitum habere; & proinde nil certi promittere posse: petiitque, sibi liberum transitum per Dominium Maiævillanum, & Cliuum sancti Lucij, dari. Stephanus Thisius, simulans, adhuc aliquod præsidium in oppido, & castro Maiævillæ esse, terminum referendi petijt. Interim quicquid potuerunt ex oppido Rhæti abduxerũt. Mox etiam de liberatione captiuorum Austriacorum tractatum fuit, qui paucis pòst diebus liberè; sicuti etiam Heluetij à

Comi-

Comite, persoluto lytro, dimissi fuerunt. Miles interim Malansium appulit: vbi tum Petrus Haasius, cum alio quodam Malansiano, necatus fuit. Nocte sequenti, quam secutus est dies Jouis, VIII. Septembris, pagus Malansium, iniecto à militibus igne, combustus fuit, triginta ædibus exceptis. Dehinc Maiævillam Austriaci progressi, ibi Joannem Rufnerum, septuagenarium, in lecto decumbentem, interfecerunt. Reliqui ciues omnes, excepto Jesse Adanck, & Christophoro Cramero, auffugerunt. Ciuitas Curiensis aliquos ex suis (cum quibus Joannes Zollerus, præpositus Curiensis, profectus est) ad Comitem Aluicum misere, rogantes, vt ciuitati parceret. Comes innuit, Se solùm ad Engadinos inferiores, & Rhetigoios, plectendos missum esse: Curienses tamen ipsi obsides dare coacti sunt. Stephanus Thisius ad custodiam pontis, cum aliquibus paucis Rhetigoiis, & aliis permansit. Cumque die IX. Septembris, Austriaci per pontem Langari (Episcopi, vocant) Cicerium versus proficisci vellent; Rhæti ex aggeribus ad pontem Rheni tormenta maiora contra ipsos disploserunt; parumque abfuit, quin capitaneus Keiserus interfectus fuerit. In pago Igis postea aliquas ædes combusserunt: & iterum in castra Dominij Maiævillani reuersi sunt. Porrò magnus numerus Rhetigoiorum, Engadinorum, & aliorum, in Heluetiam, cum mulieribus & infantibus, confugit.

Lindauiam iam appulerant, Alexander Scapius, Episcopus Campanensis, Nuncius Apostolicus; Hieronymus Casatus, Comes Burgilauizarij, Legatus Hispanicus: atque nomine Archiducis Leopoldi, Conradus, Baro à Bemmelberg, Director; Doctor Joannes Lintnerus, Cancellarius Aulicus; Doctor Matthias Burckhlenerus, Vicecancellarius Tirolensis; & Ferdinandus Fuegerus, Consiliarius regiminis Oenipontani. Præterea, nomine Heluetiorum adfuere, Tiguro, Consul Joannes Henricus Holzhalbius, & Joannes Georgius Grebelius: Berna, Dauid Ammannus, & Marquardus Zechenderus: Lucerna, Consul Jo. Jacobus Sonnenbergius, & Colonellus Rodolphus Pfiferus: Urania, Doctor Jo. Henricus zum Brunnen, & Emanuel Beslerus: Suitia, Landtammannus ab Iberg, & Ægidius Frisch-

herzius: Subſyluania, Joannes im Feldt & Joannes Luſſius: Tugio, Caſpar Brandenbergerus, & Sebaſtianus Staubius: Glarona, Adamus Bœningerus, & Fridolinus Buſſius: Baſilea, Joannes Jacobus Burkhardus, Juriſconſultus; & Joannes Rodolphus Feſchius: Friburgo, Joannes Rifius: Soloduro, Victor Hafnerus: Scaphuſia, Joannes Conradus, & Joannes, Peieri: Abbatiſcella, Martinus Suterus, & Conradus Zellvegerus. Cancellarium habebant Melchiorem Guldium, Sanct-Gallenſem. Induciæ ad XXIV. menſis Octobris prorogatæ fuerunt; & nuncius ſtatim ad Comitem Aluicum ea de re miſſus: qui milites, nulla interpoſita mora, ex Quatuorpagis, vt diximus, reuocauit. Milites aliqui in Rhetigoiam reuerſi, quod reliquum Crucij, Acerij, & Fenaſij erat, combuſſerunt: Schuderij duas mulieres interfecerunt: propè pagum Jenatium, Miniſtralem Johannem Creſtam, octuagenarium, etiam occiderunt. Sed ibidem poſtea duodecim milites Auſtriaci in præda inuenti, à Rhetigoiis quoque occiſi fuerunt. Campanas ex templis abſtulerunt. Montefuniani etiam, tam viri quàm mulieres, in Rhetigoiam venerunt, & in Valle ſancti Antonij quatuor domus combuſſerunt: Conradum Veberum, ex vulnere decumbentem, aliquoſque captiuos, occiderunt. Rhetigoij, duos viros & mulierem, in pago Contrio, ac duos alios Schuderi, in præda inuentos, interfecerunt. In Engadina milites etiam in miſeram plebem barbarè ſæuierunt. Suſium, tres cohortes ex legione Comitis Joannis Baptiſtæ Lodroni, appulerunt. Habebat hic decem cohortes, quarum Capitanei primò Comes ipſe, Locumtenens Colonellus Joſephus Ciurlettus, Ludiſdorfius, Centurio maior, Comes Albericus à Lodrono, Baro à Volkenſtein, Joannes Vendelius, Pflaumius, Georgius Koenig à Tawal, Stieberus, & Hoennigius. Milites, qui Suſij erant, Dauoſium vſque excurrerunt, & ex Valle Fluela quadraginta duo pecora maiora abegerunt. Cum, inter alios, Engadini Eremuſiani ſex aliquando domum repetere voluiſſent, Oenum illos traiicere coegerunt, pacta fide, ſi Oenum ſuperarent, ſaluos fore: verùm quum in medio flumine eſſent, eos ſcloppettis occiderunt. Baro Fuxus, cum milite ſuo, Eremuſium iterum

rum Oenotrio venit, ibiq; omnes in templum vocans, scire ex eis voluit, nũ schedulam securitatis haberent? nam sole-bant illis schedulam dare. Nouemdecim ex illis captiuitati addixit, & Oenotrium, cum armentis, quæ habere potuit, eos deduxit. Milites quinetiam Jacobum Nicolaum Grossium, Joannem Albertum, Jacobum Bettam, Nuttum Vilhelmum, Florium Funum, omnes quinque septuagenariis maiores, in pratis ibidem occiderunt. Nouemdecim illi captiui diu in tetro carcere detenti fuere: quibus cùm semel Oenotriensis quidam haustum vini turbidi attulisset, septemdecim, qui ex eo biberunt, intra octiduum mortui sunt. Curiæ, die Martis, XX. Septembris, Comitia à duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, celebrata; & tres adhuc Legati, Jo. Gaudentius Schmidt à Grueneck, Fortunatus à Juualta, & Rodolphus, Jacobi à Salis f. Lindauiam missi fuerunt. His deinde Sebastianus à Castelberg, Abbas Disertinensis (præsertim, vt pro Fœdere Decem Jurisdictionum mediator esset) adiunctus fuit: nam Colonellus Salicæus multum fiduciæ in ipso ponere videbatur. Cancellarius Rhæticorum Legatorum Lindauiæ erat Jo. Henricus Vaserus, Tigurinus. Jo. Antonius à Molina, Interpres Gallicus, etiam à Legato Guefferio Lindauiam missus fuit. Et notatu dignum hoc est, quòd ad instantiam Legati Guefferij Gallici, à Senatu Trium Fœderum decretum fuerat, vt die Dominica, IV. Septembris, ab omnibus Communitatibus Trium Fœderum articuli Madrilliani solemni iuramento approbarentur. Id quod vbique factum fuisset, nisi hostis irrupisset.

Lindauiæ, in primo consessu die Martis, VI. Septembris, super litteris fiduciariis Rhæticorum Legatorum ab Austriacis disputatum fuit. Doctor Lintnerus, inter alia, nolebat nomen Locumtenentis Præsidis Dauosiani, vti tertij Fœderis, admittere. Adhæc posterioribus diebus, cùm de victoria suorum certi essent, Dominium Maiævillanum, vti iure belli acquisitum, sibi vendicare, & ibidem, vti etiam in Dominio Rhætiensi, duo fortalitia erigere volebãt. Ab Helvetiis quoque petebant, vt posthac nec consilio nec auxilio Rhetigoiis assisteret. Episcopus Curiensis, qui Veldcurium

vſque venerat, ad Conuentum Lindauienſem ſcribens, prætenſa ſua iura antiqua in Rhætia ſibi reſtitui petijt. Lucius à Monte, Rhætus, damnorum ſuorum, & ſociorum, reparationem ſollicitauit. Heluetij, vti compoſitores, multum diuque in negotio laborarunt. Et ne quidem Catholici ad Engadinæ inferioris, & Octo Juriſdictionum, à fœdere excluſionem, atque vt iſtæ priuilegiis ſuis priuarentur, conſentire velle videbantur. Legatus Hiſpanicus, qui tamen in tractatu nominari noluit, articulos ipſe tranſactionis, & pacificationis propoſuit, ex quibus deinde capitulatio formata fuit: cuius ſummarium hoc eſt: Enarratur à principio occaſio belli propter Engadinos inferiores, & Rhetigoios; atque Archiducē Leopoldum, interpoſitione Heluetiorum, motum, ad hunc diem compoſitionis conſenſiſſe, atque à Tribus Fœderibus (hic iterùm Tria Fœdera agnoſcunt) Legatos comparuiſſe ſubdunt. Hæc præfati, articulo primo concludunt: Octo Iuriſdictiones & Engadinam inferiorem iterum à Principe, excluſis præcipuis auctoribus, in gratiam recipi, eaſque Principi, vti Domino ſuo naturali, tanquam ſubditos fideles, homagium præſtare debere. Adhæc, eaſdem, iuſtis de cauſis, omnibus fœderibus, præterquam Gallico, & Heluetico, & his ipſis etiam, in eis quæ Domui Auſtriacæ præiudicare poſſent, renunciare debere, atque ab eis poſthac excluſas eſſe. Dominium Maiævillanum, in quo Auſtriaci nihil præter ius belli habent, Rhætis reſtituatur. Caſtrum Rhætienſe iterum à Rhætis reædificetur: tormenta ablata reſtituantur: damna reſarciantur: deniq; in inuaſores animaduertatur. Duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, poſtquam voce & ſcriptis veniam petierunt, gratia ab Auſtriacis facta fuit. Nam litteras reuerſales Legati duorum Fœderum Auſtriacis dederant, quibus obteſtabantur, quòd à Rhetigoiis coacti fuerint arma cum eis coniungere, quodque contra fœdus hæreditarium, & articulos anno præterito ſancitos, egerint: veniamque petentes, ſe poſthac nunquam contrauenire velle promittebant, (hæ litteræ deprecatoriæ, cùm non ampliſſima forma, vt Auſtriaci volebant, compoſitæ eſſent, Rhæticis Commiſſariis reſtitutæ fuerunt: vt prolixiori ſtilo conciperentur; Rhæti

Rhæti tamen eas ipsis pòst non reddiderunt, sed penes se retinuerunt. Quoad religionem: illa in duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, libera sit, & Catholica in omnibus locis liberè exerceri possit Omnia, quæ in præiudicium Religionis Catholicæ, & Sedis Apostolicæ, constituta fuerunt, abrogentur: atque iura sua Catholicis restituantur. Episcopus Curiensis, non Rhætus solùm, sed quilibet alius, natione Germanus, bonis parentibus natus & episcopatu dignus, eligi possit. Omnium Ordinum sacerdotes in Rhætia liberè habitare, & monasteria ædificare, possint. Sed nec Princeps, nec Episcopus eiúsque successores, nec reliqui Ecclesiastici, se rebus, quas duo Fœdera, & Dominium Maiævillæ, sine impedimento Religionis Catholicæ, in alterius religionis exercitio statuerint, immiscento: neque, quoad templa, aut beneficia, quæ Protestantibus de iure debentur, innouationem aliquam attentanto. Quoniam autem circa petitiones Episcopi, & Ecclesiasticorũ, lites & controuersiæ enasci possunt; decem Iudices, vtriusque Religionis quinque, inter quos etiam Episcopus duos nominare possit, eligantur, qui intra biennium controuersias decidant: atque iudicata, à Principe, & Rhætis executioni dentur. Pesclauij templum Catholicis liberum permittatur; Protestantes autem aliud excitare possint. Cum Engadinis inferioribus, & Octo Jurisdictionibus, duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, nullam communionem, conuentionem, aut confœderationem ineant: atque solùm bona inter ipsos, & pacifica vicinitas, & commerciorum libertas, vigeat. Dicti Engadini, & Octo Jurisdictiones, iura sua in Dominio Maiævillano retineant. Duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum particulares personas ex Engadina inferiori, & Octo Iurisdictionibus in ciuium numerum asciscere possint; si modò personæ illæ à magistratu suo bonæ notæ attestationem habeant, & à seditione abstinere velle iurauerint. Princeps Leopoldus, Episcopus, Collegium Curiense, atque duo Fœdera, cum Dominio Maiævillano, tenore fœderis hæreditarij, nihil hisce contrarium cum vllo, quisquis ille sit, paciscantur: reseruantes Sedem Apostolicam, sacrum Imperium, fœdus Gallicum, & Heluetios,

horumque socios, in eis scilicet tantùm, quæ Domui Austriacæ non præiudicant. Sique duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, fœdus aliquod pangere velint; id priùs Domui Austriacæ communicare teneantur. Cùm in fœdere hæreditario, de conducendo milite qui liberè militare voluerit; pactio tantùm ad certa Dominia, Comitatum, inquam, Tirolensem, & quatuor Dominia cis montem Arelam, restricta fuerit: his porrò capitulationibus ea ad omnia Dominia Austriacæ ditionis, vt milite vbique vti possent, extensa fuit. Sique Principem, & Rhætos, simul bellum contra aliquem gerere contingat; tum nullam pacem pars vna, altera inconsulta, ineat. Commercia libera sunto: hæcque deinceps de milite quoque, transitu, & re bellica intelliguntor: vt, si Archidux Leopoldus, aut Domus Austriaca, milite aut transitu opus habuerit; quotidie centum equites & trecentos pedites, qui tamen à se inuicem diei vnius itinere separati hospitentur, per Rhætiam, sine damno, ducere possit. Archidux Leopoldus, & Domus Austriaca, nulli permittat, vt Rhætos per suas regiones impetere, aut eis molestiam creare possit. Quoad Dominium Rhætiense, & Rodolphum Plantam, iudicem rerum capitalium ordinarium in inferiori Engadina, aliosque, quibus damna à seditiosis data; Princeps in Engadina inferiori, & Octo Jurisdictionibus, summarium ius eis administrabit: idemq; etiam duo Fœdera, electis octo Judicibus, intra quatuor septimanas, præstabunt. Sententiæ Tusciæ & Dauosij, à Judiciis censoriis latæ, abrogantor. Equos veredos *(postas* vocant) in Engadina, & Prægallia alant. Cùm, tenore fœderis hæreditarij, certa pecuniarum summa (sexcenti floreni) Rhætis à Principe quotannis numerari debuerint: hæc summa duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, propterea quòd se rebellionis participes fecerunt, negata & abrogata fuit. Spes tamen facta, si benè se gesserint, Principem gratiosè ipsorum cum tempore memorem futurum. Fœdus hæreditarium, & hæc capitulatio, singulis duodecim annis, Communitatib. prælegatur, & renouetur. Exercitus omnis, exceptis præsidiis (quæ in articulis ab Hispanico Legato propositis ad sexennium Curiæ, & Maiævillæ, perma-

permanere debebant; ſed ea Auſtriaci certo annorum numero adſtringi nolebant) ex Rhætia abducatur: & arma Rhætis ablata, quæ inueniri poſſunt, reſtituantur. In reliquis, fœdus hæreditarium (præter concluſam cum Heluetiis capitulationem, & articulos modo ſancitos) confirmatum, & fœdus illud hæreditarium, atque hæ quoque capitulationes in æternum valida; denique conuentiones, & fœdera, quæcumque his contraria, irrita & caſſa ſunto. Ratihabitio vtrinque die XXIII. futuri menſis Octobris, fieri debebat. Actum Lindauiæ, die Veneris poſt feſtum Michaëlis Archangeli, vltima menſis Septembris. Et à Commiſſariis vtrinque ſubſcriptum. Anno M. DC. XXII. Huldricus autem Buolius, vti Legatus octo Iuriſdictionum, in vltimis ſeſſionibus, poſt aduentum poſteriorum Legatorum Rhætorum, non admiſſus amplius fuit.

Hîc, beneuole lector, tuopte iudicio facilè comprehendes, Hiſpano, non alio fœdere, quoad trāſitum, & militem, cum Rhætis, fuiſſe opus: quum hac ipſa capitulatione vniuerſæ Domui Auſtriacæ miles & tranſitus liber conceſſus fuerit. Adeoque idem per diuerſa, vt dicitur, hi obtinuerunt. Antonius à Molina, Interpres Regius Gallicus, coram conſeſſu comparuit, atque coràm, voce, contra hanc capitulationem, nomine Regis Chriſtianiſſimi, iuſſu Legati Guefferij, proteſtatus eſt: atque, inter alia, dixit, Quòd, ſicuti Rex Galliæ potens fuerit per tractatum Madrillienſem abolere articulos à Duce Feriæ, & Fœdere Griſæo, anno M. DC. XXI. menſe Februario, Mediolani tractatos: ita etiam Regi Chriſtianiſſimo media non defutura ſint, quibus & hunc tractatum, libertati Rhæticæ, & fœderibus derogantem, tollere, & abolere poſſit. Velle enim Regem Chriſtianiſſimum, vt Engadini inferiores, Octo Iuriſdictiones, & alij, in fœderibus, & priuilegiis ſuis, cōſeruentur. Ad hanc proteſtationem Doctor Lintnerus, reſpondit, Tam arctam affinitatem Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ, cum Rege Galliarum eſſe, vt res inter ipſos facilè componi poſſit: nec vlla proteſtatione opus eſſe. Baro Bemmelbergius, cùm iam Molina exiiſſet, ira commotus, verba ſtomachoſa, & contra Guefferium, & contra Molinam, protulit, & ipſis

multum culpæ tumultuum Rhæticorum adſcripſiſſe, ferebatur. Comes Alvicus ipſe quoque Lindauiam profectus, virtutem Rhetigoiorum in pugnis laudaſſe dicitur. Colonellus Rodolphus à Salis in regionem Abbatiſcellanorum venerat, & ſaluum conductum veniendi Lindauiam ab Auſtriacis obtinuerat: ſed, cùm intelligeret, Engadinos inferiores,& Octo Juriſdictiones à fœdere excludi,eò proficiſci recuſauit. Ciues Curienſes cùm intellexiſſent,præſidium vrbi impoſitum iri; Joannem Zollerum,Præpoſitum collegij Curienſis, & Chriſtophorum Lhenerum, Præfectum vrbis, Rufachum in Alſatiam ad Archiducem Leopoldum miſerunt,qui præſidium deprecarentur. Ad conſpectum autem Principis, qui febri vexabatur, non admiſſi fuerunt; ſed reſponſum habuerunt,Omnem rem Commiſſarijs Auſtriacis,qui Lindauiæ ſint, commiſſam eſſe. Cum Lindauiam veniſſent; Bemmelbergius ad Præpoſitum dixiſſe fertur,Ut ſui templi curam gereret, & ſe his rebus minimè miſceret. Miſeri interim Engadini, & Rhetigoij, in Heluetia erant, vbi à Proteſtantibus benignè tractati fuerunt. Sed Io. Iacobus Troſchius, Uranius, Præfectus Comitatus Sarunetum, inſtinctu Auſtriacorum, edictum ediidit, vt Rhetigoiis, cùm domum ire poſſint, nullum hoſpitium ampliùs concederent. Aliquos etiam ex ſubditis ſuis Proteſtantibus,propterea quòd Rhetigoiis aliquibus hoſpitium contra mandatum dederant,puniuit. Ita tandem miſeri homines à Comite à Sulz obtinuerunt,vt domum redire poſſent. Dauoſiani,& quælibet Iuriſdictio in Rhetigoia, ſexcentos florenos (erant bis mille & quadringenti floreni) Baldirono, & aliis, qui milites eò mittere velle minitabantur, exponere coacti fuere.

Cùm iam cum reliquiis pecorum ſuorum in Rhetigoiam euntes, diſperſim diuerſis diebus accederent; ab Auſtriacis militibus ſpoliati, multaq; pecora abacta: aliqui, vti etiam quidam Malanſiani, vulnerati fuerunt. Die Dominica, XVI. Octobris, in pleriſque Communitatibus duorum Fœderum, ſuper articulis Lindauienſibus vota collecta fuerunt. Et quidem in fœdere Cathedrali aliquæ Communitates, vt etiam in Fœdere Griſæo, Vallis Miſaucina, Octo Iuriſdictiones

ctiones, & Engadinos inferiores à fœdere exclusos noluissent: sed propter milites Austriacos, qui ceruicibus Rhætorum minaci fronte imminebant, nihil dicere multi ausi sunt.

Cùm iam fama etiam in Gallia de inuasione Austriaci militis, eiúsque in Rhætia victoria, ante Monspelium in castris Regis Christianissimi increbuisset: Comestabuli Diguierius, & Dux Rohanus, iam tùm, permissu regio tractarunt; & Petrus Brulartus, de Pissieux, ex præcipuis Secretariis Regiis vnus, cuíq; cura exterorum negotiorum & confœderatorum maximè incumbebat, Regiæ Maiestati miserum Rhætiæ statum diligenter exposuit. Die ergo IX. Octobris, pax Protestantibus à Rege Christianissimo concessa fuit. Deinde, die XIX. Nouembris, cùm Rex Christianissimus in vrbe Auinione esset, & eò Serenissimus Carolus Emmanuel, Dux Sabaudiæ, venisset: inter Regem, Rempublicam Venetam, quam Joannes Pesaurus, Patritius Venetus, vir prudentissimus repræsentabat, & Ducem Sabaudiæ, de fœdere tractatum fuit: videlicet, vt progressus vsurpationum Domus Austriacæ apud Rhætos impedirentur, & vi armorum, si hoc amicè fieri non possit, Domus Austriaca, & Rex Hispaniæ, ad promissa in tractatu Madrilliensi exequenda adigerentur. Hoc fœdus postea proximo mense Februario, anno M.DC.XXIII. ampliori forma conceptum fuit. Sed in miseram Rhætiam reuertimur.

Concubia nocte, die Veneris, XXI. Octobris, oppidum Maiævilla totum igne conflagrauit: vt castrum solùm illæsum maneret. Burgundum quendam militem, dum panem coquere vellet; alij autem militis lotricem, dum quædam linteamina lixiuio purgasset, & festinanti opera noctu exsiccaret, illud incendisse, aiunt. Baldironus, & alij aliqui capitanei Austriaci, ex quibus nonnulli per fenestras ex domibus incensis proripere se coacti sunt; multam suppellectilem, quam in Engadina, & Rhetigoia prædati erant, Baldironus duos etiam equos, in igne amiserunt. Aliqui milites ægroti in igne perierunt. Cùm culmen campanilis iam decideret, quatuor milites, atque à muro corruente octo alij, obruti, & occisi fuerunt. Nocte diei se-

quentis Voltureni, & equites Balestræ, qui Jeninsij castrametati erant, ferè totum pagum etiam combusserunt. Guscha etiam, vicinia, igne absumpta fuit: vt in toto Dominio Maiævillano paucæ ædes intactæ manerent. Die Lunæ, XXIV. Octobris, Curiæ Comitia celebrata, & per maiora vota articuli Lindauienses acceptati fuerunt. Proinde pro ratificatione Joannes Gaudentius Schmidt à Gruëneck, & Fortunatus à Juualta, nomine duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani; &, nomine ciuitatis Curiensis, Christophorus Lhenerus, Oenipontum missi sunt: qui simul etiam de insolentia militum conqueri, & pro liberatione instare debebant. Quod præsidia attinet; numerus in vrbe Curiensi ad trecentos, & in castro Maiævillæ ad ducentos redigi debebat. Per decem dies, dum Oeniponti commorarentur, expensis Principis tractati fuerunt. In castris interim ad Maiævillam magno numero milites quotidie moriebantur: nam immaturas vuas, & carnes malè coctas recentes magna copia ederant: atque iam quoque mustum sine discrimine bibebant. Hinc, præter morbum Hungaricum, dolorem nempe ingentem capitis, quo multi laborabant, grauissimis intestinorum torminib. cruciabantur. Bis mille, & quod excedit, in castris, inter cruciatus & verminationes istas, absumpti fuerunt. Cumque iam frigus ingrauesceret, die Dominica, VI. Nouembr. Comes Alvicus, cum legione sua, atque Salisburgiani quoque, & Schuarzualdiani, in vrbem Curiensem; legio autem Burgundica, Vatteuilliana, & Voltureni, cum turma equitum Balestræ, in Dominium Rhætiense venerunt, ibique castrametati sunt. Baldironus reliquos, maiorem partem, castro Maiævillano imposuit: vnde multi postea auffugerunt. Schuarzualdiani mox Curia Brigantium versus discesserunt. In ciuitate Curiensi lues magis magísque inter milites & ciues serpsit. Multi milites ægroti extra vrbem ad *S.* Margaretham collocati, ibi in horto cœmiterium suum habuerunt. Multi quoque in pomario Episcopi, extra portam inferiorem, itemque ad ædem *S.* Lucij, & in Monasterio *S.* Nicolai, quotidie sepulti fuerunt. In Engadina inferiori superstitum à clade popularium maior pars epidemico hoc morbo extincta. Idem

quoque

quoque in Rhetigoia, & alibi plurimos afflixit. Adhæc fames, quòd omnia deuastata essent, tanta fuit, vt Rhetigoij, perpetuo recepto nomine hanc hyemem, famis hyemem, vocitent. Adeóque pœnæ à Deo populo suo, mandata diuina non obseruante, lege denunciatæ; bellum, inquam, pestis, & fames Rhætiam tetigerunt, & λιμὸς πρὸς λοιμὸν, secuta fuit. Die Lunæ, XXI. Nouembris, Salisburgianæ tres cohortes, quæ mille militibus constabant, iámque centum tantùm sexaginta quatuor sani supererant, Veldcurium versus abiuerunt. Die Mercurij, XXIII. Nouembr. ad pontonem Maiævillæ, vbi Rhenus nauicula traiicitur, rixa inter aliquos dragones Austriacos, & aliquos Maiævillanos, exorta fuit. Causa fuit, quòd, cùm quidam ex dragonibus gladium Maiævillano vendere vellet, & plus æquo peteret, ac Maiævillanus regereret, gladiũ incuruum esse: Austriacus subdidisset, Nihil mirum esse, cùm tot Rhetigoios eodem interfecerit. Ad verbera cùm res deuenissent; Maiævillani tres dragones præcipites in Rhenum egerunt, qui aquis fuere submersi. Comes Joannes Serbellonus castrum Clauennæ dirutum instaurari, & communiri curauit: ad quod Prægalli Rhæti quoque operas suas conferre coacti sunt. Capitaneum Theodosium à Præpositis, Prægallum, qui hactenus, nomine Rhætorum, officio Commissarij Clauennæ functus fuerat, domum in Prægalliam remisit; & in eius locum, Hieronymum Parauicinum, Volturenum, Clauennæ habitantem, substituit. Pesclauij, Protestantibus etiam nulla securitas erat: nam hoc mense Nouembri, Prætor Michaël Montius, Brusij, à suis vicinis, ipso crepusculo, sub porta domus suæ, scloppetto occisus fuit. Cumque multi Protestantes exules Voltureni se Pesclauij continerent, Voltureni rebelles, sub titulo Jacobi Robustelli, Gubernatoris, & Consilij regentis, die Sabbathi, III. Decembris, ad Communitatem Pesclauij litteras exararunt, quibus petierunt, Ne posthac expulsis Voltureni habitationem, atque hæreticis conciones ibi celebrare, permitterent. Adhæc Abundium Taurellum, cum amplioribus mandatis eò miserunt, qui cum aliquibus Catholicis ibi consilia communicauit. Voltureni etiam transitum vini, & frumen-

ti, per aliquot dies illis denegarunt. Pesclauienses Catholici, Volturenis Protestantibus, vt discederent, iniunxerunt. Proinde quoque Jacobus Rampa, Concionator Protestantium, discessit. Sed, cùm postea de his rebus in Comitiis Curiæ celebratis querela institueretur, & Comiti Aluico, atque Joanni Perezio, Commissario generali rei tormentariæ in Ducatu Mediolani, Legato Ducis Feriæ, Curiæ ista significarentur, & pactionibus Mediolanensibus, atque Lindauiensibus, contraria esse dicerentur: deceta Pesclauiensium mitigata fuerunt. Paulus Beccaria, Volturenus, parochus Pesclauij, contendebat, Pesclauium esse membrum Italiæ, & non Rhætiæ: sibíque per breuia Apostolica iniunctum esse dicebat, operam daret, vt hæc quoque pars Italiæ ab hæreticis perpurgaretur. In his Comitiis Antonius à Molina, Interpres Gallicus, coram Oratoribus duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani, comparuit, die VI. Decembris, & exposita clementi & paterna Regiæ Maiestatis erga Rhætiam voluntate, curaque, inter alia, in Gallia pacem iam constitutam esse, Regemque velle, vt articuli Madrilliani executioni mandentur, significauit: proindeque petijt, vt Rhæti eos iterum approbarent, & ratos haberent: denique, spem auxiliorum Gallicorum denuò fecit. Die verò sequenti Jouis, VIII. Decembris, Comes Alvicus, & commissarius Joannes Perezius, coràm concessu, & ipsi comparentes, Rhætos clarè, & categoricè respondere volunt, Hispani-ne boni an Galli, vt Perezius aiebat, esse velint? Idem Perezius litteras à Duce Feriæ affert, quibus transitum pro septem mille militibus per Rhætiam petit: sed hoc fictè fiebat. Præterea scire volebant, num articulos Mediolanenses, & Lindauienses, obseruare velint: aientes, Principes suos eos diligenter obseruaturos, & quæ circa libertatem religionis promissa sint, minimè violaturos: atque, si quæ in Mediolanensibus moderari petant, de iis Curiæ iam tractent, vel Mediolanum Legatos suos mittant. Cæterùm Madrillianorum articulorum nullam mentionem fieri volunt. Comes Alvicus, qui, ceu Cæsareæ Maiestatis, & Archiducis Leopoldi, Dux generalis in Rhætia, primus sermonem instituit, inter alia, Regem Galliæ iu-

liæ iuuenem esse, inquit, & regnum factionibus, & studiis, diuisum habere. Regis patrem, qui tam generosus miles fuerit, nihil nisi suum proprium regnum recuperare potuisse. Admonet Senatum, vt exemplum Engadinorum, & Rhetigoiorum sibi proponat, qui etiam multum spei & fiduciæ in Gallis, & aliis, proposuerint: & hosce rebelles non omninò pro meritis punitos fuisse: nam gratiam eis factam esse. Sed cum duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, duriùs, & crudeliùs actum iri, si articulos cum domo Austriaca sancitos violauerint, vt vix baculum album, quali mendici vtuntur, retinere possint: denique omnes gladiis Hispanicis, ante aduentum auxiliorum Gallicorum, interfectum iri. Hæcce, se eis, tanquam Comitem, & equitem Germanum, ex singulari amore, quo Germanos, quorum membrum etiam Rhæti sint, prosequatur, indicare, eósque præmonitos velle. Aduenit tunc ex Belgio Marchio vallis Fontanæ, Hispanus, qui hanc proteruitatem, & licentiam dicendi contra Regem Christianissimum, improbasse dicitur. In his Comitiis, nomine Episcopi Curiensis, qui adhuc Veldcurij erat, Doctor Christophorus Schalckus comparuit, & prætensionem iurium Episcopalium antiquorum renouauit. Die Lunæ, XIX. Decembris, Oratores duorum Fœderum responsum ad petitionem Comitis à Sulz, & Perezij Hispani, pro horum votis, dederunt, renuntiantes articulis Madrillianis: atque ea die opiparo conuiuio à Comite à Sulz, in vrbis curia, excepti fuerunt. Instinctu, seu potiùs, iussu Hispanorum, Legatio in Heluetiam decreta fuit, & eò missi Casparus Schmidt à Grueneck, & Rodolphus Andreanus à Salis, qui Catholicos pagatim adeuntes, significarent, duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, articulis Madrillianis non ampliùs stare cupere, sed eis renuntiare. Idem etiam ad Protestantes scripserunt. Antea, die Veneris, XVI. Decembris, tres cohortes legionis Lodronianæ, Ludisdorfiana, Volckensteiniana, & Alberici à Lodrono, quæ Susij, & in Valle Monasterij fuerant, per montem Albulam, Curiam, & inde Veldcurium, tenderunt: aliqui in monte frigore perierunt. Transeundo magna damna popularibus Rhætiæ dederunt.

Zz

Die xx. Decembris Baldironius, cum legione sua, versus Brigantium, ex Dominio Maiævillano, profectus est: vix quadringenti milites incolumes supererant. Die Iouis, xx. Decembris, legio Comitis Alvici (quæ decem cohortibus constiterat, iamque trecenti & quinquaginta milites valentes & sani reliqui erant) Curia ipsa quoque Brigantium versus abijt: Comes ipse Curiæ mansit. Nam vna die ante, cohors legionis Lodronianæ, Curiam in præsidium venit. Sic etiam in castro Maiævillano ducenti Austriaci præsidiarij collocati fuerunt; quæ cohortes deinceps singulis mensibus, quousque prorsus discessissent, mutatæ fuerunt. Carolus etiam Robustellus, cum reliquiis Volturenorum, & turma equitum, Balestræ, ex Dominio Rhætiensi, in Volturenam redijt. Legio Burgundica Vatteuilliana, quæ quindecim cohortibus constiterat (nam Baro de Igny cum cohorte in Dominio Maiævillano ad ipsos venerat) ad sex cohortes, quarum quæque vix centum militibus constabat, redacta fuit. Hæ in Dominio Rhætiensi permanserunt, & latrociniis & rapinis omnia infestarunt. Lanium Curiensem, & rusticum Alto-Trinianũ, cùm necassent, duo proin milites Curiæ, in foro S. Martini, capite truncati fuerũt. Ad eundem modum Præsidiarij Curienses, & Maiævillani, insolescebant. Ad põtem Rheni Heluetium pecuniis, omniq; re alia, spoliatum trucidarunt. Sic miseros Rhetigoios, & alios spoliarunt viatores. Comes interim Aluicus, Curiæ, intra armamentarium vrbis, & triclinium Canonicorum, quo loco vrbs ab aula episcopali disterminatur, duas domos vallatas extrui præcepit.

Duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, suos Legatos Mediolanum miserunt, qui aliquamdiu Mediolani hæserunt. Dux Feriæ, moram ex mora nectens, modò mortem vxoris suæ prætendit; modò, vt Præses Fœderis Grisæi, Iacobus Ioderus, Mediolanum etiam veniret (qui postea eò etiam profectus est) voluit. Tandem Legati Archiducis Leopoldi intercesserunt, & contingentem partem Vallistellinæ, Comitatus Bormij, & Clauennæ, pro Engadinis inferioribus, & Octo Iurisdictionibus, petierunt. Ita, re infecta, discessum fuit. Spem Dux Feriæ illis faciebat, fore, vt

futuro

futuro mense Maio Mediolanum ad tractationem rediret. Etiam Comes Theodorus Triuultius Vallem Misaucinam, ratione feudi, fideicommissi, & pecuniarum non solutarum, sibi dari petijt; (atque à Cæsarea Maiestate Princeps Vallis Misaucinæ creatus esse dicebatur) equitem N. Cattaneum in Vallem Misaucinam ad demulcendos animos popularium misit. Vallis Misaucinæ incolæ autem libertatem suam, sanguine & pretio acquisitam, solemni iuramento insuper præstito, defendere constituerunt, armáque & alia sibi necessaria cōpararunt. Atque, ineunte mense Februario anni M.DC.XXIII. Legatos suos ad Heluetios, consiliorum & auxiliorum petendorum causa, miserunt. Ad Protestantes capitaneus Carolus à Marcha, & Ministralis Caspar Molina: ad Catholicos Doctor Rodolphus de Antoninis, & Eques Io. Antonius Gioerius, deputati fuerunt. Hi publico scripto impresso, iura Vallis Misaucinæ exposuerunt. Inter alia referunt, in dicta Valle Misaucina Comites de Sacco per aliquot secula moderatum, non autem absolutum, dominium habuisse: atque homines Vallis Misaucinæ iudicium causarum criminalium, & ciuilium semper ipsosmet constituisse. Anno M.CCCC.LXXX. Comes Petrus de Sacco iura sua prætio sedecim mille florenorum, Joanni Jacobo Triuultio, Magno, dicto, vendidit: pro qua summa cùm hic tantùm decem mille numerasset, dictus Comes Petrus, cum mille armatis Fœderis Grisæi, in Vallem Misaucinam venit, eamque deprædatus est, vt solutionem haberet. Anno M.CCCC.XVI. dictus Triuultius Magnus, ne vlterius à dicto Comite Petro, aut à Grisæis, impeteretur, fœdus cum Fœdere Grisæo tractauit, & Vallis Misaucina, pro octauo conuentu magno, Fœderi Grisæo inserta fuit: adeóque Comes seipsum, & dictam Vallem Misaucinam, legibus, statutis, ordinibus, & consuetudinibus dicti Fœderis Grisæi submisit: nec Imperium Romanum vllo modo reseruauit. Ab eo tempore dictus Comes, & populi Misaucini, pro confœderatis Rhætis habiti fuerunt: & anno M.D. XII. in acquisitione Vallistellinæ, Bormij, & Clauennæ, cum reliquis Rhætis militarunt. Triuultius Magnus populum extra limites iuris sui grauare voluit: populus autem

ſe oppoſuit. Hunc vt deterreret, Caſparum de Nigris, Notarium Miſauci, ex pinnaculo caſtri deiici præcepit. Proinde ipſe Comes ex dicta Valle proſcriptus fuit, nec ſine licentia Fœderis Griſæi, & dictæ Vallis, poſtquam per triennium abfuit, redire auſus eſt. Anno M D.XXV. dicti Comitis ſucceſſor permittere adactus fuit, vt dictum caſtrum Miſauci, iuſſu fœderis Griſæi, cui ipſe confœderatus fuit, & legibus fœderalibus tenebatur, deſtrueretur. Sæpiùs Vallis Miſaucienſes contrà dictum Comitem lites mouerunt; veluti anno M.D.XLIX. contrà Comitem Franciſcum Triuultium, qui coactus fuit in Valle Sexamnij, loco deputato à Fœdere Griſæo, in iudicio comparere, & verò etiam in litibus ſuccubuit. Inde occaſionem ſumpſit, vt iuribus ſuis in dicta Valle renuntiaret, prout apparet ex inſtrumento contractus, & renuntiationis, confecto anno M.D.XLIX. die ſecunda Octobris, pretio vigintiquatuor millium & quingentorum aureorum: quæ pecuniæ, ſex mille & quingentis aureis exceptis, ſolutæ fuerunt. Hi verò ſex mille & quingenti aurei retenti fuere, quòd dictus Comes in termino conſtituto non comparuiſſet, & dictæ valli omnes tabulas, & iura, tenore inſtrumenti venditionis, & conuentionis, non tradidiſſet: & proinde, pacto expreſſo, ſex mille & quingentos aureos amiſiſſet. Anno M.D.LXI. in Valle Sexamnij, Comes Triuultius litem intentauit, & cauſa cecidit.

Anno M.D.LXXX. Comes Theodorus, alias Raphael, dictus, filius dicti Comitis Franciſci, nouam litem Ilantij intendit: vbi Miſaucienſes, freti ſententia Sexamnij obtenta, non comparuerunt: proindeq; deſerti vadimonij damnati fuerunt. Tertia autem vice, cùm iterùm citati fuiſſent; ab Oratoribus Fœderis Griſæi in proximè futuris Comitiis S. Georgij Throni comparere iuſſi ſunt, vt ibi ſententiæ recognoſcerentur: quod ab vtraque parte acceptatum fuit. Ubi cùm Agentes dictæ Vallis, vti etiam Comitis Triuultij, termino conſtituto comparuiſſent; hi de nouo alium terminum, quo Comes ipſe perſonaliter comparere poſſet, petierunt, obtinuerúntque. Deinde, termino nominato, partes ambæ comparuerunt. Et, poſt longas iurium deductiones, ſecundum Vallem iudicatum fuit, quòd dictus Comes
nullam

nullam prætensionem, & ius, siue ratione Dominij, siue ratione sex millium & quingentorum illorum aureorum, habere debeat. Silentium præterea de hac causa perpetuum iniunctum, constitutúmque fuit, dictam Vallem posthac in nullo iudicio propter hanc causam respondere teneri. Adeóque his titulis, & iuribus, freta Vallis Misaucina in quieta possessione hucusque vixit. Jam Comes Theodorus Triuultius, sub prætextu feudi Imperialis, & fideicommissi, Vallem molestia afficit. Cui respondetur, De nullo feudo constare: quoniam Vallis Misaucina nunquam Romano Imperio subiecta fuit. Id quod planum fit ex venditione à Comite Petro de Sacco Magno Triuultio facta: vbi nulla fit mentio feudi, nec licentiæ ab Imperatore habẽdæ. Idem etiam ex codicillis fœderis apparet: vbi dictus Triuultius Vallem Fœderi Grisæo, sine vlla feudi mentione, incorporauit. Idem Triuultius etiam anno M. CCCC. XCIX. bello Sueuico, Rhætis, vti confœderatus, & tormenta bellica, & bombardas, contra Maximilianum Imperatorem, concessit: quòd si feudatarius fuisset; læsæ Maiestatis reus pronuntiatus fuisset. In fœdere hæreditario Imperator iura sua in Octo Iurisdictionibus reseruat: in Valle Misaucina autem, vbi nihil prætendebat, nihil sibi reseruat. Item in contractu inter Comitem Franciscum, & dictam Vallem, anno M. D. XLIX. celebrato, dicta Vallis non obligatur ad habendam licentiam ab Imperatore; sed à Fœdere Grisæo, vti Principe, & Magistratu supremo totius districtus suæ regionis. Et diuersæ aliæ lites inter dictum Comitem, eiúsque successores, & Vallem, non coram Imperatore; sed coram Fœdere Grisæo, decisæ fuerunt. Demolitio castri Misauci, non ab Imperatore; sed à Fœdere Grisæo, mandata fuit. In omnibus tractatibus, tam cum Imperatore, quàm cum alijs Regibus, & Principibus, hi populi, tanquam liberi, agniti fuerũt. Et dato, nõ concesso, quòd Triuultius Magnus aliquam dignitatem ab Imperatore receperit; Valli Misaucinæ, quæ in hoc non consensit, præiudicare hoc non debet. Adhæc, etiam hodierno die Comes Theodorus fatetur, quòd Magnus Triuultius ab Imperatore Maximiliano licentiam obtinuerit, Vallem abalienandi; sed hoc non fecerit. Quòd

ſi verò feudum à Friderico Imperatore, vti dicit, obtentum tranſijt in deſcēdentes, & ſubſtitutos: cur non iiſdem iuribus licentia ab Imperatore Maximiliano etiam obtenta tranſiit? Quantum ad fideicommiſſum; illud non verificatur: quoniam ſimplex teſtamentum, aut codicillus eſt, in quo Vallem non facit fideicommiſſariam: ſed dicit, quòd prouentus Vallis alienare non poſſit, ſed ad tutandum castrum eoſdem retineat. Porrò, cùm iuſſu Fœderis Griſæi caſtrum deſtructum fuerit; per idem Fœdus Comiti Franciſco licentia data fuit, alienandi nominatos prouentus, & omne id, quod in Dominio fœderis habebat. Præterea, Comes Magnus Triuultius nullum teſtamentum, codicillum, minúſque fideicommiſſum, de bonis exiſtentibus in Dominio Fœderis, ſine licentia Fœderis, inſtituere potuit. Nam legibus fœderalibus cautum eſt, ne quis teſtari poſſit: ſed, ſi quis per duodecim annos bona aliqua empta, aut permutata pacificè poſſederit, quòd in perpetuum propter talem emptionem nec moleſtari, nec perturbari poſſit. Denique, cùm de his iuribus ſucceſſores Magni Triuultij, tandem edocti, Vallem in quieta poſſeſſione reliquerint: idē etiam ſperant dicti populi, Comitem Theodorum factutum eſſe. Hæc aliquantùm fuſiùs deducenda fuerunt. Heluetij Legatis ea, quæ ex fœdere tenentur, ſemper ſe præſtituros promiſerunt. Et Legati Gallici, Mironus, & Guefferius Soloduri, quos Miſaucienſes etiam per ſuos de conſiliis, & auxiliis, interpellarunt, optimam Regis ſui voluntatem illis ſpoponderunt. Catholici Cantones Ægidium Fleckenſteinium, & Ioannem Luſſium, Mediolanum, ad Ducem Feriæ, propter hanc cauſam, miſerunt; iiſque certum terminum redeundi præſcripſerunt. Dux Feriæ ſe excuſauit, inquiens, Triuultium tantùm titularem Principem creatum eſſe. Imperator Ferdinandus litteras ad Archiducem Leopoldum die XXI. Febr. huius anni de hac re ſcripſit; quibus etiam, titularem tantùm Principem Triuultium creatum eſſe, affirmauit. Jacobus Toſcanus, Canonicus Curienſis, Præpoſitus S. Victoris, & Vallis Miſaucinæ Vicarius foraneus, culpabatur, quòd Triuultio in hac cauſa faueret: proindéque ex Valle diſcedere coactus fuit. Sed mox, interpoſitione

Nun-

Nuncij Apoſtolici, iterum in Vallem ad functionem ſuam eſt admiſſus. Hiſpanorum autem ſcopus, in hoc Miſaucienſi negotio, erat; vt, ſi Triuultius rerum potiri poſſet, deinde in loco, Monticello dicto (qui in confiniis eſt verſus Biltionam) fortalitium, pro impediendo tranſitu ex Heluetiis in Italiam, extrui curarent; ſicut in loco Steig in ingreſſu Rhætiæ aliud excitare volebant; vt ita tranſitus abſolutè vtrinque poſſidere valerent.

Interim Pariſijs die XVII. Febr. fœdus, de quo antè diximus, inter Regem Chriſtianiſſimum, Rempubl. Venetam, & Ducem Sabaudiæ, ampla forma pro reſtitutione Rhætiæ, & Vallistellinæ, conceptum fuit: cuius ſubſtantia hæc eſt: Quoniam Rex Chriſtianiſſimus, ſtatim à principio, poſtquam Rex Hiſpaniæ, & Archidux Leopoldus, contra Rhætos, & in Valletellina, & in aliis locis, in præiudicium confœderatorum, & fœderis Regij Gallici egerunt, nulla media amica Romæ, in Hiſpania, & alibi, omiſit; vt, nempe, res in priſtinum ſtatum, & ipſis confœderatis quies, & libertas, reſtituerentur; hæcque omnia fruſtranea fuerunt: ad fœderis articulos hoſce deuenerunt, & hoc fœdus per duos annos ſtabiliuerunt, & vlteriùs, quandiu neceſſarium iudicatum fuerit; vſque ad plenariam & integram reſtitutionem Vallistellinæ, & aliorum locorum occupatorum, Rhætico regimini inſitorum; ita, vt dicti Rhæti, & Principes confœderati, poſſint quietè ſecuritate & pace gaudere. Primò Rex promittit XV. M. aut VIII. M. pedites, & bis mille equites: Reſpublica Veneta X. M. aut XII. M. pedites, & bis mille equites: Dux Sabaudiæ VIII. M. pedites, & bis mille equites conſcribere, & exercitum quiſque ſuum alere. Poſtea factum, vt expenſarum in Rhætia, & Valletellina, Rex Chriſtianiſſimus partem dimidiam; partemque alteram alij duo Principes, Venetus, inquam, partes duas, & tertiam (quæ ſexta eſt omnium expenſarum) Dux Sabaudiæ ſolueret. Et interim Comes Erneſtus Mansfeldiæ, donec Hiſpanus, & Archidux Leopoldus, occupata reſtituerint, diuerſionis alicuius faciendæ cauſa conducatur. Si ex confœderatis aliquis, propter hanc confœderationem, ab aliquo fortè impetatur; alter alterum adiuuare debet. Sum-

mum Pontificem, propter reuerentiam quam confœderati ipsi debent, per suos Legatos non solùm de veris, iustísque causis huius fœderis edoceant; sed quoque, locum pro ipso in fœdere reseruantes, ad hoc ipsum inuitent: postquam Sanctitas sua, per prudentiam & sollicitudinem paternam non potuit mala anteuertere, nec disponere Hispanos ad promptam, realem, & veram restitutionem occupatorum, prout confœderati desiderassent, ne ad hanc viam facti deuenire cogerentur: ad quam nonnisi coacti, liberandorum vicinorum, & cõfœderatorum suorum ab oppressione, causa, vti honos & dignitas, cum securitate & libertate publica coniuncta, requirunt, deuenerunt. Locus etiam Heluetiis, quorum maximè interest, in hac confœderatione, ad quam inuitari deberent, relictus fuit. Adhæc ad eandem inuitare constitutum Regem magnæ Britanniæ, Principesque Germaniæ, & Italiæ. Nullus porrò confœderatorum, sine aliis, possit nouæ propositioni aures dare, aut aliquid in hoc præsenti tractatu alterare. Si aliqua controuersia inter duos ex confœderatis oriatur, tertius Judex eam decidat. Quòd si controuersia inter omnes tres existat, per Commissarios electos, aut Principes amicos, & confœderatos, à partibus eligendos, decidatur.

Interea in Rhætia multi ad paupertatem extremam redacti, rebus desperatis, vindictam, contra eos maximè Rhætos, qui cum Austriacis steterant, spirarunt. Aliqui ex Dominio Maiævillano, Theodoricus, inquam, Enderlinus, Samuel Caspar, Thomas Nauserus, Joannes Follmarus, Christianus Senthius, quibus se adiunxit Ludouicus Monachus, ciuis Curiensis, & Dauosij Petrum Ruedium conscium habebant, Dauosium, vt Martinum à Camenis, qui ibi vxorem duxerat, & habitabat, è medio tollerent, proficisci volebãt. Sed XVII. Januarij, in Rhetigoia, iussu Præfecti Trauersij, capti fuerunt, & Oenipontum deducti; vbi postea Theodoricus, ineunte mense proximo Aprili, capite truncatus, & caput conto impositum fuit: reliqui ad triremes damnati, & ad fortalitium Fontanum, vbi in itinere Samuel Caspar euasit, missi; duo ibi mortui, reliqui deinde liberati fuerũt. Pesclauienses Catholici quotidie maiori odio contra Pro-

testantes

testantes ferebantur. Concionator Protestantium, Iacobus Rampa, inde discedere de nouo coactus fuit, & concionibus Protestantibus interdictum. Cal. Martiis, Pesclauij, in Valletellina, & Clauennæ, ac Valle Prægallia, terræmotus fuit, qui per duos quoque dies sequentes, quamuis minùs vehementer, durauit. Rex Christianissimus, per Legatum suum Romæ Summo Pontifici, vti etiam Respublica Veneta, & Dux Sabaudiæ, fœderis articulos proponunt: atque in id Rex incumbit, vt Rex Hispaniæ promissis tractatus Madrilliani stet. Pontifex, præuidens, bellum inter hos duos Monarchas nasci posse, ad Nuncium suum in Hispania scribit, vt Regi Catholico exponat, vnicum remedium rebus pacandis fore, si Vallistellina, Comitatus Bormij, & Clauennæ, in manus Pontificis sequestrò deponantur, & interim Romæ amica tractatione res transigatur. Dux Albæ, Hispanus, electus nouus Vice-rex regni Neapolitani, acerbam orationem Romæ, coràm Pontifice, de re Rhætica, & Volturenensi, habens, Rhæticum negotium iam Lindauiæ, ac Volturenense Mediolani, transactum esse dicebat. Religionem Catholicam maximè prætendebat, & fœdus nouum confœderatorum Principum tacitè taxabat. Ad quam orationem, sub titulo Equitis Castellani, falsè responsum fuit, atque immodica Hispanorum dominandi libido, quocunque titulo aut prætextu, depicta. Voltureni, cùm iam de deposito Vallistellinæ futuro inaudirent; id omnibus modis impedire etiam sategerunt. Doctor Joannes Jacobus Paribellus eam ob causam Lucernam in Heluetiam missus fuit. Pesclauij in Rhætia nocte, quam secutus est dies Mercurij, XXVI. Aprilis, octodecim viri, plerique senes, & tres fœminæ Protestantes, item duo Catholici viri trucidati fuerunt. Latrones, & sicarij ex Valletellina à Doctore Jacobo Lanfranco, Pesclauiensi, fratre Andreæ parochi Tiranensis, (qui anno M.DC.XX. in Valle-Monasterij, in pago Monasterij, vti suo loco narrauimus, sacerdotio fungebatur) Pesclauium deducti fuerunt: quibus se deinde etiam aliqui Brusienses, è quorum numero fuit Joannes ille Antonius Paganinus, coniunxerunt. Aliqui Pesclauienses Protestantes, vti Jo. Baptista Landolfus, & alij, vulnerati, ædes

Aaa

ipſorum ſpoliatæ, libri Proteſtantium combuſti, & magna prædа abducta fuit. Reliqui Proteſtantes ſe per montem Berninam in Engadinam ſubduxerunt. Duo Fœdera deinde Joannem Florinum, & Lucium à Capaulis, ad Peſclauienſes, vt Proteſtantes iterum in patriam admitterentur, miſerunt: ſed nihil obtinere potuerunt. Peſclauienſes enim Bulla Papæ, quâ protestantes ab Italia arceantur, ſe excuſabant: cumque inter alia inferrent, ſibi præcipi, vt præceptis Dei obedirent; Joannes Florinus, qui Catholicus erat, reſpondit, In Decalogo habetur: Non occides: Non furaberis: ſed vos vtrumque commiſiſtis. Voltureni litteras die IV. Maij, Sondrij ſcriptas, ad duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum per curſorem mittũt. Dicunt, Quamuis capitulatio, anno præterito Mediolani inter ipſos concluſa, ſibi pacem firmã perſuaſerit, varia tamen accidentia poſteà de obſeruatione ſibi dubia mouiſſe; hæc inconuenientia tamen putant emanare ab aliis, qui ratione ſui commodi eos turbare tentent: petunt itaque, vt de nouo, per Deputatos vtrinque miſſos, cum noua declaratione, firma & fida correſpondentia & vicinitas ſtabiliatur. De eis, quæ Peſclauij acciderint, ſe excuſant: aiunt aliquos infimæ conditionis homines ex ſuis, cum aliquibus ex Valle Camonica acceſitis, hæc perpetraſſe contra conſenſum & voluntatem magiſtratus Vallistellinæ, eóſque punire velle; quod tamen factum non fuit. Rhæti etiam nullos Deputatos eligere voluerunt. Doctor Jacobus Schmidt à Gruëneck, à Rhætico Senatu Mediolanum ad Ducem Feriæ, propter lanienam Peſclauienſem; nec non poſtea propter protestantes Peſclauienſes exules, & ſecuritatem Superiorum Engadinorum, Doctor Jacobus Albertinus, miſſi fuerunt. Sed nec hi quicquam obtinuerunt. Apud Quatuorpagicos de laniena Igeſij, vbi omnes protestantes ſunt, perpetranda fama conſtans fuit, idque inſtinctu trium fratrum Sacerdotum, ex familia Heuslerorũ ex ditione Auſtriaca oriundorum, Thomæ Cicerij, Joannis Trimontij, & Georgij Underuatij, officio parochorum fungentium. Aliqui feroces iuuenes Trimontani noctu iam ad locum, Ruina, dictum, propè Cicerium, & aliqui Underuatiani, ad Rhenum venerant,

nerant, ſed ab aliis ſanioris mentis abſterriti fuerunt: poſteà publicarunt, quòd Cicerij aliquos per iocum in fontem detrudere voluerint; parocho Trimontano maior culpa adſcribebatur; & Igeſiani Curiæ apud Senatum de hac machinatione conqueſti poſteà ſunt; qui rem ad Epiſcopum & capitulum detulit. Parochus deinde miris excuſationibus & peierationibus ſe purgare conatus eſt.

Die Martis, 11. Maij, Dauoſiani & Rhetigoij propè caſtrum Caſtellum congregati, in verba Matthiæ Burckhlheneri, & Anſelmi Baronis à Fels, Commiſſariorum Auſtriacorum, iurare coacti fuerunt. Comes à Sulz mille ducentis peditibus, & quinquaginta equitibus hoſce inermes circumdederat. Ipſi autem articulum Religionis & libertatis conſcientiarum ante iuramentum apertè reſeruarunt: & Comes bona fide ipſis promiſit, fore, vt in religione non turbentur. Rhetigoij ſe ad ſepem, quæ longis ſudibus conſtabat, accommodauerant, vt, ſi fortaſſis vi impeterentur, ſe defendere poſſent: quod Auſtriaci demùm poſt dimiſſum populum animaduerterunt. Die ſequenti Mercurij, ad locum, Crucem, dictum, qui infrà Umbilicum eſt, Bellfortenſes, Coruantij, & Scanauicani idem iuramentum præſtiterunt. Atque iam ante Octo Juriſdictiones obſides Veldcurium mittere coacti ſunt: quæ res deinceps, donec ex caſtro Veldcurienſi poſt aduentum exercitus Gallici, vt dicemus, euaſiſſent, continuata fuit, obſidibus ſubinde mutatis. Jo. Victor Trauerſius præfecturam apud Dauoſianos & Rhetigoios retinuit: Bellfortenſibus verò, Coruantiis & Scanauicanis poſtea alius præfectus, Georgius ab Angeloch, qui inſuper Auſtriaci Commiſſarij in Rhætia titulo ornatus erat, & Curiæ reſidebat, datus fuit. Mox etiam templa Capuccinis, & aliquibus Monachis in Octo Juriſdictionibus & inferiori Engadina commiſſa.

In Hiſpania Nuncius Apoſtolicus tandem à Rege obtinuit, vt in depoſitum die IV. Febr. multis cautionibus additis, conſentiret. Legatus Gallicus Mironus Badæ in Heluetiis die XIV. Maij, nomine Regis, Venetorum, & Ducis Sabaudiæ, fœdus initum propoſuit, atq; Heluetios ad hoc amplexandum exhortatus eſt. Aberant autem Oratores

Cantonum, Uraniæ, Suitij, Subſyluaniæ, & Tugij, qui ſuos Legatos de hac, & aliis cauſis, in Galliam miſerant.

Menſe Junio deinde, idẽ Legatus, corã toto Heluetiorũ conſeſſu, in eadem inſtitit. Tandem, exeunte menſe Maio, Nicolaus Ludouiſius, Dux Fiani, frater Summi Pontificis Gregorij XV. cum exercitu Eccleſiaſtico in Volturenam venit. Voltureni, antequam hos admitterent, de gubernatione politica ſecuri eſſe volebant. Erant autem tredecim cohortes peditum, quæ in valle diſtributæ fuerunt, vt ſequitur: Magiſter Campi, Petrus Groſſus, eiuſque frater, Pompeius Groſſus, Rauennates, Bormij: Magiſter Campi, Marcus Antonius Toſſignanus, Bononienſis, Centurio maior, *(Sargente maggior)* Cæſar Scottus, Peruſinus, & Aluiſius Palmerius, Bononienſis, Tirani; Joannes Moronus, Firmianus, Tilij; Angelus Roſa, Norcienſis, Ponti, & Clurij: Magiſter campi Annibal Margaruccius, de Sancto Seuerino, Centurio maior, Thomas Adamus, Firmianus, & Ludouicus Albertinus, de Foro Cornelij, Sondrij: Centurio maior, Jo. Baptiſta Cantus, Aſcolanus, & Camillus Buccius, Bononienſis, Morbennij: Joannes Baptiſta Naldus, Rauennas, Trahonæ; collocati fuerunt. Turmæ equitum tres erant: Comes Jo. Baptiſta Malvezzus, Bononienſis, Mazij; Octauius Ciaccia, Tudertinus, Tirani; Ludouicus Canalis, Berbennij, ſubſtitere. Dux Fiani in comitatu ſuo Nuncium Apoſtolicum Scapium, & Nicolaum Vidum, Comitem Balnei, Marchionem Montiſbelli, habuit: quem deinde huic exercitui præfecit, ipſeque Fiani Dux, poſt paucos dies, ex Volturena diſceſſit. Morbennij antea, incuria fabri ferrarij cuiuſdam, vigintiquinque domus igne abſumptæ fuerunt. Legatus Gueſſerius, equis diſpoſitis, ex Gallia, per Rhętiam, in Volturenam, vbi ſperabat ſe adhuc Ducem Fiani inuenturum, aduentauit. Sed iam is diſceſſerat. Romam itaque ipſe quoque Gueſſerius profectus eſt. Amicos in Rhætia ad conſtantiam exhortatus eſt. Rex Galliæ, ad alendum hunc exercitum Eccleſiaſticum, vigintiquinque mille aureos in principio contribuiſſe dicitur: quippe ipſi perſuaſerant, depoſitum tantùm per tres menſes duraturum: quo temporis ſpatio arces & fortalitia dirui, omnis controuerſia decidi,

&res

& res in pristinum statum redire debebant. Hispani die demùm XVI. Nouembris sequentis, Comitatum Clauennæ in depositum Marchioni Balnei in manus tradiderunt: atque tum ad ripam Mezolæ locata fuit cohors Centurionis maioris, Thomæ Adami; & Clauennæ, Annibal Margaruccius, Angelus Rosa, & Jo. Baptista Naldus: itemque turmæ equitum Jo. Baptistæ Malvezzi. Voltureni rebelles suos prætores mutauerunt. Tirani, Doctor Annibal Philipponus: Sondrij, Doctor Joãnes Jacobus Paribellus: Tilij, Doctor N. Græcus: Morbennij, Doctor Franciscus Venosta; & Trahonæ, Andreas Besta, successerunt. Hoc mense Junio Curiæ Comitia habita, quò etiam Carolus Stredelius, Leo Matthias Schillerus, Commissarij Austriaci venerunt. Nam Rhæti duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani, libenter à præsidiis liberati fuissent: prout hanc ob causam Christophorus Lhenerus quater, & Michaël Finerus bis, ad Archiducem missi fuerunt. Austriaci in comitiis proposuere hanc viam solam ad abducenda præsidia patere, si permittant, in cliuo S. Lucij *(Steig)* fortalitium construere. Atque postea Hieronymus à Capitaneis, de Sesto, architectus insignis, à Duce Feriæ missus, locum diligenter lustrauit, & designauit. Heluetij omnes, cùm de fortalitio isto construendo rescirent, illud permittere nullo modo voluerunt. Duo autem Fœdera, & Dominium Maiævillanum, litteras ad Heluetios, mense Junio Badæ congregatos, scripserunt, quibus de onere præsidiariorum conquesti, cùm sui iuris non sint, vt à præsidiis liberarentur, se fortalitium extrui permisisse, significarunt, & amplioribus etiam verbis se excusarunt. Antonius Gugelberg à Moos, Tiranum in Volturenam, ad Marchionem Balnei propter Pesclauienses protestantes, & Engadinos, qui Voltureno propter verba minacia effusa suspectos habebant, missus fuit. Marchio ipsum benignè excepit, & tractauit, nec se quicquam innouare velle affirmauit. In Rhætia, mense Julio, sanguis in falcibus, & rastris, dum fœnum & siligo colligeretur, Ilantij, Cizerij, & Malansij, conspectus fuisse dicitur. Die octauo Augusti, Burgundi ex Dominio Rhætiensi discesserunt. Episcopus Curiensis interim apud Quatuorpagos, & alibi,

prætenſa iura antiqua ſollicitauit. Cumque in Quatuorpagis aliqui ipſi minùs fauerent, menſe Auguſto, opera Jo. Baptiſtæ Altmanshauſeri, præfecti aulæ, captiuos fecit Michaëlem Alemannum, & eius filium Laurentium; Andream Malthesſium, & Philippum Mintſchium, qui Veldcurium deducti fuerunt: qua re duo Fœdera offenſa fuerunt: & proinde Epiſcopus eos iterum dimittere coactus fuit. Die XXII. Auguſti Salomon Hirzelius, Tigurinus, & Ægidius Fleckenſteinius, ab Heluetiis ad Archiducem Leopoldum, qui Vurmlingæ propè Conſtantiam erat, miſſi fuerunt, vt, inter alia, ipſum dehortarentur à conſtructione fortalitiorum ad cliuum S. Lucij, & ad pontem Rheni. Ipſe verò reſpondiſſe dicitur, Se ſolùm ad coercēdos ſubditos ſuos Rhetigoios hoc procurare. Voluit quoque, vt Heluetij amplioribus promiſſis ſe obligarent, quòd Rhetigoios, & Engadinos inferiores, aut reliquos, aliquid noui molientes, fouere nullo modo vellent. Proteſtantes Heluetij ſæpiùs ſuper hac re conuenerunt: atque ea, ad quæ ex fœdere tenerentur, reſeruare voluerunt: cæterùm nullam ſeditionem ſe vnquam fouiſſe, nec fouere velle, dixerunt. Bernates autem nullo vnquam ſcripto erga Auſtriacos ſe declarare voluiſſe dicuntur. Die Veneris Cal. Septembr. Comes Hieronymus Caſatus, Legatus Hiſpanicus, Curiam in Rhætiam venit: & conuocatis comitiis, tranſitum pro ſex mille peditibus, & quingentis equitibus, qui in Belgium tenderent, petijt. Expreſſè autem addidit, ſe hoc non virtute fœderis, aut capitulationum Mediolanenſium, ſed tantùm bonæ vicinitatis fiducia, petere. Voluit quoque, vt prædicantes, nec Papam, nec Domum Auſtriacam, pro concionibus vllo modo traducerent. Archidux Leopoldus etiam paulò ante litteras ad ſuperiores Engadinos ſcripſit, vt Concionatores iſti à concionibus abſtinerent. Engadini propterea Miniſtralem ſuum, Iodocum Raſerium, Oenipontum miſerunt: cumque Archidux ibi non eſſet; Viennam vſque Raſerius iuit, vt libertatem Religionis, & aliquorum grauaminum ſubleuationem, obtineret. Interim Engadini in concionibus ſemper perrexerunt. Die XI. Septembris comitia Badenæ ab Heluetiis propter fortalitia illa in Rhætia extruenda, celebrata,

lebrata,& eò etiam vocati fuerunt Rhæti: quorum nomine comparuerunt Joan. Simeon de Florinis, & Christophorus Lhenerus. Aderant etiam Legati, Mironus, Gallicus: & Cauazza, Venetus; & Doctores duo, Christianus Schmidelinus, & Plauennerus, nomine Archiducis Leopoldi. Heluetij simpliciter & absolutè fortalitiorum ædificationem admittere noluerunt. Urbanus VIII. Summus Pontifex, mense Augusto proximè elapso electus, Breue Apostolicum, die XVI. Septembr. M.DC.XXIII. ad dilectum filium, nobilem virum, Ducem de Feria misit, in quo, cùm de morbo suo dixisset, virtutes & victorias Ducis Feriæ prædicauit, & tandem pacis & quietis causa ipsum hortatus est, vt Comiti Vido, Marchioni Balnei, Capitaneo militis Ecclesiastici, in Valletellina, castrum Clauennæ, & propugnaculum ad Ripam, traderet. Admonuit eundem, vt, authoritate sua, Venerabilem fratrem Leopoldum, ab exstructione fortalitiorum, quibus transitum Steig munire cogitat, dehortetur: & ne iram ferocium populorum, & pugnacium nationum accendat, & alieno tempore, non sine damno pacis publicæ, ipsorum arma procuret, aut prouocet. Mense Octobri, Rodolphus Planta, & alij, Curiæ Rhætorum, in comitiis, pro Judicio censorio, vigore capitulationis Lindauiensis, instituerunt, & diuersis vicibus hoc repetierunt: sed semper res dilata fuit. Eodem hoc mense milites Hispani per Rhætiam Belgium versus transierunt: quibus omnibus præerat Don Joannes Gusmannus. Legio fuit Hispanica, & tres Italicæ, Camilli del Monte, Joannis Medicæi, & Francisci Addæ; itemque quinque turmæ equitum. Cumque die Mercurij, XXV. Octobris, duæ turmæ equitum, & quadringenti pedites Cicerij pernoctarent; septemdecim ædes, & viginti duo stabula, combusta fuerunt: quod ex negligentia lixæ commissum fuisse dicebant. Cizeriani Mediolani damnorum pensationem, sed frustra, expetierunt. Die XII. Nouembris, Alexander Scapius, Nuncius Apostolicus, ex Monasterio Fabariensi, Curiam appulit: atque coram Senatu Rhætico diuersa petijt. Deinde Disertinum adijt, atque Sebastianum à Castelberg, administratione, & barba promissa, priuauit. Sic quoque Michaël Saxerus, Abbas Fabariensis,

ab administratione, & postea ab Abbatia, per resignationem, remotus fuit; cui successit Iodocus Hœslius, Glaronensis, vir literatus. Mense Decembri Curiæ comitia, propter petitiones Nuncij Apostolici, Episcopi Curiensis, & canonicorum Curiensium, celebrata fuerunt: tandemque duo Fœdera, & Dominum Maiævillanum (cùm propter solutam Trium Fœderum Rhæticorum vnitatem, & præsidia Austriaca in Rhætia, sui iuris non essent) ad transactiones deuenerunt: vbi in primo consessu, die XVIII. Decembris M. DC. XXIII. articuli anno M. D. XXVI. constituti, abrogati, & antiquati fuerunt. Huic tractatui interfuerunt, nomine Episcopatus Curiensis, Joannes Zollerus, præpositus; & Caspar Sainus, Decanus capituli Curiensis: nomine duorum Fœderum, Doctor Jacobus Schmidt à Grueneck, Rodolphus à Marmore, Lucius Scarpatectus, & Antonius Gugelbergerus. Octodecim articuli conditi fuerunt, quorum substantia hæc est: Causæ matrimoniales coram foro Ecclesiastico Catholico, si alterutra persona ex litigantib. catholica sit, decidantur: si verò ambæ sint Protestantes; coram Judicibus Protestantibus decidi debent. Si Episcopus Curiensis probauerit, quòd vel præfectus aulæ, vel præfectus Furstenburgij, Eremusij, aut Furstenouiæ, sessionem & locum in Senatu Rhætico habuerint; iterum hi eo beneficio frui possint. Si Ministrales ante annum M. D. XXVI. Episcopus creare ius habuerit, eos iterum creare possit, nisi ius alienauerit. Census, in materia, pondere nempe, & mensura, sicuti ante annum M. D. XXVI. & non in æstimatione, soluantur. Anniuersaria Ecclesiastica exigere possint. Monasteria, Cazes in Tumiliasca, & S. Dominici in ciuitate Curiensi (sicut Monasterium S. Nicolai postea effectu ipso ipsis restitutũ fuit) & alia, cum iuribus & redditibus, restituantur. Decimæ minores soluantur. Maiores in area & vinea pendantur. Feuda, & emphyteuses, secundum naturam legum, intelligantur. Laudemia (Laudodominia) soluantur. Jus piscandi & venandi Prælatis restituatur, nisi legitimè illud alienauerint. Ecclesiis & Sacerdotibus tantum, quantum ante annum M. D. XXVI. dabatur, pendatur. Ubi Episcopus, aut alij Prælati, ius eligendi officiales habent, ibi etiam

etiam mulctæ ipsis cedant. Appellationes in spiritualibus ad Episcopum deferantur. Virtute capitulationum Lindauiæ, & alibi acceptatarum, non solùm Rhæti natiui; sed etiam alij Germani, capaces, ad Episcopatum, & canonicatum, promoueri possint. Quantum cōtrouersiam fructuum retentorum attinet, ea per Commissarios Austriacos, & Rhætos, qui Lindauiæ tractarunt, decidatur, si Nuncius Apostolicus ipse facere hoc recuset. Reseruatum fuit Communitatibus, & Ecclesiasticis, super his articulis, vigore tractatus Lindauiensis, iura sua hinc & inde deducere. Die sequenti Martis, quæ erat XIX. Decembris, ad instātiam Nuncij Apostolici, duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, diplomate dato, permiserunt, vt, virtute capitulationum Lindauiæ, & alibi initarum, in omnibus locis duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani, cuncti Catholici, qui ibi habitant, aut transeunt, religionem Catholicam liberè exercere possint, & facultatem liberam habeant fundandi, & dotandi Templa, Oratoria, Hospitalia, & Monasteria omnium Ordinum Ecclesiasticorum à Pontifice Romano approbatorum, & ibidem catechizandi, concionandi, & docendi. Catholici de bonis suis liberè testari, & ad vsus pios legare possint. Iidem Catholici etiam liberè, sine pœna, & impedimento, obseruare possint Concilium Tridentinum, Bullam in Cœna Domini, Gregorianum Kalendarium, Decreta, Bullas, & Indulgentias Pontificis. Reuocata Decreta Judiciorum Tusciæ, & alibi, habitorum, & quicquid vnquam in contrarium statutum fuerit. Promiserunt etiam, nihil huic contrarium, prout etiam Lindauiæ, anno M.DC.XXII. spoponderunt, constituere: ita tamen, vt Protestantes etiam liberi in suæ Religionis exercitio, & omni alia re, secundum tractatum Lindauiensem, permanere possint. Deinde die XXIX. Januarij, M.DC.XXIV. cum ciuitate Curiensi, quoad decimas, etiam transactum fuit; nempe, Ut de quolibet iugo *(maal)* agri sati vnum quartarium *(viertheil)* fructus prouenientis, & de qualibet amphora *(zuber)* vini, quæ constat octuaginta mēsuris, quatuor mensuras soluant. Bona autem aliqua, quæ libera sunt, etiam reseruantur, & eximuntur. Hoc mense Januario Capuccini

templa in Valle Prægallia omnia occuparunt. Concionatores protestantes, iussu Marchionis Balnei, Prægalli dimittere coacti fuerunt. Duo Fœdera, & Dominium Maiævillæ, Casparum Schmidt à Gruëneck, cui adiunctus fuit Gubertus à Salis iunior, ad Marchionem Balnei, propter liberum Religionis protestantium in Prægallia exercitium, miserunt: sed nihil hi effecerunt. Romæ interim, mense antecedente Nouembri, à Summo Pontifice, Commendatore Sillerio, Legato Gallico, & Duce Pastranæ, Legato Hispanico, in componendo Proiecto (vt vocant) seu articulis, circa restitutionem Vallistellinæ, laborare incœptum fuerat. Nunc autem XXIV. Februarij Proiectum viginti duorum articulorum politicorum, & viginti vnius circa Religionem, publicatur. Quorum articulorum summa hæc fuit: Negotium Religionis Catholicæ in Valletellina, Comitatibus Bormij, & Clauennæ, conforme esto articulis, qui iussu Sanctitatis suæ compositi, & eiusdem quoque iussu, & Cardinalis Barbarini, subscripti sunt. Rhæti iuramento spondeant obseruationem horum articulorum in Religione, adeoque se obligent in meliori forma duabus Coronis, & vna Corona versus alteram, promittendo horum non solùm obseruationem, sed etiam auxilium, imò etiam arma, quando à Summo Pontifice proinde interpellentur. Rhæti in Vallemtellinam, Comitatúsque Bormium, & Clauennam, prout ante annum M. DC. XX. consueuerunt Gubernatores & Officiales mittere possint, à Communitatib. suis electos, dummodò Catholici sint. Causæ in omnibus instantiis, & appellationibus, secundùm leges, statuta, & consuetudines Rhætorum, quas dicti Judices catholici iudicauerint, per Judices quoque catholicos Rhætos recognoscantur: qui ius & iustitiam iustè, sine affectu, odio, & vindicta, administrent. Locumtenentes tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis, in Valletellina, atque in eis locis, vbi præsunt, asciscantur. Bormienses iisdem priuilegiis, quibus ante annũ M. DC. XX. gauisi sunt, deinceps quoq; gaudeant. Omnia fortalitia in Valletellina, & Comitatibus Bormij, & Clauennæ, post annũ M. DC. XX. extructa, destruantur; Rhætiq; duabus Coronis, & hæ vice versa illis, promittãt, se non per-

permiſſuros, vt iterum, ſub quocunque tandem prætextu, extrui poſſint. Tranſitus per Vallemtellinam,& Comitatum Bormij,pro Maieſtate Catholica liber eſto,ita vt militem illum, quem vltra montes miſerit, reducere quoque poſſit: atque in tranſitu ad eaſdem leges, ad quas alibi obſtringuntur, hîc quoque obſtricti ſunto. Valltellini, Bormienſes, aliique dictarum vallium incolæ, veniam generalem præteritorum habento: atque inſuper familiæ, Robuſtellorum,Paribellorum,Parauicinorum, Actij Beſtæ,Ioannis Guicciardi,Quadriorum,familia Aluiſij,& fratrum Vertemanorum Francorum Comitatus Clauennæ,& aliæ,quę à duobus Regibus nominabuntur, cum perſonis, & bonis, per viginti annos in protectione duorum Regum ſunto: ita, vt ſub nullo titulo, etiam iuſtitiæ, ad inſtantiam fiſci, nec perſonalem, nec realem executionem, ſine conſenſu duorum Regum, Rhæti contra eos exequi poſſint. Rhæti promittant,iurentque, atque ſe obligent in meliori forma erga duos Reges, & reciprocè duo Reges, quòd hos articulos obſeruaturi ſint. Sique quid controuerſum ſit in hac capitulatione; per duos Reges controuerſa diſcutiantur. Jurabunt etiam Rhæti obſeruationem articulorum concernentium Religionem catholicam. Caſu, quòd Rhæti articulis religionis contrauenerint, in eo, quod præſentem articulationem concernit,Rhæti ipſimet, cum expreſſa renuntiatione,ſe declarabunt excluſos, & priuatos omni iure, iuriſdictione, & ſuperioritate, quam in Valletellina, & Comitatu Bormio, habent, ita, vt dictæ Valles fiant liberæ, nec vnquam deinceps Rhætos pro ſuis Dominis agnoſcere teneantur. Atque vt firmior adhuc ſit hæc promiſſio, Rhæti orabunt dictos duos Reges, vt in ſuam protectionem, & defenſionẽ Vallistellinos,& Bormienſes,contra ſeipſos Rhætos recipere velint: quò ſic hæc capitulatio,& articuli religionis, obſeruentur. In abſoluto arbitrio Pontificis erit, declarare caſus contrauentionis, in præſentibus articulis politicis, tractatis, per duas Coronas: & Rhæti promittent, & ſe obligabunt verſus duos Reges, & hi reciprocè, ſtare iis, quæ Pontifex in contrauentione pronuntiauerit. Rhæti contrauenientes capitulationi, & articulis Religionis, ſiue

particulares offenderint, vniuersam Vallemtellinam & Bormium; siue Rhæti communiter particulares: siue particulares Rhæti Volturenos particulares: siue denique Rhæti communiter vniuersos Volturenos, & Bormienses, seu in vita, seu in bonis, seu in eo quod Religionem catholicam concernit, offenderint: tunc Vallistellini, & Bormienses, qui prætendent, quòd contrauentio sit, obligati sunto, eam Papæ per Nuncium Apostolicum denuntiare, vt nempe pronuntiare possit, num vera cōtrauentio sit. Quòd si Papa declarauerit Rhætos contrauenisse, atque declaratio per Nuncium Apostolicum Legatis duarum Coronarum denuntiata fuerit: dicti duo Reges intra quatuor menses perficiant, vt Rhæti à contrauentione desistant. Secus; elapso termino, Maiestati Catholicæ, & ipsius Ministris, liberum sit, sine, vel cum armis, prout Rex Hispaniæ iudicauerit, remedium adhibere: atque Vallistellini, & Bormienses, sint liberi: prætereaq; in eo casu Rex Christianissimus, nullum auxilium, nec manifestum, nec secretum, Rhætis feret. Quòd si Rhæti Vallistellinos, & Bormienses, offendentes, arma contra ipsos ferrent, etiamsi pro fundamento causam particularem prætenderent: tunc sine alia denuntiatione & declaratione, Papæ, Regi Hispaniæ, & eius ministris, subitò, sine, aut cum armis, remedium adhibere permissum sit; & Voltureni, & Bormienses erunt liberi: & in eo casu Rex Christianissimus tenebitur abstinere ab omni auxilio, & fauore manifesto, aut secreto, erga Rhætos. Duæ Coronæ se obligant stare declarationi Summi Pontificis, si quod dubium in articulis his tribus, XIV. XV. XVI. concernentibus securitatem huius tractatus, oboriatur. Duo Reges, & ipsorum Legati, apud Summum Pontificem, virtute instructionis suæ, promittent obseruationem, & intra duos menses ratificationem, horum articulorum. Qua ratificatione habita, capitulatio in effectum producetur, & fortalitia destruentur. Quousque fortalitia destructa erunt, depositum in manibus Pontificis perseuerare debere intelligitur. Atque capitulatio hæc à Legatis vtriusque Regis subscribatur. Porrò articuli Religionem concernentes, per Papam stabiliti, hi erant: Gubernatores, qui in Vallemtel-

linam,

linam, Comitatuſque Bormium, & Clauennam, mittentur, Catholici ſunto. Appellationes quoque per Iudices catholicos cognoſcantur. Si dubium eſſet, num verè Catholici ſint, declarationi Summi Pontificis ſtetur. In Valletellina, Comitatibus Bormij, & Clauennæ, nec non Peſclauij, & Bruſij, ſola catholica Religio exerceatur. Rhæti tenentor, cis montes, exercitium ſolius catholicæ Religionis fauorabili aſſiſtentia promouere, in reliqua tota Rhætia liberum Religionis exercitium admittere, apoſtatas Eccleſiæ Romanæ expellere. Nullus hæreticus in Valletellina, Comitatibus Bormij, & Clauennæ, Peſclauij, & Bruſij, nec in alio loco cis montano, ſecurum domicilium habeto. Omnia decreta in præiudicium Pontificis, atque ipſius authoritatis, & ordinarij Epiſcopi, quæ ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, & ſpecialiter ſententiæ Tuſciæ contra Volturenos latæ, reuocentur. Hæretici, qui bona in Valletellina, Comitatibus Bormij, & Clauennæ, Peſclauij, & Bruſij, poſſident, intra ſex annos ea alienare teneantur: atque intra hunc terminum per duos menſes, interpolatis vicibus, quotannis ad illa loca venire poſſint: ita tamen, vt familiam ſecum non ducant; atque præterea nobiles, nomen ſuum, duorumque ſecum famulorum, apud Prætorem, vel eius Locumtenentem, profiteri teneantur, qui aliam licentiam ipſis dare non poſſint: hique ſine omni ſcandalo Religionis catholicæ viuant. Secus, per iuſtitiam Epiſcopi ordinarij, aut alios Iudices Eccleſiaſticos, iudicari poſſint. Liberi hæreticorum, qui in dictis locis adhuc ſunt, in eis locis permanento, & Catholicè in ſeminariis, aut aliis locis piis, educantor, patreſque alimoniam ipſis ſubminiſtranto, & ad hoc faciendum per iuſtitiam ſummariam, ſine appellatione, adiguntor, nec patres hæreditate eos priuare poſſint. Omnibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque Ordinis, liber aditus ad dicta loca pateat, vt ibi habitare, templa ædificare, collegia inſtituere, & omnia, quæ ad manutentionem Religionis catholicæ neceſſaria erunt, agere poſſint. Ordinario Epiſcopo, & viſitatoribus, aliiſque Miniſtris Eccleſiæ Romanæ, permiſſum eſto, dictam regionem viſitare, & ſuam iuriſdictionem & officium, præcipuè in eo quod Religionem

catholicam concernit, exercere: prout leges & vsus Romanæ Ecclesiæ disponunt. Fœdera, Grisæum, Cathedrale, & Decem iurisdictionum, ac Dominium Maiævillanum, & nomine publico, & nomine personarum particularium, virtute præsentis capitulationis, intra terminum sex mensium restituere tenentor Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, omnia bona, quæ occupata & vsurpata fuere à quadraginta annis. Et ad hanc restitutionem, non solùm vsurpatores; sed ipsorum quoque hæredes, & successores, cum restitutione fructuum receptorum, obligantor: atque etiam ea, quæ per contractus alienata, tam ante tempus quadraginta annorum, quàm post, fuerint, restituantur. Articulus iste, & omnes alij, non erunt restrictiui, & limitatiui; sed extensiui, & ampliatiui, in omnibus illis, quæ Nuncius Apostolicus in Heluetia, & Rhætia, nuper in ciuitate Curiensi, quoad beneficia, Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, tractauit. Ad maiorem religionis Catholicæ, & Catholicorum, securitatem, ante destructionem fortalitiorum, & omnem alium executionis capitulationis politicæ actum, præsentes articuli religionis sub numero primo ad decimum quintum vsque comprehensi, per edictum publicum publicari debent. Rhæti vtrique Regi, & hi reciprocè, promittent se acquiescere velle decisioni Pontificis, super dubiis, & contrauentionibus horum articulorum religionis. Reges etiam promittent, & se obligabunt pro totali obseruatione horum articulorum assistere summo Pontifici, & eius successoribus, tam bonis officiis, quàm armis ipsis, quando requisiti fuerint. Verba capituli vndecimi circa veniam Volturenorum, & Bormiensium, itemque capitulorum XI. XII. XIII. concernentium securitatem obseruationis capitulorum politiculorum & temporalium, qui inter duos Reges tractati fuerint, intelligantur de verbo ad verbum repetita in his articulis pro obseruatione ipsorum in fauorem religionis Catholicæ Romanæ, non solùm in Valletellina, & Comitatu Bormij; sed Clauennæ quoque, ac si Clauenna, quantum ad religionem, in his articulis comprehensa esset. Pro maiori securitate, & obseruatione horum articulorum religionis, dicti duo Reges apud Heluetios operabun-

rabuntur, vt promittant, & ſe obligent pro Rhætis ad obſeruationem contentorum in articulis. Hic tamen articulus, non per formam conditionis apponitur: ſed etſi Heluetij promittere nollent; tamen articuli inter duos Reges conſtituti, & hi articuli Religionis nihilominus in ſuo vigore permaneant. Sciendum autem eſt, Pontificem articulis Politicis ſe apertè miſcere noluiſſe; quia perſuaſum ipſi erat, ſalua conſcientia, ſubditos Catholicos Magiſtratui Proteſtanti, neque quoad ſuperioritatem, neque quoad Magiſtratum inferiorem, ſubiici poſſe. Porrò Legatus Hiſpanicus iam anteà ſuper Proiecto, menſe Nouembri concepto, de ſubſcriptione interpellatus, reſpondit, Se non ſatis amplam authoritatem à ſuo Rege ſubſcribendi habere. Pontifex itaq; curſorem ad Nuncium ſuum in Hiſpaniam mittens iniungit, vt Regi hanc Legati ipſius, circa deſideratam ſubſcriptionem, cunctationem exponat, ſimulq; ſignificet, Quòd ſi Rex, ſine alia dilatione & conditione capitulationem acceptare grauetur, Pōtificem culpam malorum, quæ inde naſci poſſent, Regi imputare coactum iri, ſimulque cum aliis, quorum intereſt, cogitare velit de mediis communis conſeruationis, & ſecuritatis. Rex Hiſpaniæ, die x. Decembris, Nuncio Apoſtolico apertis verbis reſpondet, Sibi circa negotium Vallistellinæ, & ſtatus, & reputationis cauſa, adeò multum conuenire, vt rationibus ſequentibus adductus, ad capitulationem illam conſentire nulla ratione poſſit. Nempe, præter negotium Religionis, ſe iam Vallistellinenſibus promiſiſſe, inquit, quòd nunquam dominationi Rhætorum ampliùs ſubiiciendi ſint: quodque Voltureni titulos & prætenſiones habeant, quibus ius libertatis obtinere poſſint. Præterea, cùm arma in diuerſis locis in manibus contra hæreticos habeat; tranſitum hunc Rhætis hæreticis ſe reſtituere non poſſe. Adhæc, bello, quod propter Religionem in Valletellina geſſerit, ſe iam ius regionis ſibi acquiſiuiſſe. Item, Ducatui Mediolani ab antiquo alia iura ſuper dictam Vallem etiam competere. Denique, ſi maximè Vallistellina reſtituenda eſſet, priùs de refundendis expenſis tractandum fore: vel ſaltem, omni in caſu, libertatem tranſitus concedendam ſibi eſſe. Legatus etiam

Gallicus, Sillerius, Romæ, quantum Religionem Catholicam in Valletellina concernit, plenam diſpoſitionem Pontifici relinquere videbatur: ſed quoad modum reſtitutionis Vallistellinæ, & deſtructionem fortalitiorum, petebat executionem tractatus Madrillienſis purè & ſimpliciter, & clauſulam illam, quoad tranſitum perpetuum militis Hiſpanici per Vallemtellinam, reiiciebat. Summus Pontifex in hac negotiatione, quoad tranſitum, temperamentum aliquod ſollicitè quærebat, & Legatus Gallicus omnia ad beneplacitum Regis ſui remittebat. Rex autem expreſſè Miniſtris ſuis Romæ denuò iniunxit, vt ab hac negotiatione abſtinerent, donec Philippum Bethunæum, Comitem de Selles, Legatum ſuum, qui ante etiam Romana legatione magno cum honore functus fuerat, Romam, cum intentione & voluntate Regia, mitteret. Guefferius in Galliam redijt, vbi Regi omnem ſucceſſum negotij Rhætici ab anno M.DC.XX. ſcripto comprehenſum expoſuit. Voltureni rebelles iam antea Doctorem Proſperum Quadrium Romam miſerant; cui deinde Doctor Joan. Franciſcus Schenardus adiunctus fuit: Bormienſes verò Romæ habebant Doctorem Joachimum Imeldum: & Clauennenſes eò miſerunt Georgium Peſtalozium. Sub nomine Zelantis patritij Voltureni, Proſper Quadrius libellum publicat, cui titulum præfigit, Jura contra Griſones: vbi eaſdem calumnias, quas in primo Manifeſto euomuerant, recoquit. Doctor Schenardus Conſilium ad Pontificem Urbanum VIII. ſcribẽs, iiſdem mendaciis & calumniis certat. Manifeſtum deinde Volturenorum ad eundem Pontificem dirigunt, mendaciis, & calumniis refertiſſimum, eoque Catholicos Rhætos magis, quàm ipſos Proteſtantes, vilipendunt. Adhæc alium quoque libellum, ſub titulo Manifeſti, & Remonſtrationis Volturenorum, Regi Galliarum exhibent; in quo, inter alia, inquiũt, Omnium Catholicorum Volturenorum vnanimem hanc eſſe ſententiam, quòd nunquam Rhætis reſtitui, aut eos pro ſuperioribus ſuis agnoſcere velint: quodq; nullus, quiſquis ille ſit, executionem tractatus Madrillienſis, ſine offenſione iuſtitiæ, Religionis Catholicæ, ſanctorum Canonum, & incurſione pœnarum in Bulla in Cœna

Domini

Domini denunciatarum, vrgere poſſit; quòd Vallistellini non ſubditi; ſed cõfœderati Rhætorum ſint: quòd propter monſtroſam auaritiam, & crudelitates extremas, quas Rhæti contra Catholicos Volturenos exercuerint, &, vt eis occurrerent, arma ſumpſerint, & omnes Proteſtantes occiderint: atque, poſtquam ita per arma libertatem acquiſiuerint, Reges proin, Chriſtianiſſimus & Catholicus, per tractatum Madrillienſem, eos iugo tyrannico Rhætorum, ipſis non auditis, iterùm ſubmittere non potuerint: Denique, inquiunt, qui obſeruationem tractatus Madrillienſis, & reſtitutionẽ Vallistellinæ, pro Rhætis ſollicitant, de iis verè dici poſſe, *eos fauere hæreticis*. Reſponſio quidem ad hunc libellum famoſum in Gallia prodijt; ſed ſatis frigida: vtpote ab homine, vt credo, rerũm minùs perito. Sed anno ſequenti prodijt libellus ſub titulo, Diſcurſus ſuper negotiis Vallistellinæ; vel, Manifeſtum Catholicorum Italorum, &c. in quo author ambitionem ingentem Hiſpanorum depingit, & ſucceſſum rei Rhæticæ enarrans, per duo capita, nempe, prætextum religionis, & tyrannidis, procedit; atque ſimulatam Hiſpanorum Religionem, & tyrannides prolixè adumbrat. Anno M.DC.XXV. Auguſtæ Francorum (Vindelicorum) libellus impreſſus fuit, cui titulus G.G.R. Theologi (Auctorem Andream Eudemono-Ioannem Cretenſem, Jeſuitam, multi alij Brabantum quendam, putant fuiſſe) ad Ludouicum XIII. Galliæ & Nauarræ Regem Chriſtianiſſimum, ADMONITIO fideliſſimè, humillimè, veriſſimè facta, & ex Gallico in Latinum tranſlata, qua breuiter & neruoſè demonſtratur, Galliam fœdè & turpiter impium fœdus iniiſſe, & iniuſtum bellum contra Catholicos hoc tempore mouiſſe, ſaluaque Religione proſequi non poſſe. Reſponſum fuit neruoſè huic libello: & cùm impia & pernicioſa in eo continerentur, iuſſu regio die XXX. Octobris, vnà cum alio libello, cui titulus, Myſteria politica &c. Pariſiis combuſtus fuit. Jeremias Ferrerius autem, Gallus Catholicus, ſub titulo, Viri Catholici politici, inter alia, probat, Regem Chriſtianiſſimũ ex fœdere Rhætos, etſi Proteſtantes ſint, adiuuare potuiſſe: imò fœdera cum impiis & ipſos Hiſpanos pangere. Sed ad hiſtoriæ tex-

tum. Voltureni sæpiùs vallem, per suos Deputatos, Pontifici obtulerunt. Et interea die XII. Februarij, anno M.DC. XXIV. in Valletellina exercitus Ecclesiasticus reformatus fuit, & ad pauciorem numerum redactus. Bormij duo fratres, Petrus & Pompeius Grossus, dimissi, & in ipsorum locum Cæsar Scottus venit. Tirani Tossignanus, & Palmerius, abire iussi; iisque Ioannes Moronus suffectus fuit. Ludouicus Canalis, Berbennij; Camillus Bucchius, Morbennij; Thomas Adamus, & Angelus Rosa, Clauennæ seruitio militari soluti fuere: Margaruccius ibi permansit. Cantus, ex cohorte sua dimidium ad Ripam, duas squadras Clauennæ, & vnam Morbennij, reliquit. Duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, cùm de tractatione Romæ audiuissent; postea litteras ad Pontificem, & Legatum Gallicum Bethunæum, exararunt, quibus breuiter iura Rhætorum explicuerunt, & restitutionem occupatorum instanter petierunt. In Rhætia, mense Martio, & antea diu, cum Commissariis Austriacis de abducendis præsidiis tractatum fuit. Tandem Stredelius sequentes conditiones proposuit: vt nempe viginti mille florenos duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, pro sumptibus bellicis, militibus Austriacis persoluerent: pro cautione, & securitate fidelitatis quatuor obsides, quos Austriaci nominarent, Rhæti Veldcurij, aut in Comitatu Tirolis, qui singulis mensibus mutarentur, proriis suis expensis sisterent: Quodlibet ex dictis Fœderibus, & Dominio Maiævillæ, Commissarium vnum Austriacum reciperet, qui ipsorum conuentibus assisteret: Omnes in genere, & vnusquisque in specie, se obligarent, indicare Serenissimo Archiduci, & in manus ipsius tradere omnes ciues, & incolas, quos audirent verbis, aut alia re, infamare, aut murmurare contra Domum Austriacam: inuigilarent etiam actionibus inferiorum Engadinorum, & Octo Jurisdictionum, & reciprocè Fœdus vnum actionibus Fœderis alterius, ad impediendas omnes seditiones, & tractatus contra Domum Austriacam: imò ipsis armis dictas rebelliones opprimerent. Cùm iam pecuniæ, nempe viginti illi mille floreni in promptu essent; ciuitas Curiensis, Quatuorpagi, & Dominium Maiævillanum, Comiti Aluico, ne

co, ne milites aliquod damnum in discessu darent, quatuor mille florenos seorsim exponere coacti sunt. Calendis ergo Aprilis, quæ in festum Palmarum inciderunt, præsidiarij Austriaci ex Rhætia omnes discesserunt, & priùs castro Maiævillæ ignem iniecerunt, quo nocte sequenti conflagrauit. Duo Fœdera, & Dominium Maiævillanum, quatuor hos obsides, quos ipsi Austriaci nominarunt, primò dedere, Ministralem nempe Joannem Gaudentium Schmidt à Grueneck, Consulem Gregorium Meyerum, Constantinum Plantam, & Andream Enderlinum.

Interim Legatus Venetus Cauazza, Solodurum, ad Legatum Gallicum Mironum, profectus est, qui ibi de modo restituendæ Rhætiæ, & illud Heluetiis persuadendi, tractarunt. Mironus generum suum, Joannem Valz Mesnilium, ad Quinquepagicos, & deinde Tigurum misit, quò die XIX. Aprilis appulit, vt in animos ipsorum penetraret: &, inter alia, etiam salis commercium eis obtulit. Adhæc, cum capitaneis, Ulysse à Salis, Georgio Jenatio, & aliis Rhætis exulibus, contulit. Eò etiam vocati fuerunt Interpres Regij Gallici, Antonius à Molina, & Joannes Paulus, vt de statu Rhætico ipsum etiam edocerent. Ipse celeribus equis in Galliam rediit. Doctor Jacobus Schmidt à Grueneck ad Archiducem Leopoldum, qui Heiligbergæ in Sueuia erat, à duobus Fœderibus missus fuit, vt pro abductis præsidiis gratias ageret, & quædam grauamina propter pedagia, & telonia ab Austriacis imposita, tolli peteret. Jam fama in Rhætia increbuerat, Volturenos militem exterum Germanum conducere velle. Interpres ergo Molina suasit Rhætis, vt Legatos, auxiliorum causa, ad Regem Galliæ mitterent. Porrò ex Gallia in Rhætiam venerunt capitanei, Rodolphus à Schauenstein, Andreas Bruckerus, & Joannes à Monte, qui animos Rhætorum multorum, sed quàm tectissimè, erexerunt & confirmarunt. Die Jouis, XXVII. Junij, Franciscus Hannibal Estræus, Marchio Cœvurij, Locumtenens Regius insulæ Franciæ, & Gubernator Laoduni, Solodurum in Heluetiis, vti extraordinarius Legatus Gallicus, appulit. Ante triennium legatione, Romæ, cum laude functus, & proinde de rebus Rhæticis magis etiam edoctus

fuerat. Die Lunæ ſequenti Cœvureus, & Mironus, ad comitia Badam appulerunt: & die Mercurij ſequenti, egregia oratione Cœvureus legationis ſuæ argumentum exponens, de beneuolentia & cura paterna Regia verſus Heluetios multa fatus, cùm iam Rex pacem in Gallia etiam ſtabiliuerit, ei hoc maximè cordi eſſe, dixit, vt etiam eius confœderati, & vicini, ea frui poſſint. Heluetios itaque exhortatus eſt, vt omnes controuerſias inter ſe amicè deciderent, & vnionem, & concordiam inter ſe ſtabilirent. Statum miſerum Rhætorum, Heluetiorum confœderatorum, eis ob oculos ponit, aitque, quòd aliqui Cantones in tractatum Madrillienſem conſentire nolentes, eius executionem retardarint, &, quòd cùm Rex via armorum rem aggredi voluiſſet, ab Heluetiis hoc ipſi diſſuaſum, adeoque tractatio per octo menſes Romæ inſtituta fuerit: ad quam Rex Hiſpaniæ in aliquibus conſentire noluerit: Rex autem Chriſtianiſſimus etiam aliquibus articulis, propter rationes, quæ ipſius honorem, & dignitatem, & Heluetiorum conſeruationem, concernunt, acquieſcere non potuerit, nec debuerit. Maximam autem difficultatem in eo fuiſſe, inquit, quòd Hiſpanus tranſitum per Vallemtellinam peteret. Hoc verò tranſitu habito, annon (ſubdit) armis Auſtriacis porta in Helueticas regiones intrandi aperta fuiſſet? Quapropter Rex Chriſtianiſſimus Legato ſuo Bethunæo, qui Romæ eſt, mandata dedit, vt Pontifici exponeret, cur ad tranſitum Hiſpanorum conſentire nolit: & ſimul inſtaret, vt reſtitutio Vallistellinæ, cum conditionibus in tractatu Madrillienſi memoratis, cum ſecuritate requiſita, & neceſſaria pro Religione Catholica, executioni mandaretur. Rex ergo continuabit in hac voluntate, amicę compoſitionis, dum locus ſpei erit, quòd Rhætis ſatisfactio, prout iuſtitia & æquitas requirunt, obuentura ſit. Intentio enim regia eſt, viam amicam rigori præponere. Et cupit, in hac cauſa communi, Heluetiorum intentionem ſcire; monetque, vt ad conſilia expedientia animum applicent: atque etiam Rex ſibi planè promittit, Heluetios regiis, bonis, & iuſtis conſiliis haud ægrè aſſenſum præbituros. Penſionum deinde Heluetiis, vti præterito quoque anno factum fuit, magnam

ſum-

summam numerauit: salisque ex Gallia aduehendi spem ipsis fecit. Adhæc eos hortatus est, ne in præiudicium Fœderis, & tractatuum Gallicorum, sub vllo prætextu, aliquid innouarent: prout Rex quoque ex parte sua fœdus hoc semper tueri velit: adeoque hac occasione de fructibus huius Fœderis pro Heluetiis diffusè locutus est. Præterea monuit, vt amore & pietate omnes communi patriæ se deuincirent, atque vnanimi voluntate cum regia Maiestate apud Rhætos pacem pristinam, & quietem procurarent. Denique, quanti faceret hoc, quòd Rex hoc honore legationis se dignatus fuerit, subnectit, optimamque Regis voluntatem, suaq; officia, eis offert. Heluetij, gratiis pro more actis, ad referendum hæcce recessibus suis inserunt. Interim priuatim cum omnibus confert, atque, quòd si negotium citò amicè non decidatur, scire cupit, num militem etiam contribuere velint. Sermo de viginti vexillis conducendis, & in Bressam, subditam Regiæ Maiestati Christianissimæ, ducendis erat. Protestantes Heluetij satis bonam voluntatem declarasse dicebantur: sed de restitutione, sine vi armorum, omnes dubitare videbantur. Postquam Solodurum Legati reuersi sunt, Jacobum Meminum, Secretarium Legationis extraordinariæ, virum in rebus politicis maximè versatum, Bernam & Tigurum miserunt, qui copiosè optimam Regis voluntatem etiam ipsis exposuit. Iacobum verò Longeuallum Haraucurtium, in Galliam ad Regem Christianissimum, cum documentis totius negotij, ablegarunt. Heluetiæ interim Protestantes Arouiæ; Catholici, Lucernæ, conuentus habuerunt. Die XI. Augusti Soloduri comitia indicta: quò etiam Rhæti Doctorem Jacobum Schmidt, & capitaneum Rodolphum Trauersium, miserunt. Schmidt, graui oratione, Heluetiis statum miserum Rhætiæ ob oculos ponit, & quantum Rhætiæ nocuerit, quòd aliqui Cantones tractatui Madrilliensi subscribere noluerint, declarat: adeoque, vt vnanimes, cùm Christianissimi Regis optimam voluntatem videant, tractatum Madrilliensem acceptent, & eius executionem vrgeant, petit. Heluetij Catholici, solicitudine Legatorum Gallicorum moti, tractatui Madrilliensi, ita tamen, vt Religioni Catholicæ abũdanter

& securè in Valletellina caueatur, etiam subscribunt: sed vi armorum nihil intentari volunt. Protestantes tractatum ipsum purè, & simpliciter vrgent, nec Religionem Protestantem vllo modo è Valletellina exclusam volunt. His ergo pro responsione habitis, Secretarius Meminus in Galliam ad Regem mittitur, cui, exeunte mense Augusto, ad S. Germanum in Laia occurrit, cui negotium Rhæticum maximè cordi erat. In gratia Regis summa iam tum florebat Armandus Plessæus, Cardinalis Richelius: hic cum Mareschallo Henrico Schombergio, & aliis ministris Regiis, diligenter etiam negotium expendit: & necessaria (nisi res amicè decideretur) ad bellum præparauerunt.

Die ergo v. Septemb. ad S. Germanum in Laia vndecim articuli formati fuere inter ministros Regis Christianissimi; Cardinales, inquam, Franciscum Rupefucaldum, Armandum Joannem Plessæum Richelium, Stephanum Haligræum, magnum Galliæ Cancellarium, H. Schombergium, Mareschallum, Remundum Phelyppeaux, Secretarium; & Marcum Antonium Moresinum, Legatum Venetum, ac Abbatem Alexandrum Scagliam, Legatum Ducis Sabaudiæ, pro recuperatione locorum occupatorum in Tribus Fœderibus Rhætorum, & Vallistellinæ, vti etiam pro diuersionibus necessariis: vt executioni mandari posset fœdus, seu Liga inita anno M.DC.XXIII. die XXVII. Februar. Substantia autem erat: Intra diem XV. huius mensis Sept. exercitus, virtute fœderis, parati essent: Regius, nempe, in Bressia sub Generali Comitestabuli Diguerio: Venetus, in confiniis Ducatus Mediolani, Vallistellinæ, & Rhætiæ: Sabaudicus, in confiniis Mediolani Ducatus, & Genuæ: vt his exercitibus Confœderati, pro opportunitate, vti possent. Atque, ne fortassis hi exercitus reuerentia Summo Pontifici debita impedirentur aut retardarentur, Legato Bethunæo consilium inter Confœderatos notum facere decretum fuit: nempe, Se velle promouere totis viribus executionem pactorum Madrillianorum, vtilium & necessariorum pro pace publica, & libertate Italiæ. Quumque Hispaniæ Rex difficultates mouere pergat, quò minùs pacta illa bona fide adimpleantur: Bethunæus Summo Pontifici declarare

clarare iussus, Regem Christianissimum arbitrij eius facturum se liberare à sequestratione fortalitioru Vallistellinæ, & inde sua præsidia abducere: quod ipsum idem Bethunæus, Legatis, Veneto, & Sabaudo, qui Romæ sunt, vt de eadem re etiam apud Pontificem instarent, priùs quoque significare debebat. Marchioni Cœvuræo, Legato extraordinario scribendum quoque erat, vt omni diligentia res necessarias in Rhætia procuraret: nempe, tria millia virorum, sub tribus Colonellis, & auspiciis Ligæ, conscriberet, & de victu, ac cæteris requisitis, prouideret, vt vltima huius mensis prompti essent. Idem Cœvuræus, cum Mirono, petere debebat ab Heluetiis potestatem conscribendi tria millia Heluetiorum, & Valesianorum Catholicorum, & Protestantium, sub vno, vel pluribus Colonellis, qui ipsi quoque sub finem huius mensis prompti essent, quò, Rhætis iuncti, ad recuperationem locorum occupatorum, vti diximus, pergerent. Stipendia militi de mense in mensem per fœderatos, pro rata, & proportione tractatus fœderis, pendenda, iuxta capitulationem factam per dictum Cœvuræum in conscribendis Rhætis: & hoc etiam in aliis expensis militaribus obseruare constitutum, sancitumque, vt Soloduri in Heluetia Thesaurario pecuniæ in manus traderentur, quousque confœderati, vel duo ex eis, hoc expediens iudicauerint. Præterea, quò citiùs & commodiùs omnia in effectum perduci possent, expediens iudicatum, dictis Cœvuræo, & Mirono, potestatem fieri ordinandi, & disponendi de Officiis militum, de pecuniis, & stipendiis Heluetiorum, & Rhætorum, ac aliis expensis, denique de ordine in hac expeditione obseruando. Proinde Legati, Venetus, & Sabaudicus, promisere, se procuraturos à suis Principibus auctoritatem necessariam in hanc rem: ea tamen conditione, vt omnia fierent cum consilio eorum, qui à Venetis, & Duce Sabaudiæ, in Rhætia, & Valletellina, residendi prouincia functuri essent. Adhæc, Rex Christianissimus promittit, se in Heluetiam, & Rhætiam missurum legionem vnam Gallicam peditum, mille nempe & ducentorum virorum ex exercitu, qui in Bressa est, & quadringentos equites Gallos. Legatus verò Venetus spondet numerum

militum, in fœdere comprehensum, promptum fore ad cōfinia Vallistellinæ, quò exsequatur id quod opportunum iudicatum fuerit. Veneti tormenta maiora bellica, comeatum, & alia necessaria, pro expugnatione fortalitiorum Vallistellinæ, suppeditabunt: & has expensas, vti etiam stipendia quadringentis illis equitibus debita, cùm vltra expensas tractati fœderis fiant, fœderati pendent. Quantum ad propositionem factam per Comitem Ernestum Mansfeldiæ, de conscribendis viginti tribus mille peditibus, & septem mille equitibus, proximo mense Octobri, cum apparatu necessario, sub nomine & auspiciis Principis Palatini, ad tentandum aliquid in Germania, in Dominiis Austriacis, prout expediens iudicatum fuerit: apprimè vtilis, & necessaria hæc diuersio iudicata fuit, ad impediendum oppositiones, quas Domus Austriaca, & ipse Archidux Leopoldus, contra recuperationem Rhætiæ, & Vallistellinæ, facere posset: proindeque confœderati, pro executione pactorum fœderis, promisere singulis mensibus contribuere pro sustentatione huius exercitus, Rex videlicet, centum & octuaginta: Veneti, centum viginti: Sabaudus, sexaginta mille libras Gallicas, quæ in loco nominando inde à mense Octobri proximo soluendæ erant. Et si, præter dictas diuersiones, opportunum per confœderatos existimatum fuerit, aliam diuersionem in Italia etiam instituere; inter partes priuatim ea de re tractatum iri. Et si aliquis ex confœderatis, propter recuperationem Rhætiæ, & Vallistellinæ, & propter dictas diuersiones, in suis Dominiis perturbaretur, & bello peteretur, siue per Hispanos, siue per alios sub eorum nomine, Confœderati sibi auxilio inuicem esse promiserūt, virtute pactorum fœderis, & particularium pactorum diuersionis. Hi articuli in fine huius mensis per Regem & fœderatos rati habebuntur, & interim quod conclusum est firmum manebit, & sine dilatione executioni mandabitur: præterquàm illud, quod diuersiones concernit: quod ante per confœderatos approbandum erit. Undecima deinde huius mensis Septembris, Mesmino mandata necessaria omnium ad Cœvuræum in Heluetiam deferenda data fuerunt.

Eodem

Eodem menſe Septembri, Legati Regis Chriſtianiſſimi, Sereniſſimorum Venetorum, & Ducis Sabaudiæ, iuxta tractatum ad S. Germanum in Laia conclusum, inter alia Summo Pontifici ſignificant, Principes ſuos præſupponere & ſtatuere; nullum iam vlteriùs depoſitum, ſeu ſequeſtrationem Vallistellinæ, & Comitatuum Clauennæ, & Bormij, eſſe; cùm intra trimeſtre tempus, à die ſequeſtrationis, fortalitia deſtrui, & reſtitui Rhætis ſua, debuerint; quod tamen factum non ſit. Pontifex eos obteſtatur, & ſimul minitatur, ac ſi Hiſpano loca ſequeſtrata reſtituere vellet: ſed his Legati minimè mouebantur. Se etiam hac ſpe mulcebat Pontifex, Legatum, ſeu Nuncium Apoſtolicum, in Heluetia omnia ſedare, & præpedire poſſe.

Interim Joab Gillebertus Landæus-Siquevillius, & Beniamin Popincurtius Vallius, familiares & domeſtici Marchionis Cœvuræi, Clauennam, in Vallemtellinā, Bormium, & in Vallem-Monaſterij, vt fortalitia recognoſcerent, miſſi fuerunt. Pludoni, in ditione Auſtriaca, detenti in reditu; ſed mox dimiſſi fuerunt. Menſe etiam Auguſto Stredelius deputatos Octo Juriſdictionum Veldcurium vocauit, vbi pro tributo & honorario, itemque alimento Sacerdotum, & Scribarum, quæque iuriſdictio quotannis ſeptingentos florenos dare coacta: prout iam ante Scribas Auſtriacos in vnamquamque Juriſdictionem miſit. Archidux Leopoldus eodem hoc menſe mandatum ſeuerum in Octo Juriſdictionibus, vti etiam in Engadina inferiori factum fuerat, publicauit, vt qui proximo Paſchate confeſſionem auricularem non adiuerit, & Catholicam religionem non profeſſus fuerit, futuris Kalendis Junij, diuenditis bonis, ex regione diſcederet. Etiam quoque, qui in templo, dum Miſſa celebraretur, non intererant, mulctati fuere. Sub principium menſis Septembr. Carolus, Archidux Auſtriæ, per Vallemtellinam in Hiſpaniam profectus eſt: qui Volturenorum animos ingenti ſpe impleuiſſe dicebatur. Eodem etiam tempore tres legiones ex exercitu Tilliano, nempe Herberſtorfiana, Curtēbaciana, & Schmidiana, in Marchionatum Badenſem aduenerunt: adhæc legio Annibalis à Schawenburg in vicina Alſatia erat. Baſileenſes ergo, qui proximi

erant, auxilia à Legatis Gallicis petierunt. Legati Gallici Benignum Bernardum, Interpretem Regium, cum litteris in Rhætiam miserunt, quæ die XII. Septembris redditæ; &, inter alia, propter auxilia à Basileensibus petita, postulatum fuit, vt Regi Christianissimo, qui militem in tota Heluetia conscribere velit, etiam bis mille Rhætos concederent. Sed Rhæti, propter aduentum Tillianorum, & litteras minatorias Stredelij, omnem conscriptionem militis prohibuerunt, & iudicia censoria iis, qui tectè militem conscribere vellent, minati sunt.

Die XV. Septembris, comitia iterùm Soloduri celebrata fuerunt, atque Legati Gallici militem ab Heluetiis expetierunt. Catholici in Galliam quidem; sed in Rhætiam minimè; proficisci volebant. De securitate Basileensium etiam tractatum fuit. Archidux Leopoldus, die XIX. Septembris, litteras Latino sermone conceptas ex vrbe Ensishemia, in Alsatia, ad Regem Christianissimum exarat, quibus, inter alia, conqueritur de eis, quæ ab Oratoribus Regiis in partibus Grisonicis gerebantur: eos, videlicet, multa proponere, quæ applausum imperitæ plebis, sed fundamentum non habeant; & multa, quæ aliorum Principum & existimationem inuoluant, quam temerè, de aliis iudicandi studio, proscindant. Meritò se dubitare dicit, an à regia Maiestate hæc in mandatis habeant. Sine respectu, & citra veritatis testimonium, se traduci, quasi Prettigauienses (Rhetigoij) subditi sui, confœderationem cum regia Galliæ Corona hactenus obseruatam, in præstatione homagij, contra promissionem suam, & præsertim tractatum, & quæ inde secuta est, compositionem Lindauiensem, abiurare & renuntiare coacti sint. Etenim tantùm abesse, vt Prettigauiensibus quicquam istorum in exactione prædicta iniunctum; vt sibi etiam constantissimè semper decretum fuerit, ea omnia exactissimè & inuiolabiliter, præsertim in continuandis fœderibus, custodire, quæ in tractatu prędicto promissa, & pro Corona regia, non minùs ex propria obseruantia sua, quàm aliorum petitione, reseruata sunt. Penes Lectorem autem iudicium esto, qua ratione Rhetigoij, dum subditi absoluti Principis fiunt, & à duob. Fœderibus auelluntur, quicquam

eorum,

eorum, quæ in confœderatione Gallica continentur, præstare potuissent. Adhæc, fœdus Gallicum tantùm in eis, quæ Domui Austriacæ præiudicium non adferrent, in compositione Lindauiensi admittebatur. Die XIII. Octobris comitia iterum Badenæ indicta. Ibi Nuncius Apostolicus, Legati Gallici, Marcus Ria, Marchio Dolliani, Legatus Hispanicus; & Stadionus, Legatus Austriacus, comparuerunt. Nuncius, Hispanicus & Austriacus Legati, in eo toti fuerunt, vt nullus miles in Heluetia conscriberetur, & omnis transitus extero militi in Rhætiam precluderetur. Gallici autem Legati, Regem Rhętos, virtute tractatus Madrilliensis, restituere velle profitebantur; & Hispanos nonnisi moras semper quærere affirmabant: & tamen transitum apertè nondum petere volebant; sed tantùm conscriptionem militis, seu propter copias Tillianas, seu, vt eum in Galliam mitterent. Interim per cursorem nouo Regis mandato instruuntur, vt, non obstantibus copiis Tillianis, in expeditione Rhætica pergant. Nam ex patre Hiacyntho de Casali S. Vasij, Capuccino, qui res Imperatoris & Bauaricas in Gallia tractabat, intellexerant, Tillianum exercitum non eò destinatum esse. Cum Comite Aluico à Sulz, vt legionem pro Rege Galliæ conscriberet, etiam tractatum fuit: sed cùm multas exceptiones obtenderet, nihil factum fuit. Rhæti exules iam bonum numerum militum, auspiciis Ligæ (ita fœdus inter Regem Galliæ, Rempublicam Venetam, & Ducem Sabaudiæ, nominabatur) cõscripserant: id quod quàm tectissimè fieri oportebat. Nam multi Heluetij hanc expeditionem vocabant Expeditionem populi Israëlitici in terram Canaan, quæ plusquam per quadraginta annos durauit: aiebantque equitatum Tillianum, antequam Curiam in Rhætiam venire possint, in Dominio Maiævillano omnes profligaturum. Catholici Heluetij transitus occlusos volebant, & apud Bernates, qui in confiniis versus Galliam sunt, maximè instabant, vt nulli militi transitum permitterent. Bernates autem, pro quibus Consul Antonius à Graafenriedt verba faciebat, respondebant semper, Se velle erga Regem Christianissimum, & alios facere, quod ex fœdere teneantur, nec in negatione transitus cõsentire voluerunt.

Tandem, cùm legiones Tigurina, Bernensis, & Valesiana, etiam cõscriptæ essent, & legio Joannis Nettancurtij Vaubecurtij, Mareschalli Campi, vti etiam sex turmæ equitum Gallorum promptæ in confiniis Heluetiæ essent, die XXIV. Octobris, Cœuvreus ad Baronem Rodolphum Salicum à Salis, Colonellum legionis Rhætiæ, in Heluetia collectæ, mandatum misit, vt die Lunæ, XXVIII. Octobris, cum legione sua in Rhætia ad Cliuum S. Lucij, & pontem Rheni compareret, & transitus occuparet. Landæus autem Gallus, vti Dux primarius, adiunctus Rhætis fuit cum Architecto La Borda, quem deinde statim alius Architectus Ioannes Fabri, rei peritissimus, subsecutus est. Die Dominica ergo Nidder-Urnæ, in territorio Glaronensi, legio Rhætica conuenit. Noctu antè per territorium Suitensium iter fecerat. Erant autem decem cohortes, videlicet, ipsius Colonelli Salicæi; Ulyssis à Salis, Locumtenentis Colonelli; Jacobi Ruinellæ, Centurionis maioris; Jo. Petri Guleri à Veineck, Georgij Jenatij, Stephani Thisij (qui deinde Centurio maior sub legione Bruckeriana factus fuit, & in eius locum Joannes Henricus Vogelius, Palatinus, sub legione Salicæa militauit) Nicolai Caroli ab Alto-Balckono, Thomasini de Thomasinis; & duorum Glaronensium, Caspari Heeri, & Joannis Melchioris Martini. Nider-Urnæ arma, quæ in doliis clàm aduecta fuerant, militi data, & Glaronenses duo apertis signis cum reliquis mouerunt. Sine damno per Comitatum Sarunetum eadem nocte, & die Lunæ miles profectus est. Die Dominica, XXVII. Octobris, cùm Cœuvræus Solodurum reuersus esset, & iam die antecedenti Sabbathi Rhætos Tiguro discessisse intellexisset, depromptis litteris Regiis ad omnes Cãtones Helueticos, pro milite Regio transitum petijt. Senatus duorum Fœderum, & Dominij Maiævillani, Jo. Simeonem de Florino, & Joan. Tscharnerum Solodurum ad Legatos Gallicos destinauerat, vt ab ipsis impetrarent, vt bellicæ expeditioni adhuc supersederent: futura fortassis componendi negotium alia media. Et iam tùm ferebatur, legionem Schauenburgianam, Austriacam, ad occupandum cliuum S. Lucij destinatam esse. Sed hi duo Deputati, cùm Valẽstadium venissent,

naues,

naues, cum milite Rhætico, in lacu comparebant. Proinde statim Curiam reuersi sunt. Legio hæcce Rhætica adeò ex improuiso in Rhætia comparuit, vt paucissimi fuerint, qui de eius aduentu aliquid resciuerint. Capitaneus Thomasinus ad pontem Rheni, cum cohorte sua, vti etiam dimidiá cohors Heeri, ibidem mãsit: alterà pars cohortis Heeri ad Clausuram, & castrum Fragstein versus Rhetigoios missa fuit. Ibi duodecim Rhetigoij in excubiis, iussu Præfecti Castrensis, & Capuccinorum, erant: aliqui bombi moschéttorum vtrinque resonauerunt : nemo tamen læsus fuit. Deinceps custodia ibi Jo. quoque Petro Gulero data, & aggeres, si fortassis aliquis erumpere vellet, ducti fuerunt. Cohors Jo. Melchioris Martini Falisci collocata fuit. Cæteræ in cliuo S. Lucij, aggeribus & vallis ducendis, dies noctésq; occupabantur. Ad pontem Rheni fortalitium ex designatione Fabri forma stellæ cœptum, & ei nomen, Fortalitium Franciæ, inditum fuit. Die Martis, XXIX. Octobris, Martinus à Camenis, cuius sæpiùs mentionem fecimus, Dauosij, cùm inde ad Austriacos discedere vellet, ab eis, qui ipsius antea satellites fuerant, interfectus fuit. Notatu dignum; quòd cùm ipsum non statim interficere possent, faber ferrarius ex officina, cũ ferro candenti, superuenit, & cranium ipsi amputauit: adeóq; qui ferro & flamma contra patriam sæuierat, ferro quoq; & flamma perijt. Capuccini Dauosio, & ex Rhetigoia, concomitantibus aliquibus ex magistratu, discesserunt: & nemo ipsos nec verbis nec factis offendit. Subpræfecti & scribæ noui Austriaci (Angelochus iam anantea discesserat) à nullo lacessiti, etiam abierunt. Die Mercurij, & Iouis, legio hæc Rhætica lustrata fuit. Erant mille & octingenti milites: qui in verba Regis Christianissimi, Reipubl. Venetæ, & Ducis Sabaudiæ, iurarunt. Eadem die Mercurij Deputati aliqui duorum Fœderum nuncium cum litteris ad Stredelium Veldcurium misisse dicuntur, quibus se inscios aduentus huius militis asserebant, & orabãt, ne quid hostile contra obsides tentaretur. Die Dominica, III. Nouemb. in Communitatib. miles iam publicè cõscriptus fuit. Die Martis Stredelius tympanistã ad cliuum S. Lucij, cũ litteris ad Colonellũ, Capitaneos, & Officiales huius legionis,

misit, atque mirari se significauit, quid in hoc loco, vbi nihil iuris habeant, agerent; cùm certus etiam sit per duorum Fœderum litteras, hoc contra ipsorum voluntatem fieri. Landæus, qui iussa dabat, paucis respondit, Nos milites, nomine Regis Christianissimi, qui Rhætiam in pristinum restituere velit, adesse: & tantùm primum agmen exercitus, quem Marchio Cœvurij pro Rege ducturus sit, hosce esse: proinde si quid velit, ad ipsum Cœvureum, qui mox aduenturus sit, scriberet, vel mitteret. Obsides autem Rhætorum, vt sine molestia dimittantur, petit. A ciuitate Curiensi tormenta maiora petita fuerunt. Hac ergo die Martis, v. Nouembris, Colonellum Michaëlem Finerum, & Secretarium ciuitatis Ioannem Tscharnerum, ad Landæum miserunt, & officia sua obtulerunt. Die Mercurij sequenti duo Colonelli, Rodolphus à Schauenstein, & Andreas Bruckerus, explicitis signis ad pontem Episcopi, & pontem Rheni, venerunt: quò iam ante milites ex cohortibus Interpretis Antonij Molinæ, & capitanei Henrici de Hartmannis, nec non mox aliorum Capitaneorum cohortes vtriusque legionis, venerunt. Doctor Josephus Morus, & Sebastianus Zierlerus, Canonici Curienses, eadem die ad Landæum, nomine Episcopi, & capituli Curiensis, venerunt, & protectionem Episcopatus, & Cleri, petierunt: quam ipsis promisit, dummodò & ipsi intra terminos vocationis suæ permaneant. Et in castris, inter alia, seuerè mãdatum fuit, ne quis vllam personam Ecclesiasticam, templa, resque sacras, attingeret, aut spoliaret. Die Mercurij eadem, Nicolaus Carolus ab Alto-Balckono, capitaneum Antonium Violandum Jeninsij, rixa inter eos orta, interfecit. Die Jouis, VII. Nouembris, comitia Curiæ à duobus Fœderibus, & Dominio Maiævillano, celebrata, atque permissum fuit, vt, nomine Regis Galliæ, miles conscribi posset. Pesclauienses significarunt Marchionem Balnei petiisse, etiamque obtinuisse à communitate sua, ne arma contra Ecclesiasticum exercitum ferrent. Dux Feriæ paulò ante in Vallemtellinam, & Clauennam, Marchionem della Zelata, nepotem suum, & Gerium della Rena, cum aliis, vt de statu fortalitiorum cognoscerent, misit. Die Dominica, III. Nouembris, lustratio populi

populi Voltureni facta fuit. Voltureni gloriabantur, Duci Feriæ à Cardinale della Cueua ex Belgio epistolam Comitis Bethunæi ad Marchionem Cœvuræum, generum suum, interceptam missam fuisse, quæ data erat Romæ die XXI. Septembris M. DC. XXIV. Argumentum erat: Quòd Comes Bethunæus, quæcunque possibilia fuerint, fecerit, vt negotium Vallistellinæ amicè transigeretur, & rupturæ apertæ euitari possent: hoc tamen consequi non potuerit: quod vel inde facilè colligere Marchio possit, quòd nullas ad eum litteras, quòd aliquid obtinuerit, dederit: cùm iam sciat Marchio mentem Bethunæi; tamen negotium hoc in manu ipsius Marchionis esse. Se vero Bethunæũ in eo, quod exequendum est, vna re principaliter angi, nempe, quòd Rhæti, ardore vindictæ contra Vallistellinos, omnia fortalitia sint destructuri: quæ, si integra occupare & conseruare Marchio possit; Heluetios præsidiarios, confidentes Regi, eis imponere debeat. Sperasse se, sub prætextu procurandi securitatem fidei Catholicæ, prout Romæ Papa capitulationes condiderat, tempus suppeditatum iri aliquid tractandi pro seruitio Regis, quod conforme sit futurum primis tractatib. cum Voltureni factis: iam se dubitare, quòd in hac expeditione pro seruitio Regis nihil lucraturus sit. Quod tamen fieri posset, si Rhæti contenti essent, recipere satisfactionem, subministrato certo tributo perpetuo, correspondente & adæquante prouentum, quem inde recipiebant: & Vallistellina Regis esset. Agentes Vallistellinæ liberè sibi dixisse, quòd, si iterum Rhætis subiiciantur, cogantur continuam correspondentiam, & amicitiam cum Hispanis habere: qui Hispani nihil magis optant, quàm vt Catholici in hac expeditione malè tractentur. Se verò credere, expeditionem bono ordine institutum iri, si sua consilia locum habitura sint, & Rhæti non plus spiritus vindictæ contra Vallistellinos, quàm ipsius (Marchionis) consiliis daturi sint: quæ consilia, etsi animosa & heroica sint; tamen prudentia directrice opus habere. Credo, inquit, hanc meam epistolam, demùm post executioñe eius quod tractatum est, tibi consignatum iri: in qua expeditione ego honorem & gloriam, vti qui eam etiam tractaui, desidero;

& omnia felicia auguror. Doctor Prosper Quadrius, cum Roma discederet, simulabat, se velle Marchionem Cœuvræum in Heluetia cõuenire: & Schenardus, Romæ, diuersa media componendi negotium proponebat: omnia autem eò dirigebat, vt Voltureni, præter annuum tributum, Rhætis nihil deberent. Prosper deinde Damasij se detentum fuisse dicebat: Schenardus in reditu Roma, anno M. DC.XXV. in castro Mediolani aliquandiu detentus fuit. Die Jouis, VII. Nouembris, Deputati duorum Fœderum, Joachimus à Cabalzaro, Iudex prouincialis; Rodolphus à Marmore; Christophorus Lhenerus, Consul Curiensis; & Fortunatus à Juualta, ad Landæum venerunt, & ipsum salutarunt. Die Sabbathi, IX. Nouembris, appulit in Rhætiam Jacobus Longævallius Haraucurtius, Mareschallus campi, qui turmam equitum ducebat, quam, vti Locumtenẽs, eius filius Alexander, Vicecomes Vernolij, Haraucurtius regebat: & alter filius Hannibal Certonus, alam equitum scloppettariorũ (Carabinos vocant) ducebat: qui cum eo etiam venerũt. Trimontij Georgius Hartmannus, quem alias nominauimus, vino obrutus, in hospitium equitum importunè intrare nixus, ab equite Gallo gladio confossus fuit: qui tamen propterea à turma ablegatus fuit. Die Dominica, X. Nouembris, Marchio Cœuvreus, cum comitatu suo, ad pontem Rheni appulit. Erant cum ipso Carolus Decransius, de Bausse, Ducis Sabaudiæ Commissarius, qui à principio ad finem belli prudenti consilio semper astitit; & Vaubecurtius, Mareschallus campi, qui duodecim cohortes sub legione sua habebat. Nempe, erat cohors ipsius: præterea capitanei, Jacobus della Serra, Nettancourtius Passauantius, frater Vaubecurtij; Baro à Vaubecourt, filius ipsius Vaubecourtij, eius Locumtenens Cœuvreau, Isaacus de Sãcto Simone, Annæus de Contresson, Raricourtius d'Ormeaux, Reinaldus de Gornay, Friouillius, Daniel de Bosè, Laurentius Massouius, & Joannes de Molleres. Erant mille ducenti milites. Sex ex his cohortibus etiam hac die Dominica in Rhætiam, & aliæ diebus sequentibus appulerunt. Die Martis, XII. Nouembris, legio Tigurina, quæ quinque cohortibus cõstabat, erant mille milites, Faliscum in Rhætiam

tiam appulit. Colonellus, Caſpar Schmidt; capitanei, Jo. Vilhelmus Stuckius, & Joannes Felix Schonauerus; quorum quiſque propriam cohortem habebat; item, Jo. Jacobus Schmidius, & Jo. Jacobus Rhonius, Joannes Jacobus Grebelius, & Jodocus Meiſſius. Hos ſubſecuta fuit legio Bernenſis, & ipſa cohortibus quinque, atque militibus mille conſtans. Colonellus erat, Nicolaus à Dieſbach; capitanei, Vilhelmus à Dieſbach, Jo. Antonius Vingartnerus, Joſua Vielmannus, & Joannes Guyus, Nouocaſtrenſis. Appulit etiam legio Valeſiana, à qua tamẽ in itinere milites non pauci diffugerant. Colonellus erat, Angelinus Lepreux; capitanei, Eques Petrus in Alben, Eques Antonius Stockalperus, Petrus Riedtmatterus ſenior, & Petrus Riedtmatterus iunior. Porrò cum Marchione ipſo quoq; aduenerunt, ala carabinorum, qui ipſius ſatellites erant, horumque capitaneus, Claudius Malorthia fuit: item, turma equitum ipſius Marchionis, quam, Locumtenentis officio fungens, Landæus regebat: item, duæ aliæ turmæ equitum: vna, Caroli de Damas, Baronis de Tianges; (qui Colonellus equitatus Gallici in Valletellina creatus fuit) altera, ipſius fratris Jacobi de Damas Chalanſæi, cui, abſente capitaneo, eius locumtenẽs Du Val præerat: item turma equitum Gabrielis Monlucij de Balagny, & ala carabinorum Joannis Derneuilli de Maubuiſſon. Præfectus rei tormentariæ erat Petrus Bignettus, de la Buſſiere; & Petrus Malo, qui plus quàm per viginti annos in negotiis Rhæticis verſatus erat, ærario præfectus fuit. Jacobus autem Meminus, Secretarius generalis totius exercitus Ligæ nominatus erat. Carolus, Marchio Badenſis, & Hochburgenſis, inter volones etiam in exercitu fuit. Die Mercurij, XIII. Nouembris, Cœuvræus Jacobum de Eſtavaye, Molondinum, Interpretem Regium, vnà cum tibicine in Rhetigoiam, & Dauoſium miſit, petens, vt iterum fœderi Gallico, & Rhætico ſubſcriberent, & interim cohors Gallica ad caſtrum Fragſtein collocata fuit. Die Veneris, XV. Nouembris, Cœuvræus, poſthac nobis Generalis dicendus, cum duabus alis carabinorum, Mauboiſſoni, & Certoni, & duabus cohortibus Gallicis in Rhetigoiam ad pratum, Partiſola dictum, venit, vt iuramento

populum illigaret: ſed, propter breuitatẽ temporis, omnes adeſſe non poterant. Die ergo Sabbathi ſequenti populus Dauoſianus, & Rhetigoius, dicto loco comparuit. Vaubecurtius, Marchio Carolus Badenſis, Colonellus Salicæus, cum alis illis equitum, & peditatu Gallico, eò etiam venerunt; vbi tum iuramentum omnes, præeunte ipſis Carolo Marchione Badenſi, præſtiterunt. Quo Rex Chriſtianiſſimus, & Principes confœderati, in tutelam ſuam ipſos receperunt: ipſiſque fœdera cum Rege Chriſtianiſſimo, & duobus Fœderibus, ac aliis confœderatis, inuiolata & integra obſeruare ſpoponderunt: Tractatui Lindauienſi, aliiſque præiudicialibus, & iuramentis coactis, renuntiarunt, atque ab his liberati fuerunt. Principibus tamen Auſtriacis, nempe, Sereniſſimo Archiduci Leopoldo iura ſua, quibus ipſe & eius prædeceſſores ante quadriennium gauiſi ſunt, reſeruata. Religio quoque catholica libera pronunciata, & Eccleſiaſtici in protectionem Regis Chriſtianiſſimi, & Principum confœderatorum, recepti fuerunt. Die deinde ſequenti Martis ſupra vrbem Curienſem, Bellfortenſes, Coruantij, & Scanauicani idem iuramentum in præſentia Generalis, prælegente illud Interprete Antonio à Molina, præſtiterunt. Cantones catholici ex comitiis Lucernenſibus, Jo. Zellingerũ, Underualdium, & Jo. Conradum Zurlauben, Tugienſem, Legatos ad Generalem in Dominium Maiævillanum antè miſerunt: atque, inter alia, vt expeditioni Vallistellinenſi ſuperſederet, petierunt, & de inopinato tranſitu conqueſti ſunt. In Galliam quoque ob cauſam eandem Conſul Friburgenſis, Dieſsbachius, & Secretarius Solodurenſis, Hafnerus, ad Regem miſſi fuerunt. Eques Aluiſius Vallareſſus, Legatus extraordinarius Venetus ex Anglia, vbi legatione ordinaria cum laude functus fuerat, vt huic expeditioni aſſiſteret, per diſpoſitos equos, & cum eo Hieronymus Cauazza, reſidens Tiguri pro Republica Veneta, in Rhætiam venit. Die Jouis, XXI. Nouembris, Ludouicus Manzinus, Secretarius Marchionis Balnei, ad Generalem, Curiã ex Valletellina venit, vt intentionem eius expiſcaretur. Robuſtellus, & Voltureni etiam, ad Generalem datis litteris, petierunt inter alia, ne iterùm Rhætis

tis ſubiicerentur: ſe velle potiùs ſub Rege Galliæ, vel quouis alio Principe eſſe. Nuncius Apoſtolicus Scapius antea, die XII. Nouembris, litteras ad Marchionem Balnei ſcripſerat, quibus ipſum monuerat, vt ſe ad arma pararet: nam Cœuvræum, quæcunque tandem bona verba det; tamen cum exercitu certò in Vallemtellinam tendere. Die Sabbathi, XXIII. Nouembris, legio Salicæa verſus Engadinam præmiſſa fuit. Die Lunæ ſequenti in comitiis Curiæ celebratis, Generalis, de voluntate Regis, & Confœderatorum, vt iterùm, vigore tractatus Madrillienſis, occupata recuperentur, verba ampliſſima fecit.

Litteræ fœderales à Trium Fœderum Oratoribus iuratæ, & obſeruatio diligens fœderis Gallici promiſſa: denique, capitulationibus, & tractatibus Mediolanenſibus, & Lindauienſi, & aliis, in præiudicium communis libertatis, & fœderis Gallici factis, renuntiatũ fuit. Die Martis ſequenti, Generalis ipſe, cum exercitu, verſus Engadinam profectus eſt. In Dominio Maiævillano Haraucourtius, cum turma ſua equitum, & filij Certoni; legiones item, Bernenſis, & Bruckeriana, ad cuſtodiam poſitæ fuerunt. In Engadina ſuperiori legio Schauenſteiniana permanſit, quæ mille militibus, per nouem cohortes diſtributis, conſtabat; videlicet, prima ipſius Colonelli; tùm Capitaneorũ; Joannis à Monte, Locumtenentis Colonelli; Joannis Simeonis Florini, Doctoris Jacobi Schmidt à Gruëneck, Rodolphi Trauerſij, Caroli à Marcha, Henrici de Hartmannis, Joannis à Salis, Baptiſtæ filij, & Joannis Catharinæ. Colonellus Schauenſteinius Engadinis inferioribus, & Deputatis Vallis-Monaſterij, iuſſu Generalis, idem iuramentum, quod Octo Juriſdictiones præſtiterant, dedit. Apud Vallis-Monaſterienſes tamen nulla facta mentio reſeruationis iurium Archiducalium: cùm nulla iura Auſtriaci ibi habeant. Sub Colonello Andrea Bruckero mille etiam milites, nouemq; cohortes militabant: nempe, vna, ipſius Colonelli: capitanei reliquarum erant, Antonius à Molina, Locumtenens Colonellus; Stephanus Thiſius, Centurio maior; Caſparus à Molina, Leonardus Lhenerus, Conradus Planta, & Otto Paulus, Andreas Enderlinus, Laurentius Tſchudius, Baſi-

leenſis; Petrus Vichſerus, Glaronenſis. Die Lunæ, XXV. Nouembris, quæ S. Catharinæ iuxta ſtylum Gregorianum; iuxta verò Julianum, Leopoldo ſacra eſt, fortalitium in Valle-Monaſterij ad S. Mariam, iuſſu Archiducis Leopoldi, à capitaneis Quartariorũ, Hennlio Fuxio, & Stregelio, qui cum quatuor cohortibus eò die antecedente aduenerant, feſtinanti opera, inde abductis tormentis, combuſtum. Capitaneus ordinarius, qui ibi ducentis præſidiariis iuſſa dabat, Andreas Carnuccius fuit. Ferunt, Ducem Feriæ hanc ſubitam fortalitij euerſionem, tanquam puſillanimem, ægrè tuliſſe. Et à curioſis annotatum fuit, quòd eodem feſto Catharinæ, anno M. DC. XXI. templum ibi conſecratum fuit: nunc eodem die comburitur. Peſclauienſes ad Generalem, Bergunium vſque, Antonium Loſſium, & alios, miſerunt, ſignificantes, Volturenos ſibi incendium minari: proindeq; auxilia ſollicitè expetierunt. Cùm Generalis iam in Engadinam veniſſet; Don Joannes de Cardines, Magiſter campi, Hiſpanus, & Centurio maior Quiroga, cum duodecim nauibus, quibus impoſiti circiter ſexcenti milites, verſus Ripam, & Nouatum venerunt. Hieronymus Scalamontius, qui præſidio ad Ripam præerat, eos recipere noluit: adeoq; ex aduerſo in territorio Hiſpanico pernoctarunt: poſtea Datium redierunt. Cardines tamen Clauennam vſque ad Margaruccium iuit, & cum eo ibi tractauit. Margaruccius Clauennatibus deinde dixit, ſe mandata, ſed non in ſcriptis, à Marchione Balnei habuiſſe, vt oppidum combureret. Die Mercurij, XXVII. Nouembr. Centurio maior Ruinella, cum quadringentis militibus, Peſclauium miſſus fuit: & ipſum ſtatim Daniel de Boſè, cum cohorte ſua, ſubſecutus eſt. Peſclauij ſignifer quidam ex exercitu Marchionis Balnei fuerat, qui ſtatim auffugit. Peſclauienſes, qui ſibi à Volturenis, propter incendium, timebant, excubias ad locum Caſaccia dictum, propè lacum, poſuerant: hi à quibuſdam equitibus, & militibus ex Valletellina obruti, locoque pulſi; & Jacobus Franchinus del Polo in ædibus ſuis, cùm adhuc arma in manu haberet, interfectus fuit. Ruinella, cum triginta circiter Gallis, contra hos egreſſus, duos hoſtium equos nactus eſt. Hoſtes, cùm Caſacciam combuſſiſſent, auffu-

auffugerunt. Die Jouis ſequenti, Vaubecourtius, & legio Salicæa, Peſclauium appulerunt. Interim Carolus Robuſtellus, Simon Venoſta, & alij Voltureni, Bruſium vſque veniunt, & pontes vbique abrumpunt. Die Veneris, XXIX. Nouembris, Generalis ipſe Peſclauium appulit. Venit eò Bernardus Taſcha, à Marchione Balnei cum litteris miſſus. Marchionem Balnei petere dicebatur, ne exercitus in Vallemtellinam ducatur: alioquin ſe auxilia ab Hiſpano petiturum. Eadem die populum in templo Tirani congregatum ad defenſionem exhortatus eſt. Erant in Valletellina ex exercitu Eccleſiaſtico tunc temporis ſequentes cohortes: Tirani fuerunt, capitaneus Ludouicus Albertinus, cum ſua cohorte, exceptis duabus ſquadris, quæ Clauennæ erāt; item ſignifer capitanei Moroni, cum ſeptuaginta militibus. Sondrij; Ricciardus Scottus, cum ſexaginta militibus, ex cohorte Centurionis maioris, patrui ipſius Cæſaris Scotti. Morbennij, ſquadra vna peditum erat, & turma equitum capitanei Octauij Ciacciæ. Bormij erat ille ipſe Cæſar Scottus, cum octuaginta militibus, & Colonellus Jo. Baptiſta Cautus, qui gubernator fortalitij erat, cum octuaginta aliis militibus; item ſargentus capitanei Joannis Moroni, cum centum militibus. Ad ripam Mezolæ erat etiam ſignifer Cæſaris Scotti, Joānes Baptiſta Valerius, (alij Aurelium vocant) qui paucos milites habebat. Clauennæ fuit Annibal Margaruccius, vti Gubernator, & Joānes Baptiſta Naldus, cum cohortibus duabus, & duæ ſquadræ cohortis capitanei Albertini. Multum diuque in conſilio bellico conſultatum fuit. Vaubecourtius ſuadere videbatur, vt in hybernis pars exercitus Peſclauij maneret: reliqui vltra montes reuerterentur. Nam ipſi perſuaſum erat, Henricum Aurelianum, Ducem Longueuillæ, Generalis huius exercitus fore, imò ipſum Equitum Magiſtrum ſeu Comitemſtabuli Diguierium, cum exercitu, hac via ſubſecuturum: vti quidem ipſe Comesſtabuli inclinare videbatur. Caſtrū etiam, Plattamala fortiſſimum prædicabatur. Vallareſſus autem ſemper, aliique cum ipſo, expeditionem accelerandam ſuadebant: nam (aiebant) ſi Hiſpani pedem ibi figere poſſint; deinceps nec ferro nec flamma inde depelli poterunt. Die

Sabbathi, vltima Nouembris, Ioannes Molinæus, Machinator Gallicus, sub specie comitandi dictum Tascham, Tiranum profectus est. Ibi Robustellus, & alij, aiebant, se potiùs sub Diabolo, quàm sub Rhætis, esse velle. Marchio Balnei ex verbis cum Molinæo habitis inferens, quòd Generalis nihil tentaturus sit, die Dominica Calendis Decembris Secretarium suum ad eum cum litteris, quas Molinæus deferebat, mittit, quibus scribit se cum gaudio ex Molinæo intellexisse, quòd Generalis, pẽdenti sequestratione locorum & fortalitiorum, cum armis in vallem intrare non velit. Orat eum proinde, vt cum exercitu vltra montes reuertatur, cùm multos hæreticos offensos à Vallistellinis penes se habeat, qui extrema minitentur. Generalis adhæc aliquantum commotus, statim ipsa die & hora, per tibicinem epistola missa, respondet, Mirari se de his, quæ sine fundamẽto præsupponat, & scribat: nam Molinæum nulla alia mãdata habuisse, nisi vt resalutaret Balnæum ipsum, & vt Deputati Volturenorum fide habita venire possent, nec alias litteras fiduciarias ipsi datas fuisse; & fieri posse, vt Molinæum non satis linguæ Italicæ peritum, minus intellexerit. Cæterùm ex Molinæo se intelligere, Balneum, se Hispanos in vallem vocaturum, minari: Sibi displicere ait, quod hoc non antè effectum dederit; & arma Summi Pontificis ex valle discesserint; prout Romæ per Legatos Gallicum, Venetum, & Sabaudicum, mense Septembri antè Pontifici significatum fuerit. Addit præterea Molinæum tales litteras recipere non debuisse. Balnæus eadem die tremula manu rescribit, vtut Generalis contendat, Molinæum nullas litteras credentiales habuisse; sibi tamen persuadere; quòd si alij offendere ipsum vellent; ad protectionem armorum Gallicorum recurrere posse, sicut Ministri Gallici alias Ecclesiam etiam protexerint. Tunc die sequenti Lunæ Doctor Prosper Quadrius Brusium, vbi iam pars exercitus erat, ad Generalem venit, & exercitum, donec auxilia Hispanica in Vallemtellinam venire possent, retardare conatus est. Sub vesperam autem, ipsa Dominica anteà, capitaneus Malorthia versus Plattammalam equitauit; & ibi propè zelendas cum equite Corso, qui Marchioni Balnei seruiebat, congressus

greſſus eſt. Malorthia ſcloppetto in caput acto læſus fuit: Corſum autem, quem in fugam egit, ad naſum etiam, ſcloppetto adacto, vulnerauit: neutrius tamen ſcloppettum diſploſum fuit. Quadrius, re infecta, Tiranum rediјt. Tiranum appulerunt milites ſelecti Tertiarij ſuperioris, item Clurienſes, Pontenſes, & Tilienſes.

Generalis hac die Lunæ, ex legione Salicæa Thomaſinum, & Heerum, cum trecentis militibus, per iter S. Romerij verſus Contrattam Baruffinorum, quæ in monte ſupra Tiranum eſt, miſit, vt inde fortalitium Plattæmalæ, vbi ſexaginta milites erant, inuadere poſſent. Jacobus Curtabattus iunior, Locumtenens Nicolai ab Alto-Balckono, extra ordinem cum quadraginta militibus flumen tranat, & per planitiem verſus caſtrum Plattæmalæ tendit, ibíque cum hoſtibus velitatur. Atque iam illi quoque ex monte deſcēdunt, & crebris ſcloppettorũ ictibus inſtāt. Cùm ergo illi in fortalitio in duabus partib. ſe impeti viderent, celeri fuga inde euaſerunt, haſtaſque, loricas, & aliqua ſcloppetta, ibi reliquerunt. Curtabattus, cum ſuis, primus in fortalitium irrupit. Proſper Robuſtellus, Jacobi filius, cum ſexaginta Volturenis, vt aliis auxilio eſſet, ferè ad caſtrum peruenerat: qui tum ſtatim cum aliis in fugam ſeſe dedit. Unus ſolus, Strickenbergerus, ex cohorte capitanei Heeri, ex fractione ſcloppetti in manu læſus fuit. Generalis ipſe ſine mora adfuit, & caſtro quadraginta Gallos primò impoſuit: eaque nocte aliquæ cohortes Vaubecourtij ad templum S. Mariæ, quod extra Tiranum eſt, collocatæ fuerunt. Ruinella, ad contratam *della Raſiga*, in territorio Tiranenſi cum ſuis manſit. Carolus Beſta, & alij Voltureni, ſuburbia Tirani, ante portam Bormienſem, & Peſclauienſem, item ædes ad caſtrum del Doſſo, combuſſerunt. Die Martis ſequenti deinde, Generalis ipſe, cum exercitu, ad templum S. Mariæ venit, ibiq; caſtra poſuit. Die Mercurij ſequenti, Bormienſes, qui anteà per ſuos Deputatos, in Engadinam ſuperiorem miſſos, cum Generali tractauerant, nunc ſe protectioni Regis Chriſtianiſſimi & Confœderatorum ſubmittunt, & proteſtantur ſe velle eſſe Rhætorum, vt ante fuerunt, ſubditos: Religioniſque Catholicæ ſecuritatem petunt.

Aliqui Voltureni Grossienses, & Grossubtenses, propè Barussinos, contra militem Ligæ scloppetta exonerauerant, & Tigurinum militem in facie vulnerauerant. Milites ergo, ira succensi, ædes aliquas ad Barussinos, & Placiam, incenderunt. Martinus della Rasiga, Volturenus, quem in armis se inuenisse dicebant, non procul à templo S. Mariæ interfectus fuit. Supra pagum Villam, miles Gallus à rusticis lapidibus fugatus, præceps ruens, mortuus est: quare equites Galli etiam rusticum occiderunt. Generalis autem edicto cauit, ne quempiam, nisi qui se opponere vellet, offenderent. Adhæc Sacerdotes, & alios, ad populum qui ad montana confugerat, vt securi domum venire possent, misit. Plerique ergo reuersi sunt, nec offensi fuerunt. Die Jouis, v. Decembris, omnis exercitus in pratum, propè templum S. Mariæ, productus, aciésque instructa fuit. Secretarius Marchionis Balnei, & Doctor Prosper Quadrius, diu cum Generali tractarunt: tandem in oppidum Tiranum redierunt, & statim ex castro Tirani tormenta maiora displosa fuerunt. Altero ictu militi ex cohorte Nicolai Caroli ab Alto-Balckono crus ablatum, vnde postea mortuus est; eodemq; globo tormẽtario alius miles Norlingensis ex cohorte Heeri (Spinola cognominabatur) in pectore tactus, humique prostratus fuit: magnus tumor apparuit: nec tamen cutis (mirabile) fracta fuit. Tormentorum maiorum ictus sæpiùs reiterati; vnde propè templum D. Mariæ Engadinus quidam cum equo occisus fuit. Legio Tigurina, quæ contra suburbium Pesclauij in acie stabat, frequentibus ictibus petita: vni militi brachium, alteri crus ablatum fuit, ex quo posteà obijt. Nostri etiam duo tormenta campestria Pesclauio aduexerant: sed vnum inutile erat. Scalæ etiam pro conscendendis muris Pesclauio allatæ, & aliquæ aliæ paratæ. Legio Salicæa, ponte iam structo, Abduam superare iussa, hoc feliciter inter grandinem ictuum tormentorum perfecit: & ad destructum castrum del Dosso, propè castrum Tiranum, castra posuit. Voltureni intra mænia Tirani trepidarunt. Doctor Vincentius Quadrius, qui Capitaneus aliquorum esse debebat, vti etiam Actius Besta, noctu, transcensis muris, cum milite ex oppido auffugerunt.

Tira-

Tiranenſes, per Doctorem Proſperum Quadrium, Marcum Antonium Venoſtam, Simonem Venoſtam, cum Generali, die Veneris, VI. Decembris, de reddenda vrbe, & nomine etiam totius Tertiarij ſuperioris & Vallis, tractarunt. Voluerunt, vt Robuſtellus gubernator agnoſceretur: & idem etiam poſtea Marchio Balnei petijt: ſed Generalis ad hoc minimè conſentire voluit. Articuli aliqui concepti fuerunt, quorum ſubſtantia hæc eſt: Quòd virtute fœderis Regiæ Maieſtatis cum Rhætis, & Principibus confœderatis, Vallistellina ſub protectione Regia eſſe debeat: ſi modò ſe ea protectione dignos reddant, renuntiantes omni protectioni, fœderi, & tractatui inito, & concluſo cum aliis Principibus, à tempore quinque annorum proximè elapſorum. Nullum fortalitium in manus Rhætorum conſignetur: nec in territorio ſuperiori in præſidium collocantor. Domus etiam Taurellorum, Lambertengorum, & Beſtarum, exemptæ ſunto à dando hoſpitio militi. Diſciplina militaris diligens obſeruator. Adminiſtratio politica in hoc ſtatu, quo nunc eſt, permaneto, quouſque Regiæ Maieſtati, & Principibus confœderatis, ita placuerit. Controuerſiæ inter Rhætos & Vallistellinos, quò citiùs fieri poterit, cum ſecuritate Vallistellinorum, deciduntor: ſique eæ controuerſiæ ad votum particularium Vallistellinenſium decidi non poſſent, adeoque aliqui ex valle diſcedere vellent: ſatisfactio plenaria pro bonis ipſorum eis dator. Rex etiam, & Principes confœderati, in hoc incumbant, vt hic articulus executioni diligenter mandetur. Hæc capitulatio pro omnibus, qui exemplum Tiranenſium ſequi volunt, ſeruire debeat. Deputati etiam promittunt, nomine ſupraſcriptorum arma deponere, & in oppidum Tiranum, & vbique, exercitum Regis, & Principum confœderatorum, recipere, & omne id, quod in ſua poteſtate eſt, contribuere. Has conditiones deinde tota Vallistellina inijt. Die Sabbathi deinde ſequēti, ſub noctem, ſeptem cohortes legionis Vaubecourtij, in oppidum Tiranum intrarunt. Legio Salicæa interim, vt antea etiam continuè fecit, milites qui in caſtro erant, frequenti ſcloppettorum diſploſione detinuit Interea die quarto Decembris, Scapius, Nuncius Apoſtolicus, vehe-

mentem orationem Lucernæ, coram conſeſſu Catholicorum Heluetiorum, contra hanc expeditionem in Vallemtellinam habuit. Marchio Dolliani, Legatus Hiſpanicus, contra hunc exercitum, & Rhætos, qui in exilio fuerant, etiam iracundè ſuas querelas propoſuit. Auxilia à Marchione Balnei, & Volturenis tantopere ſollicitata, ab Hiſpanis miſſa fuere. Die nempe Dominica, VIII. Decembris, Petrus Ciapanus, cum octuaginta equitibus ſcloppettariis, Sondrium appulit: & die ſequenti viginti ſeptem ex eis, ſpeculandi gratia, ad pontem S. Jacobi, qui ſub Tilio eſt, excurrerunt: conſpecto autem equitatu Gallico receſſerunt. Eadem die Dominica, Comes Serbellonus, cum quatuordecim cohortibus peditum, octo nempe Hiſpanis, quæ pleræque Neapoli aduenerant, quarumque præcipuus capitaneus Don Emanuel de Luna erat, & ſex ex legione Pecchiana, in vallem etiam venerunt. Comes, cum Hiſpanis, Berbennij; Pecchiani autem Fuxinæ, & Colorinæ, manſerunt. Die autem ſequenti Martis, ante lucem, ſe ad iter pararunt: & equitatus, qui non alterum ſignum tubæ exſpectauit, vt moris eſt, cum turma etiam Octauij Ciacciæ, & Prętore Paribello, feſtinanter Sondrij abijt. Peditatus verò nunquam intermiſſo itinere colicum vſque, in territorium Hiſpanicum, reuerſus eſt. Ciaccia autem Morbennij permanſit. Hiſpani poſtea ſuper hoc repentino diſceſſu ſe excuſarũt, quòd Ricciardus Scottus in caſtrum Sondrij ipſos admittere noluerit. Aduentu autem tormentorum maiorum ex Dominio Veneto Serbellonus territus fuit. Die enim Dominica, VIII. Decembris, ad montem Guſpecha ſupra Tiranum, ſex bombardæ maiores appulerunt, cum apparatu alio bellico; & ducenti milites Veneti cum eis vſq; ad confinia venerunt. In ipſo cacumine montis exoneratæ fuerunt, atque qui in caſtro Tirani erant, ſonum audire potuerunt. Duæ autem cohortes Tigurinæ ad recipienda tormenta miſſæ fuerunt: & Veneti milites in Vallem Camonicam redierunt. Marchio Balnei etiam ea die de reddendo caſtro tractauit, & induciæ pactæ fuerunt. Conditiones autem minùs acceptas, tum propter Robuſtellum, qui in caſtro cum Marchione erat; tùm etiam propter alia,

pro-

proponebat: proindeque Secretarius Meminus ſæpius hinc inde commeauit. Die verò ſequenti Martis ad conditiones ſequentes deuentum fuit: Si non hac die decima Decembris ſuppetiæ Marchioni Balnei aduenient, teneatur Generali fortalitium Tirani die ſequenti Mercurij tradere: ita tamen, vt dictus Marchio Balnei, cum militibus, & omnibus illis perſonis, quæ tum in fortalitio erunt, cum armis & victu ad ſex dies ſufficiente, expanſis vexillis, tympanis ſonantibus, funiculis accenſis, & globulis paratis, diſcedere, & Morbennium ſe conferre poſſit, vt ibi iuſſa S. Sanctitatis exſpectet. Tormentum vnum maius ſecum abducere valeat: tormenta autem reliqua tria, itemque arma, & apparatus bellicus, quæ Marchio Balnei ad Pontificem pertinere dicit, in inuentario regiſtrentur: ita, vt Rex, & confœderati Principes, de eis tamen diſponere poſſint. Marchioni etiam Balnei, quæ ad tormentum aliaque impedimenta vehenda erunt neceſſaria, ſuppeditentur: eaque Marchio reſtituere teneatur. Idem Marchio Balnei promittit, quoad motus hi bellici in Valletellina durauerint, ſe nullum fortalitium occupaturum, aut militem ei impoſiturum; ſed milites iſtos, exceptis familiaribus, & officialibus ſuis, in territorium Eccleſiaſticum ablegaturum. Robuſtello, vt ſecurè etiam diſcedere poſſet, ſaluus conductus, & aliqui ex ſatellitio Generalis comites dati fuerunt: qui Domaſij ad lacum Larium poſtea ſubſtitit. Marchio verò Balnei Verceium, ad lacum Clauennēſem, poſtea cum ſuis, cùm aliquamdiu Morbennij ſubſtitiſſet, die Martis, XXIV. Decembris, profectus eſt. Hiſpani antea cum ipſo pepigerant, vt duas cohortes ad Ripam, Nouatum, & Campum collocare poſſent: ſed fraus facta fuit: nam ſex cohortes ex legione Pecchiana, ſub Ludouico Albertaccio, Centurione maiori, eò miſerunt. In obſidione caſtri Tirani ex hoſtibus duo tantùm mortui ſunt, nempe ſargentus Serga, & alius quidam: famulus Aluiſij Franchi Vertemanni ſauciatus fuit. Ex legione Salicæa etiam duo interfecti, & quinque ſauciati, aliqui etiam ex crepitu ſcloppettorum, vt ſæpiùs poſtea etiam in aliis locis accidit, læſi fuerunt. Capitaneus Contreſſonus, Gallus, cum duabus cohortibus,

primò castro Tirano impositus fuit. Stockalperus, Valesianus, cum cohorte sua, in oppido mansit. Jacobus Jamblius Monthenous, vnus ex familiaribus Generalis, in Galliam ad Regem missus, ibiq; à Rege torque aureo donatus fuit. Die quinta Decembris antè Jacobus Baudichonus, cum quatuor solis equitibus, & quatuor cohortibus legionis Schauensteinianæ, nempe, Doctoris Jacobi Schmidij, Caroli à Marcha, Joannis à Salis, & Henrici de Hartmannis ad S. Crucem, pagum Comitatus Clauennæ, hora vnica ab oppido distantem, appulit: &, post mensem, Locumtenens Colonellus Joannes à Monte, cum cohorte sua eò venit, atque iussa loco Baudichoni dedit. Die deinde decima Decembris Antonius Trussus, qui Hispanis seruiebat, cum circiter centum milibus etiam Clauennam appulit. Interea obsides Octo Jurisdictionum, qui Veldcurij in castro detinebantur, fuga sese proripuerant.

Generalis se iam ad obsidionem castri Sondrij parabat. Quadraginta milites ex eis, qui Tirani fuerant, contra pacta etiam in castrum hoc intrauerant. Die Mercurij, XVIII. Decembris, Ruinella intra viculum Aquam calidam, & castrum Masegrij cum cohorte sua collocatus fuit: reliqua autem legio Salicæa ab altera parte castri, Pontchieræ & Plateæ castra posuit. Ricciardus Scottus de deditione interpellatus, tormentis maioribus & moschettis respondit. Generalis tria tormenta maiora, noctu aggeribus ductis, ordine collocari iussit. Locũtenens Colonellus Ulysses à Salis in palatio Masegrij, cum sexcentis milibus; Gulerus, & Jenathius, in proximo torculari, cum milite collocati, dùm aggeres struebantur, hostes velitatione detinuerũt. Capitaneus Laurentius Massouius, Gallus, cùm Luna lucente propiùs ad castrum accessisset; globo tormentario moschetti per pectus transuerberatus, statim animam efflauit: cui filius Joannes suffectus fuit. Miles vnus ex cohorte Jenatij etiam interfectus fuit. Summo manè tormentis maioribus castrum pulsatum, & primo quidem tormentum vnum hostium inutile redditum, tresque milites læsi fuerunt. Jam, extenso linteo albo, & vexillo, quod antea ostentauerãt, detruso, vti etiam per sonum tympani, signum

dedi-

deditionis dare videbantur, & tibicen cum tympaniſta caſtrum ingreſſus fuit: ab altera autem parte Ruinelliani iam caſtri vallum conſcenderãt. Duo ex hoſtibus occiſi; ſeptem ſauciati: reliqui captiui facti fuerunt. Nam Generalis ſtatim accurrens totis viribus in id incubuit, vt nullus offenderetur. Ibi captiuus in compedibus erat, Antonius Stampa, Rhætus, qui liberatus fuit. Generalis poſtea captiuos omnes dimiſit, & ſignum militare etiam Marchioni Balnci miſit. Tres bombardæ maiores in caſtro erant. Capitaneus Joannes de Molleres, Gallus, cum cohorte ſua, caſtro impoſitus fuit. Berbennum deinde, ſtatim poſt feſtum Natalitium, Generalis, cum maiori parte exercitus profectus eſt, vbi per octiduum manſit. Interea etiam, ſpeculandi gratia, verſus caſtrum Fontæum excurrit.

Conſilium deinde captum fuit de fortalitio Bormij obſidendo. Die Lunæ, VI. Januarij, M.DC.XXV. cùm Landæus, cum turma equitum, & legione Salicæa, ad confinia Bormienſis ditionis appuliſſet; Ulyſſes Salicæus, & Ruinella, cum circiter centum ſelectis, verſus fortalitium, quod ad ædes Caſparotorum, intra Thullam & Cepinam eſt, venerunt. Ibi Aluiſius Juſtinianus Monaldinus cum quadraginta militibus erat, qui mox, igne fortalitio iniecto, ad fortalitium Bormienſe tendit. Eadem etiam nocte Serralium, & turrem ad thermas Bormienſes, gubernator Joan. Baptiſta Cautus comburi iuſſit. Die ſequenti Martis, Landæus, & Salicæiani, in oppidum Bormium, trans amnem Fredolfum, propè viculum de Platta, tenentes montis partem, ne à tormentis maioribus, quæ è caſtro diſplodebantur, offenderentur, intrarunt, atq; ſubitò aggeribus erigendis animum applicuerunt. Die decima Landæus Preſbyterum Simonem Murtſchium ad Cautum, & Scottum miſit, qui ex fortalitio egreſſi, in medio itineris intra fortalitium & oppidum cum Landæo collocuti ſunt. Sed, cum linguam Italicam, alteri Gallicam minùs intelligerent; colloquium ad diem ſequentem dilatum fuit, quo Centurio maior Scottus cum Colonello Rodolpho Salicæo, qui interpretem tunc agebat, diu contulit. Salicæus, vti vir prudens & aſtutus, omnes difficultates & pericula, caſum etiam nepotis Ricciardi ob

oculos ponens tandem ad tacitam capitulationem obſeſſos pellexit. Litteræ etiam Jo. Franciſci Sachetti, Florentini, Commiſſarij exercitus Eccleſiaſtici, quæ Mediolano ad Cautum, & Scottum, ductores præſidij Bormienſis, ſcriptæ erant, in Valletellina interceptæ fuerunt; quibus ille ſe Româ nulla mandata circa negotia, diu recepiſſe; & tamen auxilia, vt ſanguinem ſudet, ſollicitare ſcribebat. Salicæus itaque etiam Scotto dicebat, omne auxilium abſciſſum ipſis eſſe. Concluſum autem fuit, vt pro formâ, vt dicitur, tormenta maiora abducerentur, & fortalitium pulſaretur. Die XII. Generalis ipſe, Bormium, & aliquæ turmæ & cohortes Gallicæ, & Valeſiani in territorium Bormienſe appulerunt. Die XIV. Januarij tormenta ad pulſationem in ordinem poſita: & aggeres ibi verſus ſanctam Luciam etiam ducti fuerunt. Interpellati de deditione renuerunt. Die XV. & XVI. pulſatio ſæpiùs reiterata: iterumque interpellati de deditione, miſerunt Iuſtinianum Monaldinum, cum Alphonſo Martello, & Ioanne Maria Donato, qui per apertas capitulationes fortalitium dederunt: videlicet, ſi per totum diem XVII. Januarij auxilia non compareant, Gubernator Cautus, & Centurio maior Scottus, fortalitium in manus Generalis Cœuvræi tradant, & die XVIII. inde cum milite, armis, munitionibus, expanſis vexillis, tympanis pulſatis, funiculis accenſis, exeant: ita vt ex territorio Bormienſi, Vallistellinenſi, & Clauennenſi, verſus lacum Comenſem ſe conferant. Tormenta maiora, & alia, inuẽtario confecto, in manibus Generalis maneant. Impedimenta militum ſecurè abduci poſſint. Dictus Gubernator, & Centurio maior, pro ſe & militib. ſuis, promittũt, ſe arma intra ſpatium ſex menſium in his locis contra Ligam non ferre velle. Die ergo conſtitutâ abiuerunt. Cùm ad Marchionem Balnei veniſſent, ipſe, cum milite Eccleſiaſtico, armis conuaſatis, Ferraram profectus eſt. Cautus ſtatim præ mœrore Bononiæ obijt. Ex hoſtibus vnus in brachio læſus: ex Salicæis verò, miles Voegelianus leuiter in capite ſauciatus fuit. Landæus Gubernator fortalitij creatus, duæque cohortes Valeſianę Equitis in Alben, & Petri Riedtmatteri, iunioris, primò fortalitio impoſitæ fuerunt. Secretarius exercitus,

Memi-

Meminus, in Galliam ad Regem, vt de omni re necessaria eum edoceret, & alium militem etiam procuraret, missus fuit. Legionem Normanicam, & pecunias obtinuit. Marchio Balnei, scripto publicato, se de deditione Vallistellinæ, vt potuit, excusauit. Hispani contrà ipsum negligentiæ, imperitiæ, & pusillanimitatis accusauerũt. Doctor Prosper Quadrius, qui aliquamdiu cum Generali fuerat, & mirè se in eius gratiam insinuauerat, quæsito prætextu, ac si Robustellum, & alios Volturenos, qui abierant, in Vallemtellinam reducere vellet, Berbenno Domasium iuit. Scriptum postea famosum contra exercitum Ligæ in lucem emisit: quo multa etiam calumniosa, & contumeliosa continentur. Nam, etsi miles vix semper in disciplina contineri possit, tamen raptus, & sacrilegia quæ recensentur, minimè commissa fuerunt. Ex templo S. Mariæ Buffetti quædam quidem ablata: ea tamen restituta quoque fuerunt. Robustellus etiam Doctori Joanni Francisco Schenardo Romam scripsisse dicitur, vt à functione legati abstineret: & Doctorem Joannem Jacobum Paribellum eò Vallistellini rebelles miserunt. Vallistellini autem, qui in patria erant, Romam scribentes, Legatione Paribellum abrogarunt. Adhęc Locumtenentes, ac Fiscales Vallistellinæ (nam prætores abiuerant) rebelles Volturenos, ad d. XXIV. Januarij citârunt, vt intra terminum quindecim dierum in Patriam redirent; secus si faxint, vt læsæ Maiestatis reos proscriptum iri. Arma etiam Voltureni Generali tradere coacti sunt. Doctor Laurentius Paribellus anteà se clàm subducere volebat; sed ab equitibus Gallicis captus, & lytro persoluto postea dimissus fuit. Doctor Prosper Quadrius à Robustello, & alijs, postea in Hispaniam missus fuit: vbi anno sequenti, mense Februario, mortuus est. Pater Ignatius Capuccinus in Galliam profectus est. Se ab Archiduce Leopoldo eò mitti prætendit, nihilq; eorum, quæ ad infamandos Rhætos dicere potuit, omisisse dicitur. Inter alia Romæ, Parisijs, & alibi, ipse & alij proposuerant, vt Voltureni, non subditi Rhætorum Trium fœderum sed socij essent, & Quartum fœdus constituerent, vel aliis tribus fœderibus immiscerentur.

Antea, die Lunæ, VII. Januarij, aliqui ex legione Schauensteiniana, qui ad S. Crucem erant, ductoribus capitaneo Carolo à Marcha, Joanne Negrino, & Carolo Stampa, in Roncalleam vsque excurrerunt, vt Trussianos, qui eò venerant, repellerent: vbi tum ex hostibus duo interfecti: ex Rhætis, Martinus Rezius, caporalis Marchianus, & alius miles, vulnerati fuerunt. Franciscus à Sonuico, cùm Misaucum ire vellet, Planazolæ captus, & in castrum Clauennæ ductus fuit: quod ipsum postea aliis duobus Misaucinis quoque accidit. Die Lunæ, III. Februarij, Colonellus Schauensteinius, cum reliquis quatuor suis cohortibus, villam ad S. Sebastianum venit. Et die Jouis deinde Paschalius d'Alonus, Gallus, qui Centurio maior ordinum *(Sergent de bataille)* dirigendorum erat, Joannes Faber, & Joannes Molinæus, cum Colonello Locumtenente Ulysse à Salis, & quatuor cohortibus ex legione Salicæa, nempe ipsius Ulyssis, Jenatij, Thomasini, & Vœgelij, Castasegnam, Ponteilam, & in vicina loca venerunt. Die VIII. Februarij, versus Clauēnam, cum selectis moschettariis Dragoneram vsque, & ad montem proximum castanearum, excurrerunt; & hostes vsque ad clathrum pontis propè castrum insecuti sunt: ibiquè miles vnus ex Hartmannis, dum in præda occupatus esset, occisus fuit: ex hostibus etiam duo occisi, & aliqui vulnerati fuerunt.

Porrò Haraucurtio in mādatis datū fuit, vt cū duabus turmis equitum, & legione Bruckeriana, ex Dominio Maiævillano, Clauennam versus moueret. Die ergo Lunæ, x. Februarij, in Vallem S. Iacobi contendit. Baudichonus, cum Ioanne Negrino, & Carolo Stampa, & quadraginta moschettariis, à pago S. Crucis ad Haraucurtium in Vallem S. Jacobi noctu venit, vt, communicato consilio, oppidum aggredi possent. Die ergo sequenti Martis ex valle S. Jacobi illi primò mouerunt. Clauennates, Bettum vsque, Doctorem Gaudentium Maurum, & Hieronymum Pestalozium, ad Haraucourtium obuiam miserunt, vt oppido parceretur: qui iussi fuerunt se quietè continere. Itaque ex Bruckerianis selecti centum milites, quos Joannes Barrus, Sergentus Bruckeri, ducebat, versus aggeres illos lapideos *(barricades)* quales

quales ſeptem in diuerſis locis erant, tenderunt: & ſtatim Locumtenens Colonellus Molina, qui primis ordinibus iuſſa dabat, & capitaneus Stephanus Thiſius, atque ipſe Haraucourtius, & Bruckerus, cum aliis, ſubſecuti ſunt. Stephanus Thiſius, & Barrus (poſtquam primos aggeres, vbi ſedecim moſchettarij erant, in ingreſſu Mirandulæ, ſeu Vltramairæ, admotis ligneis arietibus, perrupiſſent) ad clathrum illud ligneum, quod in ponte erat, impetum fecerunt: & Barrus primus illud ſuperauit. Ab altera parte Baudichonus, Negrinus, & Stampa, per portam Mediolanenſem intrarunt, & hoſtes, qui ſemper pugnabant, tam Bruckeriani, quàm iſti, vſque ad forum caſtri repulerunt: vbi alij aggeres lapidei erant, & diu hoſtes adhuc reſtiterunt. Nam qui ad templum S. Laurentij in excubiis fuerant, ſe etiam cum ipſis hîc coniunxerunt. Alij etiam aggeres propè ædes Hieronymi Peſtalozij erant, quos etiam ea die noſtri ſuperarunt. Porrò vexilla illa Salicæa, & Schaueńſteiniana, ab altera parte etiam vrſerunt. Proinde hoſtes noctu ſe caſtro incluſerunt, & ignem ad portam verſus Plurium iniecerunt. Nam in monte illo caſtanearum, propè Bellmontum, & Poatengum, aliquos ſpingardos ſtatim Rhæti collocarunt, vt inde hoſtes, in caſtro hinc & inde ad excubias euntes, offendere poſſent. Ex hoſtibus duo ceciderunt: ex Rhætis ſex (inter quos Petrus Buolius, caſtrenſium legionis Bruckerianæ hoſpitiorum metator, poſtea ex vulnere obijt) occubuerunt: & plùs quàm triginta vulnerati: inter quos Locumtenentes Bartholomæus Geelus in manu, Ludouicus Monachus in femore, & Manſus in capite; ſigniferi Albertus de Vbertis, dictus Rodella, in crure, & Bartholomæus Molina in facie vulnerati fuerunt.

In Valletellina antea, die VII Februarij, quatuor turmæ equitum Venetorum, & viginti vna cohortes peditum, ex Dominio Veneto, per montem Apricam, appulerunt. Commiſſarius equitatus erat Alphonſus Antonius. Capitanei equitum cataphractorum fuere, Nicolaus Barbulius, & Horatius Panigaius. Scloppettariorum Albanenſium (Capellettos vocant) Thomas Struſa, & Reneſius iunior, cuius alam locumtenens Cappandritta regebat. Peditatui præfe-

Ggg

ctus erat Colonellus Petrus Melander, Germanus. Nouem cohortes vltramontanæ, vt vocant, erant: videlicet septem ex legione Ezechielis Duranti, Galli, & duæ Melandrianæ. Capitanei harum omnium, ipse Melander, Joannes d'Aulagne, Remundus Grandpratanus, (*Granpré*) Theodorus Vartenburgius, qui absens fuit; Locumtenens autem Iodocus Iodoci Villarius, item Joannes la Grange, qui statim ex lapsu Trahonæ obijt, atque eius in locum suffectus fuit Franciscus des Aages, Dauid Curtenbattus, Manfredus Kempsius, Nicolaus Knipsius, qui etiam absens erat, Hubertus de Berg, & Nicolaus Corsus. Duodecim reliquæ cohortes Albanensium erant: quarũ Centurio maior erat Nicolaus Caruccius: Capitanei verò; Gubernator Petrus Rondacchius, Simon Petrouech, Leca Isia, Dominicus Sazzius, Georgius Ginus, Petrus Bussatus, Nicolaus de Budua, Jacobus Crutta, Joannes Cosciolonus, Demetrius Basta, & Petrus Giorouech. Die Dominica, IX. Februarij, Generalis, cum exercitu, Trahonam venit. Equitatus Gallicus & Venetus Dubini, Forzonici, Cantoni, Monasterij; legio Salicæa ad locum del Dosso; Tigurini, Cini; Melandriani, & Capelletti, Mantelli: Vaubecourtiani Trahonæ, & in circumuinis locis, castra habuere. Ruinella die sequenti cum quinquaginta militib. præmissus fuit versus saxum Corberij, quod ad ostium Abduæ & lacus est: qui per inuia loca, cum iter ordinarium abruptum esset, illud superauit, atque Verceium vsque progressus, ibi nauiculam adeptus est. Eadem etiam die viculum supra Verceium, Vicum dictum, intrauit, & cum Pecchianis, qui infra campi erant, velitatus est: ibique sequentibus tribus diebus tres ex hostibus interfecti fuere. Ex fortalitio Fontæo iam tormenta maiora versus castra Salicæorum, & prætereuntem militem exonerata fuere: quod & deinceps hostibus semper in vsu fuit: atque signa certa cum iis, qui ad Ripam erant, habebant, vt, si magnus numerus prætereuntium militum esset, ictus frequentarētur: quò alteri vigilantiores esse possent. Commissarius Antoninus, die Jouis, XIII. Februarij, tibicinem versus fortalitium Fontæum misit: sed milites Hispani ad locum, Columbarium dictum, ipsum audire noluerunt, &

ictibus

ictibus scloppettorum repulerunt. Eadem die Haraucourtius, cum aliquibus, speculandi gratia, Clauenna versus Ripam venit: & tunc in Valletellina tormenta maiora contra eos exonerari audiuimus. Cùm iam Generalis in id maximè incumberet, vt via denuò, ad lacum Clauennæ, intra Verceium, & Campum, (medium Saxum vocant) sterneretur, & fossores ex ditione Veneta multi aduenissent: frustra tamen id tentabatur: nam à milite, qui Campi erat, impediebantur. Deliberatum itaque fuit, die Dominica, XVI. Februarij, Hispanos Campi aggredi: adeoque mandatum Haraucourtio datũ, vt eadem die manè hostes à parte Ripæ etiam leui velitatione, detinendi gratia, prouocaret: ne videlicet omnes versus Campũ venire possent: qui proin manè cum equitatu suo, & Ulysses à Salis cum decem cohortibus, versus Ripam tenderunt, & deinde ad locum Poretinam aliquamdiu substiterũt: adeò vt Serbellonus, cum Italis, ibi ad Ripam etiam in acie stare necesse habuerit. Nocte præcedente, ab altera parte Christophorus Rosenrollus, & Joan. Andreas Costa, signifer Nicolai Caroli, per Vallem Rattorum, supra Verceium, cum centum moschettariis missi; vt crepidinem montis superarent, atque Hispanos, qui in monte supra Campum erãt, & recta linea scloppettis nostros, qui Vici erant, vexare poterant, inde depellerent. Ut autem consilium executioni accuratè mandaretur, summo manè versus Campum velitatio inchoanda fuisset: sed ad horam vsque decimam dilata fuit. Duo tormenta maiora iam Verceium adducta, & in ordinem collocata fuere: quæ postquam decies sexies exonerata essent, impetus fieri debebat. Vico per duas inuias ferè semitas (nam saxis & dumetis, cliuosoque loco omnia horrida) ad Campum iter faciendum erat. Quinque cohortes Vaubecourtianæ, octingenti milites Veneti vltramontani, aut Albanenses, sexcenti Salicæi, sexaginta equites cataphracti Galli (qui vti pedites pugnare debebant) centum denique Galli & Veneti Albanenses equites leuis armaturæ aderãt. Vaubecourtius, cum reliquo milite, ad custodiam Vallistellinæ in aciem disposito, mansit. Miles ad pugnam ita dispositus: vt capitaneus de Bose, Gallus, & Ruinella, cum

ducentis militibus à latere dextero descenderent, & Locumtenens Passauanti, La Forge, volones duceret: ab altera parte, nempe læuo latere, capitaneus Granpré, & Petrus Rondacchius, cum ducentis Venetis vltramontanis, & Albanensibus, ad prælium descenderent. Hispani interim, cùm viderent hosce descensui intentos, Nouato maiorem militum numerum accerserunt, & in aciem extra pagum Nouatum prodierunt. Venetorum milites, vti qui commodiorem locum nacti erant, primi hostes aggressi sunt, & Albanenses, pro more suo, feruidi in principio erant. Hispani pago ipso egressi impetum Veneti militis in campo diu sustinere non potuerunt: adeoque ad proximos muros confugerunt, & inde iterum, recollecto milite, restiterunt. Capitaneus Granpré, qui eos insequebatur, globo tormentario stratus fuit: vnde consternatio inter ipsius milites orta. Christophorus Burckhardus, Basileensis, Locumtenens Melandri, cum suos ad virtutem exhortaretur, & ipse prostratus occubuit. Bosè verò, & Ruinella, etiam ab altera parte institerunt. Sed Hispani numero aucti (nam per iter muro vtrinque cinctum, vt videri non possent, à suis auxilia recipere poterant) extra muros prorumpentes, sarissis, quibus nostri carebant, aliquos confoderunt, nostrosque ad pedem montis repulerunt. Tunc Joannes Petrus Gulerus, cum ducentis Salicæis, descendit, &, iunctis viribus, in Hispanos tanto impetu irruit, vt fugam extra pagum Campum versus Nouatum capesserent, ac tympana & arma abiicerent. Melander ipse, cum ducentis etiam, subsecutus fuit: & Joannes Montislambertus, Vallius, Adiuuans Marischalli campi, cum Colonello Salicæo, quoque descendit: prætereaque in ipso momento Rosenrollus, & Costa, cum suis, Hispanos in monte aggressi sunt; vt aliqui ex hostibus præcipiti fuga ceciderint mortui. Gulerus, cum suis, extra Campum Hispanos insecutus, aliquos occidit. Cumque ad muros certos venissent; volebat, vt milites ibi, vti in loco defensioni apto, subsisterent: sed feruore pugnæ aliqui incitati vsque ad aciem Hispanorum excurrerunt. Porrò in pago Campo milites, iussu Generalis, in acie collocari, & pagus communiri debebat, vti ductores instabant:

sed

ſed milites aliqui ſpoliandis mortuis, & prædæ intenti, dicto non audientes fuere. Etiam Serbellonus ipſe, Ripa, cum triginta equitibus, ſuperuenit, Hiſpanique, recenti milite aucti, prælium redintegrarunt: adeoque milites diſperſi noſtri in fugam acti fuere. Albanenſes dicto ductorum, vti plerique linguis aliis, quàm vernaculæ ſuæ minùs aſſueti, minùs obediuerunt. Quod ergo reliquum ex milite Vici erat, etiam ad rupem, vt hoſtes impediret, peruenit. Ex triginta illis equitibus ad Vallliculam vſque per caſtaneta aliqui venerunt. Pedites autem Hiſpani, ſuo damno antea edocti, longius ſubſtiterunt: præterea que crebris ſcloppettorum ictibus à rupe petiti, Campum mox receſſerunt: vbi etiam parum commorati ſunt. Eques Balagni, cum aliquibus, poſtea ad Campum deſcendit. Hiſpani, noctu, & die ſequenti, ignem pago iniecerunt, & Nouatum abiuerunt. Hiſpani quadragintaquinque ex ſuis amiſerunt: inter quos duo ſigniferi (vnus tormento maiori in acie extra Nouatum ſtans occiſus fuit) & aliqui officiales fuere. Vaubecourtius tribus poſt diebus aliquos ex eis ſepeliri adhuc curauit: nam ob feſtinationem eos non tumulauerant. Sauciati fuere ſeptuaginta: inter quos capitaneus Villagomes, cui antiquum vulnus recruduiſſe dicitur. Ex exercitu Ligæ mortui vigintiquinque; videlicet, Capitaneus Granpré, (cui Franciſcus Marolles ſuffectus fuit) Locumtenens ipſius La Combe, qui in gutture ſauciatus, poſtridie Mantelli mortuus eſt. Locumtenens Chriſtophorus Burckhardus, Andreas le Sergent-Faronvillius, Locumtenens Capitanei de Boſé, tredecim milites ex legione Salicæa, quinque ex cohorte Granpré, quatuor Kempſij, quatuor Knipſij, vnus ex Vaubecourtianis, & duo Albanenſes. Sauciati multi: inter quos Petrus Rondacchius in crure, Roſenrollus in fœmore, Ioſſerus, Sergentus Colonelli Salicæi, in brachio. Fortiter ſe inter alios geſſit Janus Suterus, Rhetigoius, qui tres Hiſpanos gladio interfecit. Iter ſtatim ad lacum ſtrui cœptum, & bidui ſpatio abſolutum fuit. Hiſpani die poſtera Lunæ extra pagum Nouatum in quatuor manipulos diuiſi in acie ſtabant. Erant circiter bis mille milites, & centum equites. Sed Panicus pauor ipſos

inceſſerat: nam caſtro Coderæ exceſſerant, atque duo tympana, duos cados pulueris, & panum non exiguum numerum (quæ omnia ruſtici ad milites Ligæ attulerunt) ibi reliquerant: & demùm die Mercurij iterùm ad caſtrum rediere. Montaniolæ, ſupra Ripam, qui fuerant, etiam abiuerant. Adhæc, omnia impedimenta Ripa ad alteram partem lacus, ad Archettum, cum milite deuehi curauerant. Inter Hiſpanicos capitaneos Joannes Canizarus fugæ auctor nominabatur: Serbellonus autem ſe magis intrepidum oſtendit. Nam cùm milites Ligæ, propterea quòd iter non planè ſtratum eſſet, nec de rebus Hiſpanorum ipſis innotuiſſet, eos non inſequerentur: die Mercurij ad Ripam redierunt. Dum pugna ad Campum ferueret, viginti equites, & aliqui pedites ex arce Fontana egreſſi, ſe in confiniis oſtentauere, & ſtationarios duos milites fugarunt. Barbulius autem eos ſtatim repulit. Hiſpani in conflictu duos, Georgium Cruſium, Sergentum Knipſij, & militem vnum Paſſauantij, vtrumque vulneratum, captiuos fecerant. Hos Serbellonus Mediolanum miſit, & data opera, cum circiter triginta facinoroſis, qui ad triremes condemnati erant, in vrbem duci iuſſit, vt populus omnes in prælio captos fuiſſe putaret. Die ſequenti, rixa inter equites Gallos ex turma Generalis, & aliquos Capellettos, propter quædam dolia vini orta, duo Galli occiſi fuerunt. Die Iouis, xx. Februarij, Hiſpani aliquas ædes Nouati combuſſerunt. Noſtri interim, Campi, & Vercei, ad ripam lacus aggeres extruxerunt. Bergomo aliquot Sagræ, (ſunt tormenta campeſtria breuia) adducta, vallíſque impoſita: Brixia quoque duo tormenta magna (canones vocant) poſteà adducta fuerunt. Eadem die Jouis Ruinella, cum trecentis militibus, per Vallem Coderam in proximum montem ſupra Ripam miſſus fuit, & vſque ad Muttam Coruorum venit, vt illinc milites Clauenna victum aduehere poſſent. Porrò ex improuiſo curſor ex Gallia cum litteris appulit. Bernardinus enim Narius, qui quondam ex pueris honorariis Reginæ matris fuerat, à Pontifice miſſus, vehementer cum Cardinale Bernardino Spada, Nuncio Apoſtolico, pro ceſſatione ab armis inſtitit. Atque Rex, vt diſpenſationem matrimonij pro ſorore cum

re cum filio Regis magnæ Britanniæ (nam pater adhuc viuebat) obtinere posset, in inducias duorum mensium consensisse dicebatur. Sed hæc admodùm tectè peragebantur. Ruinella, cùm hæ litteræ die XVI. Februarij scriptæ, redditæ fuissent, ex mõte reuocatus fuit. Die prima Martij, cùm Ruinella ex monte rediisset; aliqui equites Galli Nouatum vsque progressi sunt: vbi Hispani equum vnum occiderunt; eques autem euasit. Antonius, famulus Ruinellæ, Hispanum scloppetto occidit. Interim obsidio castri Clauennensis continuata: Vallis-Rhenani, & Sexamnienses, ab Haraucourtio accersiti: denique legio Bernensis, exeunte Februario, ex Dominio Maiævillano quoque Clauennam vocata fuit. Sed sine tormentis maioribus castrum capi posse omnes dubitabant. Ex lignis quidem duo tormenta circulis ferreis compacta fuerunt: sed tertio ictu concrepuerunt. Itaq; ex Valletellina duo per Pesclauium, Pisciadellum, Berninam montem, Engadinam, & Vallem Prægalliam, ingenio & industria Bosserij, Galli, Clauennam deducta fuerunt. Obsessi etiam, penuria vini, aquæ, & lignorum, laborabant. Sæpiùs velitatum fuit: atque, cùm ad deditionem faciendam etiam multoties inuitati fuissent; die Sabbathi, VIII. Martij, Joannes Baptista Naldus, & Piccinus Guilionus, fide habita, ad colloquium venerunt, & de dedendo castro tractarunt. Haraucourtius capitaneum Trussum, non vti militem Ecclesiasticum tractare volebat: itaque, re infecta discessum, & tota ferè nocte certatum fuit. Sequẽti die Dominica Trussus in capitulatione etiam comprehensus fuit: adhæc tormenta maiora aduecta, honoris quoque causa, displosa fuerunt. Die ergo Lunæ, X. Martij, iisdem ferè conditionibus, quibus Cautus Bormio, ex castro Clauennæ Margaruccius cum milite discessit. Nempe, promisit inter alia, se in nullius Principis ditione, vsque dum in Dominium Pontificis venisset, substiturum. Trussus etiam promisit, nec se, nec suos milites, ad Ripam mansuras: quod tamen non præstitit. Tormentum campestre, quod Rhætorum erat, cum reliquis armis, & apparatu bellico, in castro relictum: Presbytero Joanni Baptistæ Soldano, & Ambrosio Lupo, chirurgo, ciuibus Clauenna-

tibus, qui in caſtro fuerant, veniā data: captiui hinc inde dimiſſi: ſique milites aliqui transfugæ ex exercitu Gallico in caſtro eſſent, vt traderentur, pactum fuit: & ſi quis ex milite Eccleſiaſtico in exercitu Gallicò militare vellet, id liberè facere poterat. Ex obſeſſis octo ex vulneribus; ſeptem autem ex morbis obiuerunt: triginta ſauciati fuerūt. Ex exercitu Ligæ tam in plateis, quàm in campanili S. Laurentij, aut in aliis domibus, viginti occiſi, & triginta quatuor ſauciati fuerūnt. Locus vbi caſtrum Clauennæ ſitum eſt, vocatur Paradiſus: hinc, per iocum, dictum, Pontificis milites paradiſum deſeruiſſe: qui poſteà regeſſerunt, à Gallis iterum ſe admiſſos, & in eo fuiſſe poſteriores. Ad cuſtodiam cliui S. Lucij, & pontis Rheni, poſt diſceſſum legionis Bruckerianæ, etiam Curienſes, Quatuorpagici, & Decem Juriſdictionum, milites alternis vicibus deſtinati fuerant. Sed, poſt diſceſſum Bernatum, ex fœdere Griſæo mille milites, ſub Colonello Caſparo Schmidt à Gruëneck, & mille alij ex fœdere Decem Juriſdictionum, ſub Colonello Ioanne Sprechero, fratre meo, eò miſſi fuerunt. Capitanei Griſæi erant, Joachimus de Cabalzaro, Rodolphus à Marmore, Chriſtophorus à Montalta iunior, Martinus à Saxo, Riſius à Montalta, Rigettus de Capaulo, Flémienſis, Syluester Roſerollus, Rigettus à Capaulis, Sexamnienſis, Bartholomæus Cazinus, & Joannes Hœſlius. Ex Decem Juriſdictionum fœdere verò, Paulus Buolius ſenior, Ioannes Iouchius, Ioannes Lorjentus, & Fortunatus Sprecherus, Abundius à Salis, & Jacobus Ottonus, Dieteganus Hartmannus, ſeu eius filius, Hartmannus de Hartmannis, Jacobus Valtherius, & Benedictus Thomaſius, Florius Buolius, & Antonius Schmidt. Gubernator autem erat Paſchalius Alonus: cui poſtea ſucceſſerunt Colonellus à Schauenſtein, & Joannes Molinæus. In Vallemtellinam legio Fœderis Cathedralis vocata, & ad valla ad S. Petrum infra Coſium collocata fuit. Colonellus erat, Chriſtophorus Lhenerus; Capitanei, Joannes Tſcharnerus, Locumtenens Colonellus (Jacobus à Præpoſitis cum Prægallieſibus, & Marcus Antonius Spalta, cum Vallis-Monaſterienſibus domi manere iuſſi ſunt) Theodoricus Jecklinus, Caſparus Friſchius, Conſtantinus

Planta,

Planta,& Jo. Antonius Trauersius, Stephanus à Jochberg, & Antonius Belinus à Belforti, Ioannes Masella, & Ioannes Morettus. Cùm autem legio Schauensteiniana in Vallemtellinam venisset; hi domũ remissi fuerunt. Numerus etiam militum ad cliuum S. Lucij ad sexcentos redactus fuit. Capitanei creati; Casparus Schmidt à Grueneck, Joachimus à Cabalzaro, Bartholomæus Cazinus, & Joannes Hoeslius, Joannes Tscharnerus, Theodoricus Jeklinus, Florius & Paulus Sprecheri, fratres, & Antonius Gugelberg à Moos. In Vallemtellinam, & Clauennam, quotidie aliqui milites ab hostibus ad exercitum Ligæ venerunt: qui de panico illo timore, qui in castris hostium die XVI. Februarij fuerat, referebant. Hispanicas cohortes ad viginti esse dicebant, cum quibus Quiroga Centurio maior erat. Castra supra Nouatum propè cryptas illas posuerant. Ex legione Serbelloni numerabant cohortes; Hieronymi Gisolfi, Mazuccæ Neapolitani, Nicolai Bussedi, Francisci de Termine, Valerij Confalonerij, Bardassinæ, Quartarij, vt vocant, magistri, Tiberij Massæ, Caroli Curti, Vasalli, & Francisci Fedrisij: ex legione verò Pecchiana, sex: videlicet, Ludouicij Albertaccij, Camilli Raudensis, Ioannis Antonij Carosij, Vincentis Stangæ, Formicæ, Vernacciæ, & Gualtaroni, quæ duæ vltimæ Dacij erant. Signifer autem ille Cæsaris Scotti Joannes Baptista Valerius, cum sex militibus Ecclesiasticis, titulo Gubernatoris ornatus, ad Ripam; alij verò milites Ecclesiastici in castro Coderæ erant. Marchio Mortaræ, Hispanus, cum quinque cohortibus Sorici castrametabatur. Eques Franciscus Viues, cum centum & quinquaginta cataphractis, Grabedonæ, & locis vicinis, erat. Die Lunæ, XVII. Martij, Jacobus Gallotyus, vnus ex bombardariis Gallicis, cum tredecim Cappellettis, noctu, nauigio conscenso, versus Dacium tendit, Como se venire, & Ripam tendere, simulans: ibi octo milites cum caporali Lissono, ex cohorte Vernacciæ, in nauicula aggressus, vnum occidit, caporalem in capite vulnerauit, vnde ex vulnere mortuus est, & vnum cum nauicula cepit: duo aqua suffocati fuere. Eadem die hostes, suas vices vlturi, turma nempe equitum Viuis; & Hispani, sub Marchione Mortaræ, supra fortali-

tium Fontæum, ad ripam Abduæ, venerunt, & tres equites ad aggeres vſque Cappellettorum, qui in plano, infra locum del Doſſo, verſus oſtium Abduæ *(Bocca d' Adda)* extructi erãt, ſuperato flumine, acceſſerunt propius, vt Generali, qui cum Vallareſſio, & aliis, in itinere verſus Trahonã erat, iter præcluderent. Vaubecourtius autem ſtatim ad Salicæos, quorum pars ibi ad Doſſum erat, venit: qui cum moſchettariis ſuis à Vaubecourtio benè diſpoſitis hoſtes repulerunt. Duo ex hoſtibus ceciderunt, & tres ſauciati fuerunt. Die Martis, XXV Martij, iidem equites, & pedites, ſe in iiſdem locis iterum oſtentabant. Legio autem Tigurina, quæ etiam propè Salicæos caſtra habebat, & Capelletti eos iterùm repulerunt. Interea equitatus Ligæ, per pontem Mantelli, in proxima prata ibi productus, & peditatus etiam ſubſecutus fuit. Viuiani equites iam vltra confinia progreſſi erant: in quos proin equitatus Ligæ irruere volebat. Sed Vaubecourtius locum ibi paluſtrem eſſe affirmabat, & verebatur vt miles Ligæ etiam vltra collimitia progrederetur. Videri enim volebant territorium Hiſpanorum non attingere velle. Tunc videre & audire dabatur fremitus, & execrationes militum contra Vaubecourtium, & alios. Unus Hiſpanus occiſus fuit, & aliqui vulnerati. Ex Ligæ exercitu Tigurinus quidam in humero, pediſſequus in ore, Gramolinus etiam nauta Venetus, qui tũ prima vice ad operarios Verceium, vbi naues parabantur, ire volebat, mali ominis ergo, in talo ictu ſcloppetti, vulnerati fuerunt. Die XXIX. Martij, Ruinella, cũ centũ & quinquaginta militibus, montẽ ſupra Ripam iterum conſcendit, & inde ſtationarios Hiſpanos ex tribus locis depulit. Hac die, & ſequenti, decem Hiſpani ex dimiſſione ſaxorum, & ictibus ſcloppettorum, occiſi, & octo vulnerati: ex Salicæis verò, tres ſauciati fuerunt. Per aliquot dies cum magno Hiſpanorum damno deuolutio ſaxorum continuata fuit. Die Martis, Kal. Aprilis, paulò poſt diluculum, caſtrum Coderæ occupatum fuit. Res ita ordinata, vt capitaneus Iſaacus de Sancto Simone, cum aliis officialibus, & centum militibus ex legione Vaubecourtiana, & quinquaginta Tigurinis, quos Caſpar Huldricus, Locumtenens Colonelli Caſpari Schmidij, ducebat, ab vna parte

cum

cum petardo (tormentum æneum minus eſt, inſititium, quo portæ perrumpi ſolent) verſus caſtrum irent: prouti fecerunt. Cum ipſis autem erat miles quidam profugus ex caſtris Serbellonianis, qui ſe amicum eorum, qui in caſtro erant, ſimulabat, & ad interpellationem vt amicus reſpondebat; intereaque Humbertus Baro, miles Vaubecourtianus, portæ tormentum admouebat, quæ eo ipſo ictu effracta fuit. Farina Caporalis, qui ex exercitu Eccleſiaſtico ibi gubernatorem agebat, occiſus: Baro quoque ipſe in brachio & crure: Italus transfuga in capite vulneratus fuit, vnde poſtea mortuus eſt: miles quoque alius Vaubecourtianus vulneratus, ex vulnere pòſt deceſſit. Ab altera parte capitaneus Marolles, cum Ioanne Molinæo, machinatore, locumtenente Vapyo, & ſignifero capitanei Frionuillæ, Joanne Rollaio-fauiero, cum Gallico, & Veneto milite, ſed aliquantùm tardiùs (nam Vaubecourtius procurauerat, vt ſui extra ordinem compendioſiori via vterentur) ad alterum latus caſtri venerunt, & ſecuri cataractam, & clatrum ligneum perfregerunt. Antonius Maria Beccaria, Papienſis, ſergentus cohortis Franciſci de Termine, cum quadraginta militibus, in caſtro erat, qui ſe defendebant. Tandem noſtri ignis miſſilis poma, granata vocant, in locum vbi erant, proiecerunt, quibus aliqui offenſi fuerunt. Primus in caſtrum conſcendit Jacobus Dolayus, ſignifer cohortis Vaubecourtianæ. In caſtro decem, plerique à capellettis occiſi; reliqui captiui facti, inter quos octodecim vulnerati erant: è quibus vndecim die ſequenti ad Serbellonum miſſi fuerunt. Ex victoribus, præter tres nominatos, ſauciati etiam fuerunt Locumtenens Jodocus Villarius, & miles quidam Hollandus. Caſtrum, iuſſu Generalis, ex parte deſtructum fuit. Interdiu deinde in ruderibus caſtri decem Salicæani, vt viam ad montem magis compendioſam ſecuram redderent, in excubiis manſerunt. Hoſtes bombardarium vnum Venetum, & militem ex legione Salicæa, cùm extra caſtra exſpatiati eſſent, ceperunt.

Die Mercurij, 11. Aprilis, capitaneus Jenatius, cum Petro Sechino, locumtenente Tſchudij, Negrino, Carolo Stampa, & ſergente Joanne Barro, ac quadringentis moſchetta-

riis versus Pajedum iter cepit; atque, superato monte difficili, postera die Jouis hostium excubias, in monte Peschè constitutas, aggressus est. Erant octuaginta quatuor milites, partim Itali, partim Hispani, quibus sergentus Hispanus iussa dabat. Nouem ex hostibus, inter quos ipse Sergentus erat, occisi, duodecim capti, qui postea ex aliorum commutatione dimissi fuerunt. Ex victoribus duo per montem præcipites ruerunt. Exiuerat autem Jenatius, vt Hispanorum castra ad locum Archettum etiam aggrederetur: sed difficultas itineris obstitit, quò minùs illud exequi potuerit. Locumtenens Colonellus Ulysses à Salis, cum ducentis selectis militibus, propè Samolicum, versus Archettum substitit, vt semper Jenatio auxilio esse posset, & hostes ibi detineret. Totus autem exercitus, qui Clauennæ erat, cohorte Colonelli Schauensteinij excepta, quæ in oppido mansit, Gordonæ, aut Malaguardæ, castra posuerat. Malaguardæ autem sex cohortes ex legione Schauensteiniana (Ioannes à Salis, & Henricus ab Hartmannis, Gordonæ etiam erant) castra sua habebant. Ex his eadem die Iouis quadringenti selecti versus Ripam missi fuerunt: qui mox ab equitatu Ciapani, & peditatu propè Samogiam, ad velitationem prouocati, aliquamdiu certarunt. Duæ autem turmæ equitum Gallorum, Vernolij, & Certoni, cum Schauensteinianis esse debebant. Sed cùm hi aliquantùm à latere versus Mairam flumen incederent; hostium equitatus, cum moschettariis, qui per montem veniebant, in Schauensteinianos, qui iam puluere tormentario carebant, summo impetu latus fuit. Caspar Lombrisius, ex cohorte capitanei Schmidij, scloppetto occisus fuit: Iacobus à Monte, locumtenens patrui ipsius Montani, ab equitibus vndecim vulnera accepit, ex quibus postea Clauennæ obijt. Vernolius autem, & Certonus, cum equitatu Gallico viriliter hostes adorti, eos profligarunt. Interim etiam Colonelli Diesbachius, & Bruckerus, cum ducentis militibus, tranato flumine Maira, superuenerunt. Ex hostibus quinque equites, & vndecim pedites occubuerunt: multi vulnerati, inter quos Zacharias Parauicinus, Volturenus, fuit. Ex exercitu Ligæ, præter duos nominatos, alius etiam miles Clauennæ ex vul-

neribus

neribus obijt. Franciſcus Tupinerius-Mallinus, Philippus Caballia-Tererius, & Blaſius Lepreux, equites Galli; & Sergentus cohortis Joannis Catharinæ, ſauciati fuerunt. Joannes Fabri, ictu ſcloppetti tactus, atque cum horologium, quod in caligis geſtabat, globus tetigiſſet, leuiter offenſus fuit. Hoſtes quinque ceperunt, qui poſtea ex permutatione aliorum dimiſſi fuerunt.

Interea, Franciſcus Cardinalis Barberinus, à Pontifice in Galliam miſſus fuit. Bulla Pontificia die XXVI. Martij data erat. Hic admodùm honorificè exceptus, & diu cum ipſo tractatum fuit. Sed, cùm in eo firmiter perſiſteret, vt ante omnia fortalitia Vallistellinæ Papæ reſtituerētur, expreſſa etiam conditione addita, Rhætos ſummo in Vallemtellinam, Bormium, & Clauennam, imperio priuandos eſſe; re infecta, die XIX. Auguſti, M.DC.XXV. Fontisbellaqueo, vbi Rex erat, diſceſſit. Don Didacus Sarmientus, de Acunna, Comes Gondemari, Legatus extraordinarius Hiſpanicus, etiam ibi fuit, qui Cardinalem Barberinum in opinione ſua confirmauit. Pontifici Mutius Vitelleſcus, Generalis Jeſuitarum, & alij, iam antè perſuaſerant, Catholicos Magiſtratui Proteſtantium ſubiici non poſſe. Quòd ſi viceuerſa à Proteſtantibus obſeruaretur; quæ non bella, quæ non ſeditiones inde orirentur? Aliqua ſcripta calumnioſa tunc contra Rhætos ſparſa fuere. Inter alios ſcriptores eiuſmodi, vnus eſt, qui ſe per octodecim annos in Rhætia verſatum eſſe, nec regionem illam pacari poſſe, ait, niſi extirpata, quam vocant, hæreſi. Volturenos etiam pro quarto Fœdere aſſumi ſuadet: & reliquos Rhætos aliquo cenſu demulceri poſſe affirmat.

Die IX. & X. Aprilis mille & ſexcenti milites, ex legione Baronis Henrici Gottofridi à Pappenheim, Nouatum appulerunt. Capitanei cum eis erant, Baro Franciſcus Magnus, Locumtenens Colonellus; Ferdinandus Chriſtophorus Fuxus, Cēturio maior; & capitaneus Gallus. Duæ etiam turmæ equitum Marchionis Gonzagæ, & Don Petri de Haro, nec non poſtea Comitis de Sancto Secundo, Ripam, & Nouatum venerūt. Generalis legionem Schauenſteinianā, & quatuor cohortes Salicæanas, exceptis ſeptuaginta mili-

tibus, qui in castro Clauennæ manserunt, in castra Verceiana venire iussit. Difficile iter per montem eis faciendum fuit: & hostes de hoc per militem transfugam certiores facti erāt. Die Veneris ergo sub noctem ex castris egressi, subtus Lopiam versus montem, & Muttam, incessere: quò antè Jenatius, cum aliquo milite, & fossoribus, qui partem montis scindere omni conatu debebant, venerat; sed fossores hi nihil effecerunt. Colonellus autem Salicæus hoc vesperi Locumtenentem Rosenrollum, & sergentum Iosslerum, cum triginta militibus, versus rudera castri Coderæ misit, vt in valle pontem super flumine strueret, qui ab hostibus, qui eò speculatum venerunt, conspecti fuerunt. Die sequenti Sabbathi, circa meridiem, Schauensteiniani, & Salicæani, propè castrum Coderæ cōparuerunt. Hostes, præsertim Germani, summo impetu hos aduentantes adorti sunt: & tota die acriter certatum fuit: puluis etiam tormentarius in tēpore à Colonello Salicæo missus fuit. Pappenheimiani tormentum campestre etiam produxerant: sed nihil efficere potuerunt. A puluere ter incenso multi ex eis læsi fuerunt. Ruinella ex monte saxa etiam deuoluit. Ab altera parte, Itali equites, & pedites, littus lacus legentes, aggeres & valla, quæ campi erant, aggressi, capellettos aliquos in fugam verterunt: vbi tamen Nicolaus Liuara, locumtenens Lezzij, vni ex hostibus, qui se amicum finxerat, caput amputauit, & duos alios occidit. Melander suos à fuga retrahere satagit. Sed opportuno tempore Io. Petrus Gulerus, cum centum Salicæanis, superuenit; proindéque hostes in fugam acti fuerunt: tormenta etiam maiora in hostes sæpiùs explosa fuere. Ad castrum tamen Coderæ strenuè semper pugnabatur: & singularem laudem tam Salicæani, quàm Schauensteiniani, ibi meruerunt. Nam hostes multoties repulsi fuerunt, vt etiam naues ad discessum aliqui conscenderent. Ex hostibus vltra centum ceciderunt: imò fama fuit de quadringentis occisis, aut vulneratis. Inter mortuos fuerunt vnus Locumtenens Pappenheimianus, & quinque officiales: itémque Nobilis quidam Alexandrinus, equo vectus: ex vulneratis, Hippolitus Cribellus, Centurio maior legionis Serbellonianæ, capitaneus Gallus, Michaël

chaël Vinzius, locumtenens Centurionis maioris legionis Pappenheimianæ, & Jo. Petrus Brussatus (qui postea Capitaneus creatus fuit) & alij multi fuerunt. Ex exercitu Ligæ octo tantùm occubuerunt, & pauci aliqui vulnerati fuerunt.

Die Lunæ, XIV. Aprilis, equitatus hostilis Gordonam, & Mese vsque ad pontem Liri excurrit, & sexaginta pecora maiora abduxit. Die XV. Aprilis, & sequentibus, duæ turmæ equitum; vna, Germanici, Marchionis Sauorgnani; altera, Bartholomæi Portæ; & tres cohortes Escherianæ, nempe Colonelli ipsius, Hieronymi Oberriedij, & Michaëlis Humelij, item Joannis Baptistæ Subuiæ, Voltureni, & quinque Italæ, Peretti, Belloni, Richinobilis, Camilli Nicolini, & Francisci Pennaroli, & quatuor cohortes Albanensium, ex ditione Bergomensi in castris Ligæ in Valletellina appulerunt: cum eis Colonellus Comes Nicolaus Gualdus fuit. Frumenta etiam, & quæ necessaria ad bellum erant, semper ex ditione Veneta in castra aduehebantur. Respublica Veneta, in Germania, & Gallia etiam, militem conscripserat. Erat legio vna peditum sub Bernhardo Schauelizkio, qui etiam quinque turmas equitum duxit. Altera, sub Io. Petro Eschero, Tigurino: tertia, sub Paulo Vorstozky, Capliero, Bohemo: quarta, sub Erhardo Horneckero: Henricus Valletta, Fuxus, Dux Candalæ, nouem cohortes Gallorum; & Claudius, Comes Maugironus, quinque duxit. Die XVIII. Aprilis decem cohortes, mille octingenti milites ex legione Normandica (tota legio viginti cohortibus, quatuor mille militibus constat, & Tribunus militum Dux Chaunæ est) in Vallemtellinam venerũt. Capitanei erant, Ludouicus de Briançon-de la Saludie, Carolus Bellefontius, Eques Ioannes Vocaucourtius-Repairus, Rocarus, Henricus de Vernegue (qui in Valletellina obijt) Campaniola, la Magdalena, Biscaratus, Chamaranda, qui in Valletellina mortuus est; & ipsi suffectus fuit Iacobus Iamblius Monthenous; & Antonius Breuilius. Interea hostes aggeres lapidibus & terra constructos prope Nouatum à lacu vsque ad montem duxerunt. Die Lunæ, XXVIII. Aprilis, Locumtenens capitanei Peretti, & Sergentus Colonelli

Eſcheri, mandato Generalis, Vallareſſij, & conſilij bellici, ſcloppettorum ictibus Trahonæ ſupplicio militari affecti fuerunt. Criminatio erat, quòd cùm aliqui milites Coſij in templum intraſſent,& inde aliquid auferre voluiſſent, illi hoc non, vt decet, prohibuerunt. Prima Maij duæ naues iam in lacum emiſſæ,& cappelletti eis impoſiti fuerāt. Erat in vnaquaque tormentum bellicum,quod Prereria vocant: poſtea etiam alia nauis confecta fuit. Albanenſes diu noctúque in lacu vagabantur,vt hoſtium naues impedire poſſent: ſed parùm profecerunt. Nam hoſtes ſupra ſacellum S.Fidelis, quod infra Archettum eſt, itemque ad locum Pratellum dictum, tormenta duo maiora bellica collocauerant, quibus lacui ferè dominabantur, & in caſtra Verceij,& Campi,facilè pertingere poterant. Ex caſtris Ligæ, quoties naues hoſtium per lacum tranſibant,tormenta maiora etiam diſplodebantur : ſed raрò naues pertingebant. Die Dominica,XVIII. Maij,in terra,& lacu, Albanenſes, & aliqui Eſcheriani, hoſtes aggreſſi ſunt. Nouato equitatus hoſtilis cum peditatu exiuerat : ſed tamen hoſtes repulſi fuerunt, quos Albanenſes vſque ad pagum inſecuti ſunt. Octo ex hoſtibus ceciderunt. Ex noſtris,vnus capellettus mortuus, & ſignifer vnus cum milite, nec non Eſcherianus quidam, ſauciati fuerunt. Die Jouis, XXII. Maij, Ruinella, Jenatius,& Heerus,cum trecentis militibus,in montem ſupra Ripam miſſi fuerunt. Hoſtes autem non ſolùm ad Ripam ; ſed etiam ſuperiùs in loco eminenti,Montagnola,dicto,& aliis partibus montis,aggeres extruxerant. Chriſtophorus Roſenollus, locumtenens Ruinellæ, præmiſſus fuit, vt iterum ſtationem illam, vbi Ruinelliani antea fuerant, occuparet,qui,cùm depoſitis armis ſtruere aggeres voluiſſent,ab hoſtibus ſuperuenientibus depulſi fuerunt: tres capti,duo aqua ſuffocati fuere. Heerus ipſe verſus Vallem-Fubiam, qua Clauennam itur, deſtinatus fuit: reliqui in proximo monte ſubſtiterunt : vbi tum ſingulis diebus ſaxis & ſcloppettis certatum, atque hinc aliqui interfecti fuere. Die Sabbathi ſequēti,quatuor ex hoſtibus occiſi,& ſeptem puluere incenſo ſauciati fuerunt: ex noſtris duo interfecti, ſergentus Ioſſerus in brachio vulneratus fuit. Die Veneris,

ris, xxx. Maij, mandatum fuit, vt omnis exercitus extra aggeres Campi in castaneta produceretur, ibique duo tormenta magna cum aliis bombardis maioribus collocarentur, vt his Nouatum concuteretur. Ducenti selecti milites ex legione Normandica versus flumen Coderam præmissi fuerunt: sed hi citiùs, quàm oportebat, velitationem cœpere. Ex legione Salicæa, versus montem & castrum Codera, selectiores missi fuerunt: capelletti, cum aliis Venetis, in medio pugnare debebant. Sic ergo velitatio inchoata. Normanni, & Salicæi, strenuè instabant: & volones, Locumtenentes duo, Briançonus, & Samroques, ducebant. Et iam hostes à nostratibus vltra flumen depulsi, ex castris Nouati impedimenta nauibus importabant, & se ad fugam parabant. Sed cum Normandi maiorem numerum ex suis, & aliis (nam maxima pars exercitus Verceij & Campi erat) sibi subsidio mitti petiissent; hi non in tempore missi fuere. Culpa Vaubecourtio imputabatur: sed ipse, vt peritus miles, rationes suas etiam adducebat, militem tormentis maioribus expositum iri inquiens. Ex hostibus hac die octodecim occubuerunt, multique sauciati fuerunt: inter quos idem Michaël Vinzius, & Sergentus ipsius Pappenheimij, aliique officiales. Ex exercitu Ligæ occubuerunt Beltramus de Vaucocourte-Limagnus, Locumtenens, & frater equitis Ripairi, Normanni, Hofmannus, sergentus capitanei Heeri, & vigintiquinque milites, plerique Normanni: adhæc aduehendis tormentis maioribus destinati duo equites, vnus Gallus, alter Venetus, & equus vnus, ceciderunt. Multi vulnerati: inter quos capitanei Bellofontius, & Magdalena; item Claudius Oliuarius Lieuillius, eques Melitensis, & Locumtenēs Briançonus, fuere. Die sequenti Sabbathi ex monte saxa nostri demiserunt, ex quibus vnum solum vndecim hostes contriuisse dicitur. Comes Marcus Antonius Gualdus, nepos Comitis Nicolai, dum fortè extra castra ambularet, ictu tormenti maioris à Sacello S. Fidelis ab hostibus exonerato occubuit. Die Dominica, Kal. Iunij, Cappelletti nauiculam, in qua Sfondratus, Dux Montis-Marciani, Comiti Serbellono vinum & alia mittebat, cum tribus nautis ceperunt: ex Capelletis tamen vnus in

naui tormento maiori interfectus fuit.

Rhæti multoties apud Generalem, pro restitutione Vallistellinæ, Bormij, & Clauennæ, institerunt. Nunc ergo Comitatum Clauennæ, & Bormium, eis cessit: Egoque Clauennæ commissarius, die XVII. Junij, cum applausu populi, inauguratus, & receptus fui. Plurij Prætor creatus Lucius Scarpatettus, & in demortui locum Antonius Baselga suffectus fuit. Bormij Prætor factus Jacobus Paulus, Engadinus. Mense Junio, castrum Taraspum in Engadina fulmine tactum, maiori ex parte cum aliquibus tormentis maioribus combustum, & filia vna Præfecti, Joannis Jacobi Mori, mortua est. Die XXX. Junij, noctu, in vrbe Curiensi, ad portam superiorem, quindecim domus, & vndecim stabula, exarserunt. Antea die XII. Junij, Comes Serbellonus, tres rusticos Pradenses, & Malaguardinos, Ioannem Antonium del Piceno, Donatum del Beltramo, & Antonium Rampatum, ad locum Bellaspadam de arboribus suspendi iussit: accusauit ipsos, quòd exploratores Gallorum ad Ripam fuissent: Galli autem eis iniuriam factam esse dicebant. Die Sabbathi, XIV. Junij, Colonellus Pappenheimius, ad Ripam, & Nouatum, cum reliqua parte legionis suæ, venit. Habebat is vltimò septemdecim cohortes: prima ipsius fuit: eius Locumtenens Colonellus, Baro Magnus, duas habebat: cæterarum capitanei erant, Ferdinandus Christophorus Fuxus, Eques Ludouicus Perucius, Don Gregorius Gaettanus, Philippus Pappenheimius, Petrus Paulus Florianus, Joannes Baptista Bracciolinus, Joannes Tassis, Ambrosius Porrus, Thomas del Maëstro, Donatus Turnabonus, Gruenthalerus, Hauserus, Brocchus, Vissius. Eò pòst quoque venit cohors Comitis Alberici Lodroni, qui sub legione Comitis Aluici de Sulz erat. Pappenheimiani postea etiam, cùm ad minorem numerum redacti essent, aliquos capitaneos immutarunt. Vexilla militaria post lustrationem in castrum Fontæum miserunt. Interim comitia Badæ in Heluetia celebrata fuerunt, quò Rhæti consulem Gregorium Meierum miserunt, vt Heluetij quoque pro Rhætis, ad restitutionem Vallistellinæ in pristinum statum, intercederent. Erant ibi Legati, Gallicus, & Hispanicus. Gallicus

licus inter alia petebat, vt Heluetij Hispanis transitum, donec à Ripa discederent, præcluderent: Hispanicus instabat, ne aliqua auxilia in Vallemtellinam mitterent. Die Mercurij, IX. Julij, ducenti Pappenheimiani ab aliquibus rusticis Coderianis ducti, Vallem Coderam, & locum eminentem, S. Georgium, dictum, occuparunt. Ibi in excubiis quadraginta tantùm Salicæani, quibus Iosephus Cauffmannus, sergentus Guleri, præerat, collocati erant. Unus interfectus fuit; tres capti: puluis tormentarius eos defecisse dicebatur. Hostes castrum Coderæ iterum munierunt. Iidem noctu naues Verceio abducere conati sunt: sed cum damno repulsi fuerunt. Milites interim multi in Valletellina, & Clauennæ, morbis absumpti fuerunt. Itaque ex Rhætia aliquæ cohortes sub Ruinella, vti Capitaneo maiori, eò missæ fuerunt: quarum capitanei; Rigettus à Capaulo, Sexamniensis; Joannes Rigettus, & Thaddæus Bonalinus, Jacobus à Præpositis, Volfgangus à Juualta, Theodoricus Jecklinus, Casparus Frischius, & Zacharias Scarpatettus, Joannes Morettus, & Bernardus Masella, & Hartmãnus ab Hartmannis; quibus ex Heluetiis, Andreas Steinerus, Vitoduranus, & Joãnes Manshuoberus, dictus Sidenmannus, Rheinthalensis, adiuncti fuerunt. Per Rhætiam etiam hoc tempore Venetiis in Sabaudiam transiit Isaacus Vake, Eques Auratus, Legatus Regis magnæ Britanniæ, qui in comitiis Curiæ comparuit, Rhætosque ad constantiam, & incorruptã versus Ligam fidem exhortatus est. Ineunte mẽse Septembri, Jo. Jacobus Steinerus, Tigurinus Colonellus, cum octingentis militibus in Vallemtellinam venit. Capitanei, præter ipsum, erant, Jacobus Stapferus, in cuius demortui locum frater Rodolphus substitutus fuit; Io. Henricus Miltius, Glaronensis; Leonardus Cellarius, & Conradus Schussius, Abbatiscellani; Alexander Heideckerus, & Zuiggius Sarunetensis. Antea, mense Augusto, legio Tigurina Schmidiana, cùm morbis maximè imminuta esset, Tigurum, vt suppleretur, reuersa est. Mense itaque ineunte Octobri, supplemento suo aucta, in Vallemtellinam reuersa est. Hoc mense Septembri, Sondriũ in Valletellina etiam appulit legio Uraniensis. Erant octo cohortes (circiter mil-

le & octingenti milites) ſub Doctore Io. Henrico zum Brunnen, Colonello; capitanei erant, Joann. Bernardus Schmidius, Gedeon Strickerus, Joannes Jacobus Trogerus, Joannes zum Brunnen, & Petrus Judices, Joannes Theodoricus Planzerus, & Joannes Gama, Ponchinus, & Salomon Vittuilerus, Valtherus Trogerus, & Petrus Maderanus. Die Veneris, XII. Septembris, duo equites hoſtium propè Nouatum occiſi fuerunt. Die Dominica XIV. barachæ (tuguria militum) hoſtium ad Archettum ex vehementia venti combuſtæ, treſque milites & arma multa in igne perierunt. Die Dominica, XXI. Septembris, Aluiſius Georgius, Patritius Venetus, in locum Equitis Aluiſij Vallareſſij, qui febri vexabatur, in Vallemtellinam venit. Vallareſſus tamen aliquot dies adhuc manſit. Ante Georgium etiam aliquæ cohortes vltramontanæ ex diuerſis legionibus in Vallemtellinam venerunt ex Dominio Veneto diſtinctis vicibus : & nunc etiam aduenerunt tres turmæ equitum; vna, Aluiſij Comitis della Turre, Foro-Juliani; altera, Praromanni, Lauſannenſis; & tertia, Albanenſis, quam Locumtenens Scaramuccia regebat. Aduenit etiam mox ipſe Dux Candalæ, cum maiori parte legionis ſuæ; & poſt, Comes Maugironus. Hoſtes antè ad Ripam, & Nouatum, recenti milite aucti fuerunt. Scipio de Afflictis, Neapolitanus, cum quatuor turmis equitum aduenit. Sex etiam cohortes conſcripti militis, & ſedecim cohortes ex delectibus Ducatus Mediolani, ſub legione Balthaſſaris Biliæ, in confinia aduenerunt. Adhæc Pappenheimiani, quorum multi ad ſeſe recreandos in pagis proximi Larij lacus hæſerant, omnes in caſtra reuocati fuerũt. Generalis Cœuvræus, Balagninum, & Maubuiſſonum, Peſclauium, vt Clauennam irent, præmiſerat. Pariter Ruinellam, & Campaniolam, cum quadringentis militibus, in vallem vſque Malenchi, vt Clauennam irent, miſerat. Hoſtes de his, & aliis, certiores per exploratores ſuos facti, Campum, & Verceium occupare ſtatuerũt. Propterea Pappenheimius, Equitem Perucium, cum Bracciolino, Turre, & Giraldino, & ſeptingentis militibus, miſit, qui per montem altum ex valle Codera intra duos dies & tres noctes in vallem Rhætorum, quæ ſupra Verceium eſt,

vene-

venerunt. Locumtenens Colonellus Magnus, cum Io. Ambrosio Porro, Joanne Thaſſi, & Vareſino, qui ex Pecchianis eſt, & capitaneo nauium Martino Bernalo, Hiſpano, cùm ſedecim nauibus & quingentis militibus, verſus Verceium deſtinati: Petrus Paulus de Florianis, & Philippus Pappenheimius, cum quadringentis peditibus, & equitatu hoſtili, Campum adoriri iuſſi: tres denique cohortes Serbelloni, Franciſci Federiſij, Jo. Baptiſtæ Medicæi, & Petri Bruſſati, verſus Abduæ oſtium ordinatæ fuerunt, quæ cum Franciſci Viuis equitatu tribus ante noctibus continuè ibi irruptionem ſimulabant, vt exercitus Ligæ potiùs ibi, quàm Vercei & Campi occuparetur. Ex exercitu Ligæ Campi quinque cohortes Italæ, Peretti, Belloni, Richinobilis, Nicolini, & Pennaroli erant. Vercei quatuor Eſcherianæ; nempe ipſius Colonelli, Centurionis maioris, Joannis Friderici Fuxij, qui tamen ægrotabat, Oberriedij, & Hummelij: item duæ cohortes Schaualizki, nempe, Caroli Miey, & Ioannis Conradi Hippleri: vna, ex legione Horneckij, Fuxij, inquam, iunioris. Sed iſtæ omnes cohortes morbis continuis multùm imminutæ erant. Aderant etiam in monte aliqui Albanenſes, & Dalmatæ. Milites autẽ mille in vniuerſum vix erant. Locumtenens Colonellus Ulyſſes à Salis, noctu, cum trecentis militibus, etiam ad ipſos miſſus fuit: & Melander ipſe ſe eò contulit. Adhæc Generalis Vallium, Adiuuam Campi, & la Bouſſiere, tormentorum præfectum, etiam eò miſit. Locumtenens Colonellus Ulyſſes ſpontè ſua, cum ſedecim ſuis, in vallem Ratorum ſupra locum, della Mutta, dictum, vbi quadraginta Capelletti, & vigintiquinque Germani circiter erant, iuit. Sed hoſtes die Dominica, XXVIII. Septembris, manè iam cum volonibus ſuis eò appulerunt: vbi tam diu certatum fuit. Sed numerus hoſtium creſcebat: proindeque, ordine ſeruato, noſtri receſſerunt. Sergentus Guleri, Kaufmannus, & duo milites ibi interfecti fuerunt. Hoſtium quoque ſeptem deſiderati. Hi iam quoq; ſupra Campum, & Vicum, comparentes, ſcloppettorum ictibus ex vallis Italos, & alios, depulerunt. Qui in nauibus erant, etiam ad littus properarunt. Itaque cùm hoſtes vbique inſtarent; puluis nitratus incenſus fuit. Tormenta maiora fruſtrà, vt

dissilirent, tentatum. Locumtenens Colonellus Ulysses à Salis, cum quinque supra viginti moschettariis, inter vltimos semper mansit, & hostes ad saxum Corberij diu sustinuit, donec iam montem superare, & ipsum intercipere vellent; proindeque nostri inde ipsum vocarent. Hostes postea ipsi fassi sunt, quòd trigintaquinque ex suis amiserint, & vigintiquinque sauciati fuerint. Ex exercitu Ligæ tantùm septem, inter quos etiam quatuor Albanenses fuerunt, occubuerunt: tres capti, inter quos sergentus capitanei Marollis fuit. Hostes tres naues, & vndecim tormenta bellica, nacti sunt, duo, inquam, campestria, quatuor prererias, & quinque sagras. Aliqui Albanenses, & Dalmatæ, cùm ipsis iter ab hostibus præclusum fuisset, audacter sequenti nocte per custodias ipsorum hostium transierunt. Exercitus Ligæ, in aggeribus al Dosso, vbi Salicæi antea castra habuerant, per triduum permansit: sed cùm continuè plueret; castra versus Mantellum, Cinum, Cercinum, & vicina loca, commoditatis causa, promouerunt. Salicæani sex ex suis ad S. Julianum, qui locus in mõte supra ostium Abduæ est, in excubiis posuerunt. Noctu autem, die Dominica, v. Octobris, Pappenheimius, cum octo cohortibus peditum, & equitatu, versus Mantellum venit: quatuor ex illis Salicæanis ab hostibus occisi, & vnus captus fuit. Exercitus Ligæ ad pontem Gaydæ, & in vicinis locis, castra posuit, ibiq; aggeres & valla construxit. Hostes supra Trahonam, in monte, in templo S. Joannis, loco satis commodo, se communiuerunt. Die autem Martis, v i i. Octobris, à Generali, Georgio, Vallaressio, & Duce Candalæ, atque toto consilio bellico, decretum fuit, hostes summo manè aggredi. Itaque Melander cum suis, Albanensibus, & ducentis ex legione Ducis Candalæ, versus Mellum, & montem missus, vt inde ex sylua illos, qui ad S. Joannem erant, depellere posset. Præceps autem iter est, & per quatuor horas continuas ibi velitatum: tandem hostes loco pulsi fuerunt, qui octo tantùm ex suis se amisisse dicebant. Interim equitatus, cui Haraucourtius, vti Mareschallus campi, iussa dabat, versus Trahonam, cum quatuor cohortibus ex legione Normanica, Saludiæ, Bellifontij, Chamaranti, & Brueilij, & ducentis

tis Candalianis, quos Recourtius eius Locumtenens Colonellus ducebat, per planitiem tendit: & prout illi, qui in monte erant, ita & hi progressi sunt. Hostium equites infra Cercinum se ostentarunt: contra quos Maubuissonus, & capitaneus Albanensis, cum equitatu duarum turmarum missi, eos Mantellum vsq; fugarunt. Hostes in monte etiam recesserunt. Ab altera parte Abduæ, vbi valla ad S. Petrum erāt, capitaneus La Serra, cum suis ex legione Vaubecourtij, (Vaubecourtius iam antea in Galliam profectus erat) & Colonellus Steinerus, cum legione sua Tigurina, ad Abduę ripam, versus Mantellum, incedebant: atque cum eis Beniamin Popincourtius Vallius, qui officio instruendæ aciei *(Sergent de bataille)* fungebatur, & la Boussiere, præfectus tormentorum, qui tormentum campestre ad vsum parauerat, erāt. Salicæani ad custodiam montis erāt: & equitatus Gallicus exspectauit, vt, si hostes Mantelli ad pugnam protrahi possent, Abduam statim tranaret. Sed hostes, cùm tormentum contra ipsos displosum fuisset, recesserunt. Militem quendam Germanum, Bock nominatum, nostri captiuum fecerunt, ex quo de hostium statu cognoscere potuerunt. Pappenheimius deinde Vallemtellinam cum suis reliquit. Die Dominica, XII. Octobris, milites, qui Clauennæ erant, septem equos propè Ripam in pascuis inuētos Clauennam adduxerunt. Antea etiam Bruckeriani milites tres alios ibi adepti fuerant. Die Mercurij sequenti, XV. Octobris, hostes Malaguardam, & Gordonam vsque venerunt, & centum septuaginta pecora maiora abduxerunt. Die XXII. Octobris, legio Manassæ de Paz Feuquierij, ex Gallia in Volturenam appulit. Erant decem cohortes, mille, nempe, milites. Capitanei erant, Arthus des Friches-de Brasseuse, Daniel de Hardaucourt, Franciscus de Velles-de Sainct-ferieux, Franciscus Galliardus-de Fayet, & in demortui locum Fontana-Cayus, qui etiam obijt, & eius cohortem Arnoldus habuit, Du puy, Charon Ameri, Carolus Mussettus de Bonauentura; in demortui locum, Franciscus Cheryus, Henricus de Chatres-chervillius, & Franciscus Villars de S. Christophoro. Die eadem aliqui equites Veneti, tres equites Ciapani ad Salicatam ceperunt. Die Dominica, II.

Nouembris, Haraucourtius, Mareſchallus campi, ex Vallecellina Clauennam venit: atq; cum ipſo fuere turmæ equitum Praromanni, Maubuiſſoni, & vna Albanenſium, cuius capitaneus Coccha abſens erat: item legiones Salicæa, & Schauenſteiniana, Rhætique illi, qui ſub Ruinella erant, atque tres cohortes ex legione Feuquieriana de Sainct-ferieux, de Fayet, & Villarij S. Chriſtophori; Comes etiam Claudius Maugironus, cum ſua cohorte, vnáque Iacobi Vineæ, & Ioannis Saugis, qui in locum Dauidis Curtenbatti, mortui, ſuffectus fuit. Die Lunæ ſequenti, ductore Maugirono, ſub noctem, verſus montem Peſchè pars peditatus ſelectior profecta eſt. Nam decretum videbatur, vt hi, ſi montem ſuperare poſſent, inde, itémque Archetto, Franceſca & Datio, hoſtes depellerent: vt in anguſto illo loco Abduæ pons ſtrueretur, ſicque vires cum exercitu in Valletellina coniungi poſſent. Sed propter niues, & noctem opacam, nihil effectum fuit. A parte Vallistellinæ, Melander, cum mille & quingẽtis Veneticis, mõtem altum ſupra Verceium conſcendit. Capitaneus Marolles verſus S. Georgium, cum aliquo milite, miſſus fuit. Melander die condicta Martis, IV. Nouembr. Verceium vſque, cum quadraginta moſchettariis, venit, & cum hoſtibus, qui ibi turriculam in oſtio vallis Ratorum conſtruxerant, velitatus eſt. Eademque die copiæ reliquæ verſus oſtium Abduæ productæ: vbi, cùm La Bouſſiere, præfectus tormentorum, dirigendo tormento campeſtri occupatus eſſet, hoſtes tormentum maius ex nauibus exonerarunt, ipſéque gladio in coxendicem per globum tormentarium acto, ſauciatus, die ſequenti ex vulnere deceſſit. Erat vir indefeſſi laboris, & rei tormentariæ maximè peritus. Ipſi Lambertus de la Moliere ſuffectus fuit. Albanenſis quidam in eodem loco per globum tormentarium caput amiſit, & alius in talo ſauciatus fuit. Sicq; cùm à parte Clauennæ nihil efficeretur, & hinc re infecta diſceſſum fuit. Die Lunæ, XVII. Nouembr. quingenti milites ſub Sainct-ferieux, Stephano Thiſio, Andrea Steinero, & Ioanne Sturlero, Locumtenente Bernenſi cohortis Ioannis Friſchingi (qui in demortui Vingartneri locum ſuffectus fuit) per Vallem Bodengi, & Alpes Campi, profecti, die ſequenti ad ſum-

ad summitatem montis venerunt, vt inde custodias ad Archettum aggredi possent. Sed niues & venti iterum conatus irritos reddiderunt. Duo milites Galli, vnus Bernensis, & rusticus vnus Gordonensis, frigore perierunt. Die autem Mercurij sequenti, Ruinella, ante lucem, custodias hostium supra Archettum aggressus est, & tota dies velitando consumpta fuit. Ex hostibus tres mortui sunt, & septem sauciati: ex nostris quidam Bernensis interfectus fuit. Caporalis Tiberij Massæ, Alphonsus de Saro, qui ibi ad Archettum fuit, postea Clauennam venit, & affirmauit, quod in procinctu tunc fuerint Archettum derelinquendi. Die Martis, XXVIII. Octobris, anteà Colonellus Io. Iacobus Steinerus, Tigurinus, Berbennij in Valletellina obijt. Erat vir sincera antiqua virtute Heluetica præditus. Die verò seque̅ti Mercurij, Colonellus Rodolphus Salicæus, Baro à Salis, Mala̅sij in Dominio Maiævillano diem extremum obijt. Et hic vir iuuenis, litteris, & virtutum omnium genere nulli secu̅dus erat. Ipsi frater Ulysses in Colonelli gradu, in capitanei verò frater Carolus, suffecti fuere. Interim legio Vaubecourtiana, quæ multùm imminuta erat, dimissa; Schauensteiniana verò, propter quædam dissidia, quæ in Engadina inferiori inter Capuccinos & Protestantes, propter templa erant, eò sub capitaneo Rodolpho Trauersio, qui eam in absentia Colonelli regebat, missa, tandémque res authoritate Generalis composita fuit. Kalendis deinde Januariis, M.DC.XXVI. cùm etiam pauci milites sub ea essent, eadem ad tempus dimissa fuit.

Rhæti, me̅se ineu̅te Decembri, nouem Deputatos in Vallemtellinam ad Generalem miseru̅t, vt nempe, ipsis, virtute tractatus Madrilliensis, regionem restitueret. Hi fuere; Rodolphus à Marmore, Volfius à Montalta, Casparus à Schauenstein, Christophorus Lhenerus, Fortunatus à Juualta, Joannes Victor Trauersius, Paulus Buolius, Paulus Valtherius, & Huldricus Buolius. Aliquandiu isti in Volturuna manserunt; atque sedecim articuli compositionis inter Rhætos, & Volturenos, propositi: quorum substantia hæc est: Rhæti veniam Vallistellinis, antea concessam, in perpetuum confirment. Iidem in gratiam confœderatorum

Principum, à quibus ipsis libertas restituta fuit, permittant, vt in dicta Valletellina nullius alterius Religionis, quàm Catholicæ Apostolicæ Romanæ, exercitium locum habeat: & vt Vallistellini Dominis suis Rhætis magis fideles proinde sint. Vallistellini Protestantes, quotannis per tres menses, sed interpolatis vicibus, venire, ibique habitare possint: & qui bona sua diuendere voluerint, communitates æquo pretio ea emere teneantur: ipsique interim redditibus suis frui possint. Si quæ bona Ecclesiastica à Protestantibus in Valletellina vsurpata fuerint, Ecclesiis restituantur. Ad petitionem Principum confœderatorum, atque vt Vallistellini conquerendi ansam non habeant, Rhæti concedent vt posthac in perpetuum Judicia, ciuilia & criminalia, à Vallistellinis administrentur: qui certum numerum nominare possint, & ex eis Rhæti magis idoneos pro iudicibus secernant. Electis illis Judicibus litteras authoritatis (patentes vocant) administrandi iustitiam Rhæti sine alio onere, præter salarium ordinarium, dabunt & expedient. Reseruant tamen sibi Rhæti ius impertiendi gratiam in casibus gratiam admittentibus. Pro compensatione, quòd Vallistellini iustitiam administrare possint, Rhætis quotannis certa pecuniarum summa (quæ tamen non exprimitur) à Vallistellinis pendatur, & hoc sine præiudicio pensionis, quam antea etiam Vallistellini soluerunt. Quæ ab anno M.DC.XX. vsque ad hunc diem in tumultibus hisce bellicis, quoad furta & homicidia, acciderunt, obliuioni mandentur. Census quoque, ab anno M.DC.XX. vsq; ad annum M.DC.XXIV. ex decreto consilij Vallis exacti, non repetantur: saluo tamen iure; si quid ex dolo & collusione cum emphyteutis, & aliis, acciderit, veris possessoribus, & creditoribus id restituatur. Sententiæ etiam, parte non audita, latæ, annullentur. Sententiæ Tusciæ, & Dauosij, à Tribunalibus censoriis latæ, vti etiam omnia inde dependentia, apochæ, aliæque obligationes, tam Religionem quàm Iustitiæ administrationem concernentes, abolitæ sunto. Rhæti in dando prætio monetæ videbunt, vt ea etiam, quantum fieri potest, in Dominio Principum vicinorum cursum & valorem habere possit. Rhæti etiam sibi reseruant omnia alia iura summi impe-

imperij, quæ ad supremum Principem pertinere solent. Isti articuli effectum nullum sortiētur, quoad à Rege Christianissimo, & Principibus confœderatis, non approbati fuerint. Summo quinetiam Pontifici communicabuntur, qui, procul dubio, eis acquiescet, cùm negotium religionis stabilitum, & illi idoneè cautum fuerit, omniaque ad pacem firmandam directa fuerint. Rhæti, & Vallistellini, in præsentia personarum à Principibus confœderatis nominandarum, executionem & obseruationem horum articulorum promittent. Et Catholici Voltureni his articulis, qui in meliorem formam redigi debent, gaudento. Porrò Rhætorum Commissarij authoritatem nullam habuerunt recedendi à tractatu Madrilliensi: adeóque re infecta domum reuersi sunt. Die Veneris, XII. Decembr. nouem milites ex cohorte de Sainct-ferieux in Cauallia (locus hora vna supra Pesclauium versus Engadinam est) cùm vinum equisonibus aliquibus Dauosianis, & Rhetigoiis, ebibissent, rixa orta, fustibus interfecti fuerunt. Eodem mense Decembri legiones duæ; vna, Hērici d'Amboise, Marchionis de Bussy; (qui ipse etiam aduenit) altera, Alphonsi Monlucij, Marchionis Balagny, ex Gallia in Vallemtellinam venerunt. Habebat quisque duodecim cohortes, mille nempe & ducentos milites. Capitanei legionis Bussianæ erant, Ludouicus de Castres-Micherius, Nettancourtius, Couvreau, de Fay, Lude, Davanne, Bolias, Sommieres, Armeville, Bussemont, Eques Boge. Capitanei legionis Balagnianæ; Renatus Bourso-vausus, Maricourtius, Sawigny, Fayet, La Sale, Baliuerius, Voisinus, Maigrinus, La Berte, Marigniere, La Fage, centurio maior. Venere etiam ducenti equites Galli, qui turmis, in locum mortuorum, eorúmque qui domum redierant, inserti fuerūt. Legio Bruckeriana, ineunte anno M.DC.XXVI. Clauenna ad cliuum S. Lucij, & Dominium Maiævillanum venit: qui ibi erant, dimissi; & Colonellus Bruckerus Gubernator ibi creatus fuit.

Die Dominica, XI. Januarij, M.DC.XXVI. hostes, quinquaginta, nempe, equites Scipionis de Afflictis, & quinquaginta pedites Pappenheimiani, sub Adamo Schmidt, Sergente Fuxij, ad aggeres, qui Pizzij infra Clauennam erant,

venerunt,duos occiderunt,& quinq; sauciarunt. Sed nox à superueniente milite Rhætico repulsi fuerunt. Die sequenti,statim post auroram,iterum cum ipso Centurione maiori Fuxio reuersi,aggeres circumdare volebant. Sed iam nostri magis parati erant. Vernolius,Certonus,filij Haraucourtij,Launeus signifer Maubuissoni, Colonellus Ulysses à Salis,Ruinella, Jenatius, Thomasinus, Rosenrollus,Steinerus, Joannes Antonius Pestalozza, aliique equis vecti, cum duodecim moschettariis,eos exceperunt,& extra pagum Samolicum vsque ipsos insecuti, duos pedites ex eis ceperunt. Generalis deliberauerat Clauennam, vt locum conspiceret, per Engadinam venire, jamque Sondrium vsque profectus erat. Sed hostes se ad occupanda valla, & aggeres,qui sunt infra Cosium ad S.Petrum,præparauerãt. Et expeditio à Volturenis rebellibus exulibus facilis illis persuadebatur: nam aiebant,minùs diligenter excubias ibi agi. Sed in aggeribus erant milites ex legione Uraniensi,& Cosij Tigurini castra habebant,qui vigilantes satis vtrique erant. Ipsis tamen ad aggeres adhuc ducenti Galli legionis Candalianæ adiuncti fuerunt. Dicta ergo die Dominica, Pappenheimius, qui Jacobum Robustellum, & alios etiam Volturenos secum habebat, assumptis mille militibus, sub noctem vltra fortalitium Fontæum profectus est. Sed per exploratores statim certiores redditi de vigilantia militis in aggeribus,re infecta reuersi sunt. Cùm deinde Pappenheimiani Gleram (pagus ad Larium lacum est) rediissent,in castra ad Ripam reuerti noluerunt, & Sorici, & Gleræ, aliquas ædes spoliarunt. Ad Ripam ergo Petrus Brussatus, cum ducentis & quinquaginta Italis, missus fuit, & in locum Pappenheimianorum quinque cohortes ex legione Volfgangi, Comitis à Mansfeldt, venerunt; videlicet, Georgius Rodolphus à Kerbiz,Ioannes à Ponnicka,Georgius Ludouicus Moserus, Carolus à Romiz, & Ioannes Richterus, qui Nouati mense Februario mortuus est. Habebat iste Comes, præter legionem equitatus, duodecim cohortes peditum. Capitanei alij præter nominatos, cohortemque ipsius,erant, Locumtenens Colonellus Theodorus Camarghus, Thamus Vicethummus, centurio ma-

ior, Volfgangus Vinckelmannus, Daniel à Scliben, Augustinus Vicethummus, & Joannes Volfgangus à Schaniau. Interea in Valletellina in constructione duorum fortalitiorum, vno infra oppidum Trahonam; altero, infra oppidum Tiranum, continuatum fuit. Erat vtrumque quadrangulare. Architectus Trahonensis fuit Joannes Fabri, Gallus: Tiranensis verò fortalitij, Eques Franciscus Tenzinus, Cremonensis. Tiranense altero duplo spatiosius erat. Atq; his duobus fortalitiis Vallistellina ab inuasione hostium versus arcem Fontæam, & transitus ille liber ex Rhætica in Venetam ditionem conseruari potuisset. Fortalitium etiam Bormiense structura auctum fuit. Porrò aduenit etiam in Vallemtellinam turma equitum Claudij de Lisseras, d'Anderni, Lotharingi. Erant centum viginti equites egregiè instructi. Turma Iacobi Damasi Chalansæi, cùm ad paucos redacta esset, dimissa fuit.

Antea mense ineunte Decembri, Franciscus Bassompetra, Tribunus equitum Franciæ *(Mareschal)* & Colonellus generalis Heluetiorum, & Rhætorum, in Gallia, Solodurum in Heluetiam, vti extraordinarius Legatus Regis Christianissimi, venit. Die vndecima Januarij comitia Heluetiorum Soloduri indicta fuerunt: vbi tum Marischallus, inter alia, etiam proposuit, vt Heluetij ad tractatus Madrilliensis executionem concurrerent, & eis, qui tractatum impedirent, transitum præcluderent. Rhæti Consulem Gregorium Mejerum etiam eò miserunt, vt idem sollicitaret. Nuncius Apostolicus Scapius quoque ibi petebat, inter alia, vt Heluetij, donec Papæ depositum Vallistellinæ restitutum esset, se promissis non grauarent. Caspar Sainus, Decanus capituli Curiensis, pro Episcopatu, Vallemtellinam petiisse, & vt Rhæti articulos Curiæ mense Decembri, anno M.DC.XXIII. & mense Januario, anno M.DC.XXIV. cum Nuncio Apostolico stabilitos confirmarent, atque Heluetij circa restitutionem Vallistellinæ hæc expressè adiungerent, postulasse perhibetur. Heluetij vnanimi consensu in hoc concurrebant, vt Volturena, & alia loca, Dominis legitimis Rhætis restituerentur. Catholici tamen addebant, quòd summopere ex-

petant, nullum aliud exercitium quàm Religionis Catholico-Romanæ in Valletellina esse, & officiales, qui eò mittantur, nonnisi Catholicos Romanos esse debere: denique pacta cum Nuncio Apostolico inita seruari se cupere. Cursorem cum deliberatione in scriptis Catholici Heluetij ad Pontificem, & Cardinalem Barbarinum, Romam misere, & Pontificem, vti Pastorem vniuersalem, ad pacem exhortati sunt. Pontifex, die XVIII. Februarij, eis respondens, inter alia, miratur, quòd seueritati Hæreticorum Grisonum (vti ipse loquitur) Vallistellinos Catholicos iterum submittere velint: & conqueritur, quòd vexilla Ecclesiastica in Valletellina violata fuerint, bellumque hoc præter ius causæ, & opinionem Italiæ, susceptum fuerit: adhæc; de bellico suo apparatu innuit, citans dictum Esaiæ Prophetæ cap. 48. Maledictus homo, qui prohibet gladium suum à sanguine. Mentionem etiam facit Legationis Francisci Cardinalis Barbarini, nepotis sui, qui in Hispaniam missus fuit. Pontifex tres legiones peditum sub Magistris campi, Commendatore Nario, Josepho Ginetto, & Alexandro Sacchetto; (erant circiter sex mille pedites) & sex turmas equitum in Ducatum Mediolani postea misit, vt in bello Voltureneni se cum Hispanis coniungerent. Locumtenens verò Generalis harum copiarum Pontificiarum fuit Torquatus Contus, Dux Guadagnoli, nobilis Romanus. Die Martis, X. Februarij, Certonus, & Launæus, quatuor milites Italos propè Ripam ceperunt, qui postea dimissi fuerunt. Die XII. Martij, Bellefontius, & Bruolius, Normanni, cum triginta militibus, saxo Corberij conscenso, Mansfeldianos, qui ibi in excubiis erant, adorti sunt: duos ex hostibus captiuos fecere: vnus præceps ruit, & tres sauciati fuerunt. Die XVIII. Martij, Vernolius, & Certonus, Rosenrollus, & Joannes Costa-La Borda, locumtenens Ienatij, cum aliquibus equitibus, versus Ripam profecti sunt, ex Mansfeldianis vnum occiderunt, quinque sauciarunt, & septem captiuos fecerunt, qui postea, lytro persoluto, dimissi fuerunt. Pappenheimius, qui Gubernatorem generalem Ripæ, & aliorum locorum, qui in potestate Hispanorum erant, se nominabat, ad vindictam se parauit. Die Veneris, III. Aprilis, cubicula-

culárium ſuum habitu ruſticano, vt montem ſupra locum Pizzij exploraret, miſit. Ipſe verò, qui celeribus equis Mediolano aduenerat, die Lunæ, VI. Aprilis, cum mille & ducentis ex legione ſua, & centum Italis, quos Caſparus Paulus Bombobellus ducebat, ante lucem montem conſcendit: Partem autem militis huius Ferdinandus Chriſtophorus Fuxius, centurio maior, per planitiem, & Scipio de Afflictis, equitatum ducebat. Die Dominica autem præcedente, ſub noctem, per fidum Clauennenſem, qui à ruſticis edoctus fuerat, de hac expeditione Pappenheimij aliquid innotuerat. Itaque Bordæ mandatum fuit, vt excubiæ in monte agerentur: proinde aliqui eò miſſi fuerunt. Sed Io. Iacobus Knitelius, Friburgenſis Briſgoius, caporalis ſub cohorte Ienatij, cùm Pappenheimiani aduenirent, eis in monte obuiam iuit, putans, vt aſſeruit, milites Roſenrolli eos eſſe; prouti duo transfugæ in eis erant; adeoque ipſe, aliique duo, capti fuerunt. In planitie hoſtes aggeres ad Pizzium etiam aggrediuntur, milites Ligæ expellunt, aggereſque deſtruunt. Colonellus verò Ulyſſes Salicæus confeſtim aliquos ex ſuis in montem, ſupra Lotenum pagum, mittit: eoq; ipſe quoque capitaneus Ioan. Petrus Gulerus proficiſcitur. Colonellus Iacobus Ruinella, quantumuis ægrotus, equum etiam conſcendit (hic iam legionem mille militum ſub capitaneis, Georgio Ienatio, centurione maiore, qui, vti & Ruinella, duas cohortes habebat, Chriſtophoro Roſenrollo, Theodorico Ieklino à Rhætia alta, Caſparo Friſchio, Petro Segino, Fortunato Sprechero, nepote meo; Florio Buolio, & Antonio Belino, regebat) Fortunatus Sprecherus ad Monaſterium in Donna cum ſuis conſtitutus fuit; vbi hoſtes, vti etiam in monte, fortiter repulſi fuerunt. Eques Philippus Trottus, cum quadraginta Italis, qui quatuor tympana habebant, ad diruptum caſtrum Gordonæ venit. Bernatum maior pars in caſtro Clauennæ collocata fuit. Cohors Guidonis Nouocaſtrenſis, cũ aliquibus aliis, ad oſtium Liri, aggeribus lapideis impoſita, contra Pappenheimianos indefeſſè ſcloppetta exonerauit. Ex caſtro Clauennæ tormenta maiora verſus campanile S. Euſebij Pradæ, quod hoſtes conſcenderant, diſploſa, hoſteſque inde pulſi fuerunt.

Capitanei Certoni equus ſub eo ſaucius cecidit, quem hoſtes deinde nacti ſunt: & erat ex eis,quos antè à Ripa Galli abduxerant. Ab hora ſeptima matutina ad quartam pomeridianam ſemper ſcloppettis certatum fuit, & nullus miles, excepto ruſtico quodam, quem hoſtes occiderunt, occubuit. Equitatus,quem Certonus,vti etiam peditatus Ligæ, quem Colonellus Ulyſſes ducebat,hoſtes aliquamdiu inſecuti ſunt: vbi Scipio de Afflictis à quodam ſatellite Colonelli Ulyſſis in crure ſcloppetti ictu vulneratus: quatuor alij etiam ſauciati fuere. Ex noſtris vnus leuiter ſcloppetti ictu petitus fuit. Capitaneus Carolus à Salis, Pappenheimianum militem captiuum fecit. Ex eo numerum hoſtium cognoſcere datum fuit. In principio pugnæ in oppido Clauennæ rumor de ingenti numero hoſtium percrebuerat,vt Haraucourtius ipſe rebus & numero impari militum minùs fideret. Sed à filiis ipſius, colonello Ulyſſe, Joan. Petro Gulero, me, & aliis, militi animus additus fuit: & ipſe Haraucourtius etiam ſtrenuè vices ſuas obijt. Eodem menſe Aprili ſeptingenti milites ad complendam legionem Normannicam in Vallemtellinam venerunt. Hoc menſe etiam, cùm exercitus Pontificis in Ducatum Mediolani aduenisſet, adhuc mille Bernenſes, & mille Tigurini, conſcripti fuerunt. Bernenſium capitanei ſub eodem colonello Nicolao Dieſbachio erant, Abrahamus Jennerus, Nicolaus Dieſbachius, Imberti filius, Hartmannus Erlachius, & Sebaſtianus Chaſſeur. Hi in vallem vſque S. Jacobi verſus Clauennam venerunt. Tigurini, ſub colonello Caſparo Schmidt, qui etiam legionem Colonelli Steineri regebat, venerunt in Quatuorpagos extra Curiam. Capitanei erãt, Joſephus Verdmullerus, Caſparus Huldricus, Eſcherus, & Schuerzenbachius, Joannes Henricus Verlius, & Joannes Æſchmannus. Hi poſtea, cùm de pace Monzoni in Arragonia inita innotuiſſet, die XXIX. Maij dimiſſi fuerunt. Colonellus Rodolphus à Schauenſtein etiam nouam legionem, mille nempe milites, in Rhætia conſcripſit. Erant capitanei; Locumtenens Colonellus Antonius à Molina, qui poſtea menſe Junio poſt reſignationem Schauenſteinij Colonellus factus eſt; & cohortem Colonelli Schauenſteinij ipſius

nij ipſius filius Henricus à Schauenſtein, Locumtenentis Colonelli titulo inſignitus, habuit: reliqui; Joannes Simeon Florinus, Carolus à Marcha, Hercules à Mõte, Ioannes à Marmore, Riſius Montalta, Georgius Planta, & Joannes Saluzius. Hi in Comitatum Clauennæ primò venerũt, & deinde menſe Septembri in Vallemtellinam vocati fuerunt, & in ipſorum locum legio Feuqueriana venit. Eodem menſe Aprili, cùm iam in Rhætia de articulis Monzonianis fama allata eſſet, Senatus Rhæticus ad Regem Chriſtianiſſimum litteras exarauit, rogauitque, vt Rhætis non auditis, nihil in hac re ſtatuere, aut concludere vellet. Et Colonellum Io. Gulerum à Veineck, ad Generalem in Vallemtellinam, vt negotia Reipublicæ Rhæticæ ſollicitaret, miſerunt, qui totam æſtatem etiam ibi permanſit. Die Dominica, XVII. Maij, Colonelli, Ulyſſes, Ruinella, & alij Capitanei, verſus Archettum, deambulãdi gratia, egreſſi ſunt. Hiſpanorum excubiæ ſtatim ſuos ad arma vocarunt, atque tum capitaneus Roſenrollus in fronte ictu ſcloppetti; ex hoſtibus verò quidam in genu, vulnerati fuerunt. Et hic vltimus fuit in hoc bello cum hoſtibus congreſſus.

Die Veneris, XXII. Maij, cùm ruſtici Gerolæ in valle Bitti aliquos milites ex legione Balagny occidiſſent, & ſe inobedientes præberent; maior militum numerus eò miſſus, & aliquæ ædes ibi combuſtæ fuerunt. Die XXV. Maij, Caſparus à Schauenſtein, Cazij in Tomiliaſca à Riſio Hungero, & aliquibus militibus Bernenſibus, quos Hungerus mendaciis à cohortibus abduxerat, noctu in ædibus ſuis, cum ſpoliatione aliquorum mobilium, occiſus fuit. Riſius ipſe Hungerus, cum duobus Bernenſibus, in valle Miſaucina captus, atque ipſe, alterque ex Bernenſibus, ibidem capite truncati ſunt: & alius Bernenſis ad cliuum S. Lucij etiam capitis pœnam ſubijt. Menſe Iunio, Colonellus à Schauenſtein, & conſul Gregorius Meierus, ad comitia Heluetica Badenſia miſſi fuerunt, vt Reipubl. Rhæticæ negotium circa articulos pacis commendarent. Legio Bernenſis ad cliuum S. Lucij miſſa; Bruckeriana dimiſſa fuit. Legio Salicæa ad Supraſaxenſes Cathedrales Clauenna venit: deinde, exeunte menſe Auguſto, ad cliuum S. Lucij deſtinata, & Ber-

nensis, vti etiam Uraniensis dimissa fuit. Ita Colonellus Ulysses Salicæus vsque ad dimissionem exercitus ibi mansit, & Gubernator creatus fuit. Ruinelliani Pesclauium missi, & postea in Vallemtellinam vocati fuerunt. Eques Petrus in Alben, Valesianus, cùm Bormium equitare voluisset, intra Grosium, & Tiolum, rixa orta, à Jacobo, Comite Sancti Viti, ex turma capitanei Panigaij, mense Julio occisus fuit. Erat iuuenis vir, litteratus, & virtute heroica conspicuus. Ipsi deinde suffectus fuit Joannes de Supersaxo: sicuti & Riedtmattero seniori mortuo, Michaël ab Oberdorf. Capitaneus Thomas Strussa, qui strenui ductoris nomen iamdudum acquisierat, cum Locumtenente suo, propè Talamonam ab signifero Renesij iunioris, & aliis, consulto consilio, vt dicitur, ictibus scloppettorum etiam interfecti fuerunt. Angelus Franzus, nepos Strussæ, turmæ deinde præfectus fuit.

Pro executione pacis Monzoni stabilitæ, Rex Christianissimus Carolum Albaspinæum, Marchionem Castelnouum, Cancellarium Ordinum Regis, per Subalpinam regionem Venetias misit. Plusquàm mensem ibi permansit, & honorificè habitus, atque in itinere à milite Veneto egregiè instructo vbique exceptus fuit. Quantum ex litteris Ducalibus ad Prouisorem Aluisium Georgium in Vallemtellinam missis cognosci potuit, Respublica Veneta respondit, Se velle independentem esse. Simul verò Legato præiudicia, quæ in articulis pacis sunt, Senatores diffusè deduxerunt, & demonstrarunt, quis effectus futurus sit: cœterùm bonam amicitiam se cum Rege Christianissimo fouere & colere velle, contestati sunt. Sedulò Legatus in id incubuisse dicitur, vt si, vel Rhæti, vel alij, executioni se opponere vellent, Veneti nullo modo eos adiuuarent. Kal. Septembr. Vallemtellinam ingressus est Legatus. Caspar Molina, qui colonello Gulero adiunctus erat, in confiniis, nomine Rhætorum, eum excepit. Sondrij postea Gulerus, colonellis, & capitaneis Rhæticis cinctus, eum adiuit, & iura & grauamina Rhætorum copiosa oratione exposuit. Legatus se satis beneuolum ostendit, cæterùm Regem securitati religionis Catholicæ præcipuè incubuisse, & hanc capitulatio-

lationem vnicum medium expediens ipsi visum fuisse dixit. Generalis Cœuvræus à Rege Christianissimo etiam, vti extraordinarius Legatus, vnà cum Castelnouo, in hoc negotio nominatus, prætereaque ab eodem Rege honore Tribuni equitum Franciæ (Mareschalli) decoratus, atque deinde; mense Aprili, anno M.DC.XXVII. solito more in numerum Tribunorum equitum ascitus fuit.

Die Veneris, XI. Septembris, Pesclauij in Rhætia comitia indicta fuerunt: quò Rhæti miserunt Joannem Simeonem de Florino, Præsidem Fœderis Grisæi, Christophorum Lhenerum, consulem Curiensem; colonellum Joannem Gulerum, nomine Præsidis Dauosiani, colonellum Rodolphum à Schauenstein, Casparum à Molina, Fortunatum à Juualta, colonellum Andream Bruckerum, Doctorem Jacobum Schmidt, & me. Die Lunæ, XIV. Septembris, Generalis, & Castelnovus, Pesclauium venerunt, & capitulationem Monzonianam proposuerunt, cuius tenor hic est: Reditus Legati Cardinalis Barbarini ex Gallia in Italiam absque vlla conclusione deliberationum in Gallia habitarum, occasionem variis de hoc negotio sermonibus peperit. Legatus Gallicus (N. Angennes-de Fargis, gener Rochepoti erat) qui in Hispania est, mandatum à Rege suo accepit, vt inquireret, num difficultas, quam dictus Cardinalis Barbarinus quoad supremum Dominium Grisonũ (propter quam solam negotiatio Cardinalis nullum effectum sortita fuit) mouit, ex instinctu & intelligentia Regis Hispaniæ allata, & data fuerit. Qui cùm hæc Comiti Oliuares, Duci de Sancto Lucero, dixisset; simul eidem vlteriùs declarauit, quàm directè hic articulus Superioritatis reputationem Regis Christianissimi cernat. Ad quam declarationem Comes Oliuares respondens, verbis tam generalibus, quàm specificis, & clarè expressis testatus est, quòd nec directè nec indirectè à Catholica Maiestate tractatum, aut propositum sit aliquid cum dicto Cardinale, vt verbum vllum alicui articulo ex parte Hispaniæ in Gallica illa negotiatione insereretur, quodq; certus sit, nullam rem mundanam, quæ verè & reipsa reputationi Regis Christianissimi contraria sit, Maiestatem Catholicam nullo vnquam tempore desidera-

re aut gratam habere posse: atque etiam in rebus concernentibus Vallemtellinam, scopum vnicum Regi Catholico fuisse propositum, securitatem Religionis Catholicæ in dicta Valle, & comitatibus Clauennæ, Bormiique, cum exercitio libero, perpetuo, & tranquillo dictæ Religionis Catholicæ Romanæ: vtpote qui finis principalis Catholicæ Maiestatis in omnibus suis actionibus sit. Legatus Gallicus hanc responsionem acceptauit, & nomine Regis sui desiderium Maiestatis Catholicæ, non præiudicandi reputationi Regis Christianissimi in rebus iis, quas Catholica Maiestas cognoscere potest reputationem Regis Christianissimi cõcernere, gratum habuit. Proinde, cum in hac bona dispositione vtrinque essent; de pacificandis rebus in Italia inter ipsos deliberatum, atque ad sequentes articulos deuentum fuit. Atque primò & conformiter pro articulo indubio, Reuerentia, & veneratio suæ Sanctitatis, & sanctæ Sedis Apostolicæ, & tanquam causa prima, & impulsiua huius tractatus, Nomen suæ Sanctitatis, constituta. Articuli autem viginti sunt: videlicet; Regiæ Maiestates, desiderantes mutuam amicitiam, sicubi aliquantùm propter incidentia inter Rhætos & Volturenos alterata fuisset, reducere ad integram & reciprocam satisfactionem; conformiter & vnanimiter constituerunt, constituuntque, concludunt atque promittunt, Res Rhætorum, Vallistellinæ, & Comitatuum Bormij, & Clauennæ, restituere in statum illum, in quo erant, quando hi primi motus inter illos exorti primò sunt; quod præsupponitur fuisse anno ineunte M. DC. XVII. ita, vt nihil, qualecunque illud sit, vllo modo alteretur, aut innouetur de statu, in quo res eo tempore erant: annullantes hoc ipso omnes tractatus à dicto anno M. DC. XVII. cum Rhætis, per quemcunque, quisquis ille sit, factos: reseruatis restrictionibus contentis in præsenti capitulatione: Nempe; Quòd in Valletellina, comitatibus Bormij, & Clauennæ, in perpetuum nulla alia Religio esse possit, quàm Catholica Apostolica Romana: proindeque exclusum esse debeat exercitium alterius alicuius sectæ, aut Religionis, quæcunque illa sit. Quodque stabilimentum & obseruatio perpetua huius articuli esse debeat in regione memoriale

perpe-

perpetuum zeli & pietatis harum duarum Coronarum, quę coniunctim obligatæ erunt. Quòd Vallistellini, & incolæ comitatuum Bormij, & Clauennæ, eligere possint per electionem inter ipsos suos Judices-Gubernatores, & alios magistratus omnes, Catholicos Grisones, aut Vallistellinos: quodque Rhæti huic electioni se non opponere possint: quodque ipsorum approbatio non necessaria sit; sed ipsorum confirmatio. Et quantumuis non dubitetur, quòd confirmationem Rhæti daturi sint; si tamen eam fortè dare non vellent; sufficit, si petita fuerit: &, si post tres petitiones eàm dare differant, & octo dies post petitionem elapsi sint, Rhæti pro prima vice trium annorum ius confirmationis amittet: & si octo dies elapsi sint, potestas & exercitium ipsorum magistratus non suspensum, nec interruptum erit; sed persona electa officium suum, ac si confirmationem obtinuisset, exercebit. Quòd si verò in sequenti alia electione Rhæti iterùm confirmationem denegarint, tum ius hoc cõfirmationis in perpetuum amittunto. Quòd illi Judices-Gubernatores, & alij Magistratus, definitiuè iudicare, & Rhæti ob nullam causam ipsorum sententias, & resolutiones, annullare possint, nec executionem impedire: adeoque etiam ordinare, disponere & exequi possint omne id, quod ipsorum potestatem, officium, & magistratum, & bonum Religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ, concernit. Et quòd nihil in eo, quod concernit præsentes articulos (tàm in substãtia, quàm in forma) per dictos Rhætos alterari possit, qua in actis particularibus, qua generalibus. Atque ad obseruationem huius ex nunc, prout ex tunc, duo Reges se obstringunt ad executionem eius quod promittitur, in casu præuiso, & non præuiso. Nullus Rex, nullus Princeps, nulla deniq; potestas, sine offensione duorum Regum, attentato, retardato, impedito, aut facito aliquam rem, in fauorem siue Grisonum, siue Vallistellinensium, & dictorum duorum Comitatuum, contrariam capitulationi die hodierna v. Martij M. DC. XXVI. inter duas Coronas stabilitæ. Proinde duæ Coronæ obligatæ sunto per omnem viam iustam, & æquam, manutenere hoc quod conclusum fuit, & obseruare perpetuam obseruationem, si-

ne alteratione alia. Rhæti promittent, & iurabunt solemniter in pleno consessu, & meliori ac magis authentica forma, quæ inter ipsos in vsu est, obseruationem perpetuam & inuiolabilem præsentium articulorum, & capitulationum: nec non duo Reges respectiuè vnus alteri, & vnusquisque separatim, idem promittent & iurabunt; atque mutuam iustamque sibi inuicem operam præstabunt ad integram & exactam obseruationem rerum, quæ in hoc tractatu exprimuntur. Duæ Coronæ efficient, atque insuper cauebunt, vt perpetua obliuione obliterentur omnia ea, quæ in his præcedentibus motibus euenerunt: sic, vt nullus, qui eis participauit, molestiam aliquam, seu in personis, seu familiis & bonis proinde recipiat, siue de Valletellina, & dictis Comitatibus, siue de locis aliis oriundus ille sit. Vallistellini, & duo Comitatus, quoniam per hunc tractatum nouo iure eligendi, & habendi suos Judices-Gubernatores, & Magistratus fruũtur, quotannis eam pecuniarum summam Rhætis soluent, quæ correspondens & proportionata erit vtilitati publicæ & particulari, quam & Rhætia vniuersa generatim, & particulatim Rhæti officiales ex sua administratione, & magistratu in dicta Valletellina, & duobus Comitatibus percipiebant; quæ summa per deputatos ab vtraque parte exprimetur: idque, vt Rhæti magis prompti sint in obseruatione tractatus. Quòd si autem obstinatio ipsorum huiusmodi foret, vt loco executionis, ipsi per resolutionem & actionem publicam arma publicè arriperent; Reges ambo ipsos declarabunt, & ex nunc, prout ex tunc declarant, exclusos, & priuatos dicta summa pecuniarum, ad quam Vallistellini, & duo Comitatus, tenentur, & destitutos etiam iure confirmatorio Judicum-Gubernatorum, & Magistratuum, qui à dicta Valletellina, & Comitatibus eligentur. Et si hoc nõ sufficit ad impediendum cursum ipsorum contrauentionis: duo Reges arbitrio suo declarabunt maiorem pœnam, atque sibi mutuò promittunt, se perfecturos vt Rhæti eam subeant. Quando Papa per suos Nuncios duobus Regibus clarum faciet, quòd notabilis contrauentio ex parte Rhætorum in rebus religionem concernentibus facta sit, atq; sua Sanctitas ita statuerit, postquam

noti-

notitiam duobus Regibus dederit, tum talis declaratio Rhætis per Nuncium Apostolicum, qui apud Heluetios Catholicos commoratur, notificabitur, ne aliquam causam ignorantiæ prætendere possint. Hi obligati sint à contrauentione desistere: & si hoc intra quatuor menses à die declarationis notificatæ non faciant; ambo Reges vnitim tenebũtur, per viam debitam, æquam, & permissam, se Rhætis opponere, & Vallistellinos protegere. Et Rex Galliæ in particulari credit, sui zeli, & pietatis esse, suas vires interponere, vt Rhæti ad debitos terminos reducantur, & nullo modo nec publicè, nec clam eis assistet. Quòd si Rhæti publica arma contra Vallistellinos, & duos Comitatus, propter qualemcumq; causam, seu publicã, seu particularem, sumpserint; duæ Coronæ de hoc certiores fieri debent, & Legati duorum Regum promptè conabuntur Rhætos à proposito dehortari: sique hoc frustra fuerit, duo Reges coniunctim se obligant, suam authoritatem, media & potestatem adhibere, vt Rhæti pœnam illam, quæ duobus Regibus propter contrauentionem ipsis imponi visa fuerit, sentiant, nempe, conformem capitulationibus supra nominatis: quarum prima est, ipsos Rhætos excludere à iure confirmationis electorum Judicum-Gubernatorum, & Magistratuum: altera, vt summam illam pecuniarum, quam Vallistellini, & duo Comitatus ob hanc rationem ipsis persoluere debent, amittant: hisque etiam adiungant maiorem pœnam, quam duobus Regibus, in conformitate noni articuli, decernere placuerit: hæcque insuper declaratio duorum Regum circa pœnam ipsorum arbitrio & iudicio reseruatam, statim post elapsos quatuor menses, quorum facta est mentio, executioni mandari debet. Quòd, quocunque tempore Vallistellini, & duo Comitatus in toto, aut in parte, obseruationem præsentis tractatus ruperint, seu quoad Religionem Catholicam, seu quoad articulos politicos, cùm hoc euidenter apparuerit, duo Reges zelo communi operabuntur, vt ipsos ad terminos debitos reducant; & si perseuerabunt in sua duritie, tunc duo Reges ipsos pronuntiabunt caducos à priuilegiis in ipsorum fauorem per duos Reges stabilitis, qui procurarunt ipsis summa cura, & labore, hancce

quietem. Et Rex Hiſpaniæ in particulari credit,ſui zeli & pietatis eſſe,authoritate & viribus ſuis ad debitos terminos ipſos reducendi: neque etiam vllo modo, nec publicè, nec ſecretè,in contrauentione eis fauebit,aut aſſiſtet. Omnia quæ iam dicta & capitulata ſunt cum præſuppoſitione hac intelligi debent; vt primò,& ante omnia, fortalitia in Vallletellina,& comitatibus Bormij,& Clauennæ,atque omne illud quod in eis locis per arma Ligæ, aut per arma Maieſtatis Catholicæ,in hiſce præſentibus alterationibus occupatum fuit,in manus ſuæ Sanctitatis tradatur. Quando arma duorum Regum,& ipſorum confœderatorum ex dictis locis abducta erunt,Rhæti non poſſint in confiniis ſuis verſus Vallemtellinam & dictos duos Comitatus præſidia extraordinaria, aut maiora, quàm ante has alterationes habuerint,tenere. Eademque lex obſeruari quoque debet in collimitiis Ducatus Mediolani. Conſtitutum quoque eſt, ne Rhæti militem aliquem aut præſidia Vallitellinæ, aut comitatibus Clauennæ, & Bormij, imponant: ne videlicet vis,& præſentia armorum,quam Vallistellini viderent,vim exercitio libero Religionis Catholicæ,& iuſtitiæ, ac formæ gubernationis,per hunc tractatum ſtabilitæ, inferant. Articulus decimus quintus, & ſequentes duo, XVI. & XVII. Rhætos & Vallistellinos non attingunt: ſed ſequeſtrationes inter duos Reges,& bellum inter Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ,& Genuenſes concernunt. Maieſtas Catholica contēta eſt,vt ſtatim, vbi hæ capitulationes ſtabilitæ,ſignatæ,& ratificatæ à duobus Regibus fuerint,& quiſque reſpectiuè circa res præſentes quæ ſui ſunt officij præſtiterit,omnia fortalitia in Valletellina,& comitatib. Bormij,& Clauennæ, quæ ab anno M.DC.XX. ædificata fuerunt,ſine aliqua exceptione, per ſuam Sanctitatem deſtruantur. Rex Catholicus Gubernatori Mediolani, aut alteri, procurationem demandabit eius,quod per inuentarium ſuæ Sanctitati in tormentis maioribus, & apparatu bellico datum fuit. Et ſua Maieſtas Catholica adhæc, quæ dicta ſunt, non ſolùm conſentit; ſed ſupplex quoque Summum Pontificem rogat, vt is ſtatim hæc in executionem mittat. Adhæc expreſſè cautum eſt, ne dicta fortalitia deinceps per vllum, quiſquis

quiſquis ille ſit, ſub vllo prætextu reparentur. Et quoniam ſæpe de forma componendi haſce differentias tractatum, ſed tractatus hi nullum effectum ſortiti ſunt; ideo duo Reges declarant, quòd hic tractatus ſolus effectum habere, & executioni mandari debeat: adeoque annihilant omnes alios tractatus in hac materia, quatenus illi non totaliter conformes ſunt huic tractatui: cuius declaratio circa dubia, Religionem Catholicam concernentia, reſeruatur ſuæ Sanctitati, Sedi Apoſtolicæ, & ſacro Collegio: in rebus verò reliquis; amicæ declarationi, & interpretationi duarum Coronarum: inter quas etiam conuentum eſt, intra quatuor menſes, qui incipere debent à die quinta Martij anni præſentis M.DC.XXVI. perficere, vt illi, qui partem hac in capitulatione habent, eam approbent. Præſentes articuli (viginti) concluduntur, & ſignantur vnanimiter, & conformiter per Comitem de la Rochepot, Conſiliarium ſtatus Regis Chriſtianiſſimi, & eius Legatum in Hiſpania; & Comitem Oliuarem Ducem de S. Lucaro, Conſiliarium ſtatus Regis Catholici &c. qui iidem reciprocè ſe obligant, virtute authoritatis, quam à Regibus ſuis habent, vt, quod præſenti tractatu continetur, firmum maneat. Et eodem modo ſe mutuò obligant, intra quatuor menſes, à die præſenti tractatus huius, ratificationem, à ſuis quiſque Principibus ſignatam, exhibere: reuocantes, & annullantes quodcunque accidens, quod inciderit aut incidere poſſit, vſque ad ratificationem, & publicationem præſentis conuentionis & tractatus. Actum Monçoni, die V. Martij, anno M.DC. XXVI.

Signatum

d'Angennes: Y el Conde Duque de San Lucar.

Fuere præterea quinque alij articuli ſecreti, quibus, inter alia, cautum erat, vt, ſi Rhætis & Vallistellinis, quoad cenſum conuenire non poſſet, Reges ambo hæc & alia componerent.

Porrò, cùm hi articuli à Secretario Memino lecti fuiſſent: orationem benè compoſitam, & ſcripto comprehenſam, ſuaſoriam ad acceptationem capitulationis, etiam legi

curarunt. Ea verò diffusè de beneuolentia regia, & cura paterna, circa restitutionem Rhæticæ libertatis differunt, Regemque Rhætiæ Restauratorem dici posse asserunt. His articulis aiunt, Summum Imperium Rhætis, in Valletellina, & comitatibus Bormij & Clauennæ, ad eum modum reseruari, prouti anno M.DC.XVII. ea potiti sunt. His Octo Jurisdictiones, Engadinam inferiorem, Vallem-Monasterij, aliaque loca, pristina libertate frui. His denique tractatum Lindauiensem, & alios, sublatos: atque insuper articulo sexto caueri, inquiunt, vt si quis Princeps se his opponere velit, à duabus Coronis impeti debeat. Duo autem in restrictionibus contineri: nempe, solùm Catholicæ Religionis exercitium in Valletellina, & dictis Comitatibus: & Iudicaturam, seu, Iustitiæ administrationem. Religionem Protestantium non ita pridem introductam, & obedientiam subditorum magis promptam nunc futuram. Quoad Iudicaturam; modò nunc nundinationes, & simultates, in Rhætia vitatum iri; &, compensationis ergo, magnam pecuniarum summam ærario cedere.

Pro regia cura, & beneuolentia, Regi, & Legatis, gratiæ actæ fuere, & petitum, vt omnia ad supremum Magistratum, nempe, Communitates referri possent; &, vt interim nihil innouaretur, donec Regem meliùs edocerent. Simul etiam, sub titulo priuato, scriptum Legatis porrectum fuit, quo de grauaminibus Rhætorum super articulis agitur. Titulus scripti: Fideles admonitiones Honorati Equitis in causa Rhætorum, & Vallistellinensium. Tituli iusti Rhætorum, super Valletellina, comitatibus Bormij, & Clauennæ, demonstrantur: variæ Hispanorum machinationes, & subditorum Vallistellinensium, & enormia horum facinora aliqua, post rebellionem, enarrantur: præiudicia item, quæ non solùm Rhætis, sed Regi quoque Christianissimo, & confœderatis, ex hac capitulatione oriantur, recensentur, & capitula præcipua refutantur. Antea etiam, & post, apologia, contra omnia capitula à duobus Rhætis conscripta fuit. Volturenis, & duobus Comitatibus, capitulatio etiam proposita fuit; qui eam acceptarunt. Communitates autem Rhætiæ, vno ore & eadem forma, omnes responde-

runt, ſe in articulos hoc modo conſentire non poſſe, ſed in præiudicialibus ſibi moderationem petere. Ad Heluetios deinde Præſidem Fœderis Griſæi, Io. Simeonem Florinum, & conſulem Chriſtophorum Lhenerum, miſerũt, qui Rhætorum vnanimem conſenſum ſuper grauaminibus harum capitulationum expoſuerunt, atque petierunt, vt, vnà cum Rhætis, apud Regem Chriſtianiſſimum pro moderatione obtinenda inſtarent. In Galliam etiam ad Regem Chriſtianiſſimum, iurium, & grauaminum Rhæticorum deducendorum cauſa, quatuor Legatos ablegare decretum, videlicet, colonellos, Rodolphum à Schauenſtein, Antonium à Molina, Joannem Gulerum à Veineck, atque cum his Doctorem Jacobum Schmidium à Grueneck: qui tamen eò proficiſci recuſauit. In Vallemtellinam, cum deliberatione communitatum Rhæticarum, ad Generalem, & Caſtelnouum, capitaneus Carolus Marcha, conſul Gregorius Meierus, & ego, miſſi fuimus. Præterea, vt litteris commendatitiis inſtruerentur Legati noſtri in Galliam mittendi, & interim nihil innouaretur, poſtulatum fuit. Ipſi reſpõderunt, Pontificem, & Regem Hiſpaniæ, depoſitum vrgere: & iam capitaneus Barlaſſina vltrò citroque ob hanc cauſam mittebatur. Propoſitum etiam à Generali, & Caſtelnouo, vt per ſex menſes, ſtatim poſt depoſitum, & diſceſſum omnis militis ex Valletellina, ex Gallis vnus, quem Repræſentantem vocabant, in Valletellina, maneret, & gubernatio politica vbique etiam in hoc ſtatu interim conſeruaretur. Id quod ad eum finem fieri dicebant, vt interea temporis, cenſus, & tributum Rhætis dandum, exprimeretur. Vallistellini etiam in hoc conſenſerunt. Mediolanum Faber, Secretarius Caſtelnoui, ad Conſaluum Ferdinãdum Cordubam, qui poſt diſceſſum Ducis Feriæ Gubernationem Ducatus Mediolani in præſens adijt, miſſus fuit. Conſaluus verò, V. Nouembris, poſtea Grabedonam in Tribus plebibus appulit, atque locum ad Ripam, & alia fortalitia, ſtatim viſitauit. Romæ, die XI. Nouembris, inter Legatos, Gallicum, & Hiſpanicum, de forma, & modo depoſiti, cùm diu fruſtra in Hiſpania tractatum fuiſſet, conuentum fuit. Pontifex declarauit, ſe in executione eorum, quæ inter duos Reges

Monçoni tractata fuerunt, hanc solam partem habere desiderare, videlicet, vt exercitus Ecclesiasticus in omnia illa fortalitia, quæ sub Pontificatibus Gregorij XV. & Urbani VIII. ipsis tradita fuerunt, restituatur, & tormenta maiora, atque reliquus apparatus bellicus, vt Regi Catholico restitui possint, militi suo consignentur, & statim post huius militis introitum omnia fortalitia tam Vallistellinæ, quàm duorum comitatuum, Bormij, & Clauennæ, funditùs destruantur: plena etiam securitas exercitui Ecclesiastico à duobus Regibus, & auxilia, si quis eum in deposito impedire vellet, promittantur: denique vna eademque die constituta, omnis exercitus, tam Ecclesiasticus, quàm Gallicus, & Confœderatorum, necnon Hispanicus, post demolitionem fortalitiorum, abducatur. Interea Nicolaus Parauicinus, Cancellarius Vallistellinæ, à Generali Cœuvræo ad Consaluum missus fuit, vt animum & intentionem ipsius expiscaretur, simulque donec census Rhætis dandus exprimi posset de prolatione sex mensium mentionem faceret. Consaluus autem consentire noluit, Depositum vrgens. Hispanis namque, procul dubio, constitutum erat, vt Regis, & confœderatorum arma ex Valletellina abirent, & res, quoad censum, imperfecta maneret, vt Rhætorum animi magis etiam inde exacerbarentur. Capitaneus Saludius, qui in Galliam ad Regem missus fuerat, iam etiam reuersus fuit. Rex autem præcisè volebat, vt exercitus suus, & confœderatorum, donec census exprimeretur, in Valletellina, & aliis locis maneret. Secretarius Meminus, die XXIX. Nouembris, Grabedonam, ad Consaluum, cum hac declaratione, venit. Hinc Hispani minas spirabant, & Consaluus in Montaniola turrem fabricari curauit, & ad Archettum operarios, vt fundamenta ad constructionem turris præpararent, etiam misit. Meminus Modœtiam, vbi Torquatus Contus cum suis erat, excurrit, & voluntatem Regis sui ipsi etiam indicauit. Contus, qui iam à Pontifice de conuentione Romæ, XI. Nouembr. facta, certior redditus erat, arma sua cum Consaluo coniungere noluit. Generalis Cœuvræus, cùm videret Consaluum in constructione turrium pergere, & ipse mandauit, vt Tirani, & alibi, in constructione for-

ne fortalitiorum pergeretur. Legio Tigurina iam circa festum Natalitium dimiſſa erat: proinde Generalis Salicæanam iterùm in Vallemtellinam vocare volebat, mandaueratque vt trecenti Rhæti cliuum S. Lucij cuſtodirent. Moliniana, & Ruinelliana etiam auctæ fuerunt. Adhæc eques Léwillius per veredos equos in Galliam miſſus fuit. Rhæti Joannem Georgium, Rodolphum Andreanum Salicæum, & Antonium Gugelbergerum à Moos, in Vallemtellinam ad Generalem miſerunt, & promptitudinem ſuam in dando milite obtulerunt. Caſtelnouus interea in Curiam in Rhætiam venit, & die XIX. Nouembris coram Senatu Rhætico ratificationem articulorum ſollicitauit.

Rhæti iam in rebus ſtatum Reipublicæ concernentibus Conſilium Status, vt vocant, elegerunt. Erant autem hi ex Fœdere Griſæo, Joannes Simeon Florinus, Præſes Fœderis Griſæi, Jacobus Baliel, Hercules à Monte (in cuius locum poſtea Lucius à Monte ſuffectus fuit) Chriſtophorus Montalta iunior, Chriſtianus Florinus, Rodolphus à Schauenſtein, Ioannes Petrus Schalckettus, Joannes de Georgiis, & Caſparus à Molina. Ex Cathedrali; Chriſtophorus Lhenerus, conſul Curienſis; Gregorius Meierus, Baptiſta à Salis, Fortunatus à Iuualta, Bernardus Tiengus, Ioannes Trauerſius, Petrus Leo, Stephanus à Jochberg, Rodolphus Andreanus à Salis. Ex Decem Juriſdictionum Fœdere; Paulus Buolius iunior, Præſes Dauoſianus, Joannes Gulerus ſenior, Joannes Sprecherus, Martinus Lieta, Andreas Sprecherus, Andreas à Porta, Antonius Gugelberg à Moos, Benedictus Thomaſius, & Huldricus Buolius. Conſtitutum etiam eſt, vt ſemper Præſides, qui in officio ſunt, Senatui interueniant. Litteræ autem inſtructoriæ & fiduciariæ XXI. Nouembr. ipſis datæ his veluti cancellis officium eorum circumſcribunt: Ut conſultent, tractent, reſoluant, ſeu deliberent & exequantur, in omnibus negotiis concernentibus ſtatum publicum: atque iuramentum ipſorum eos obligat, ſemper promouere honorem, reputationem, ſeu exiſtimationem & ſalutem patriæ: & in his verſari cum requiſito ſacro ſilentio, ad commodum publicum, & ſine corruptela & preſationibus, ſepoſito reſpectu priuatæ vtilitatis, quoad

vergere possit in præiudicium publici boni. Communitates sibi autem reseruarunt, quòd dictum consilium non possit pangere fœdera cum Principibus exteris, vel militi transitum concedere, nec bellum aliquod mouere, nec pacem aut inducias inire sine consensu & commissione Communitatum. Sæpiùs cum Castelnouo tractatum fuit. Rhæti semper executionem tractatus Madrilliensis vrserunt: ipse cōtra, Regem, præcipuè ob securitatem Religionis Catholicæ, ad Monzonianos articulos consensisse affirmauit, & ipse multos articulos Monçonianos fauorabiliter pro Rhætis explicare nitebatur, & aliqua grauamina ad Regem deferenda censebat. Tādem Rhætorum senatus professus est, quòd si in reliquis omnibus in pristinum statum plenariè restituerentur, ad exclusionem exercitij Religionis Protestantis in Valletellina cōsentire velit: ita tamen, vt Protestantes Rhæti & Voltureni ibi liberè continuò habitare, & bonis suis frui possint. Ex Rhætia Castelnouus in Heluetiam profectus est: vbi die XXVIII. Decembris Soloduri comitia indicta fuerunt. Ibi Senatui Heluetico capitulationem Monzonianam proposuit, & explicuit, quòd omnia supremi Dominij, & Superioritatis iura, Rhætis plena reseruata sint, nec Vallistellini, & duo Comitatus, alia priuilegia inde habeant, quàm solum exercitium Catholicæ Religionis, electionem Officialium & Iudicaturam. De appellationibus ad Rhætos deferendis, firmam etiam spem faciebat: vti etiam Curiæ Rhætorum declarauerat, appellationes in casibus & causis appellabilibus ad Rhætos pertinere. Et modò per hunc tractatum Octo Iurisdictiones, Engadinam inferiorem, & Vallem-Monasterij, corpori Rhætico, & consequenter etiam Heluetico iterùm restitutas, aiebat. Consul Gregorius Meierus, nomine Rhætorum eò etiam missus fuit: qui ea, quæ circa religionem Curiæ tractata fuerunt, etiam exposuit: sed in reliquis restitutionum in pristinum statum sollicitauit. Protestantes Heluetij postea se in responso Mareschallo Bassompetræ dato perstare sunt protestati, nec à tractatu Madrilliensi recedere velle: Catholici, si res eo modo se habeat, prout Castelnouus exposuit, & plenum supremum Dominium, ac omnis Superiori-

tas,

tas, apud Rhætos permaneat, Rhætiaque iterum restituta sit, articulis se subscribere significârunt. Die XXII. Decembris, Parisiis, inter Deputatos Regis Christianissimi Armandum Cardinalem Richelium, Mariſchallũ Schombergium, Marilliacum sigillorum custodem, Phelipeaux-de Herbault Secretarium; & Marchionem Mirabelli, Legatum Regis Catholici, de censu annuo Rhætis à Vallistellinis, & duobus Comitatibus dando, ex vigore articulorum secretorum sic conuentum fuit; videlicet, Vt viginti quinque mille aurei annui penderentur: pacto expresso addito, censum à die demolitionis fortalitiorum incipere & procedere debere: & Episcopo Curiensi, quod more solito ipsi per pactiones Rhæti dare tenerentur, persoluerent. Sunt autem mille libræ Imperiales, quæ ipsi quotannis pendi debent. Monthenous ex Gallia, cum hac explicatione census, per veredos equos in Vallemtellinam venit. Et Cõsaluus etiam à Rege suo, & per Mirabellum, de omnibus certior redditus est: adeoque die XXI. Januarij, M.DC.XXVII. ab opere turrium construendarum destitit. Generalis Cœuvræus die XI. Januarij eiusdem anni, ad Senatum, & communitates Rhæticas nominationem census perscripsit, simulatq; ipsas, multis argumentis adductis, ad acceptationem capitulationis Monzonianæ exhortatus est. Priùs à Rhætis petitum fuerat, vt Serenissimus Archidux Leopoldus etiam primum articulum capitulationis, quo omnia in pristinum statum, prout anno M.DC.XVII. fuerunt, restituuntur, & tractatus facti abolentur, ratum haberet. Generalis ergo se obtulit, quòd in Rhætia militem præsidiarum relinquere velit, vt articulus hic etiam plenum suum effectum sortiri possit: prout Regiæ Maiestatis Christianissimæ voluntas sit. Porrò iam ad depositum præstandum omnia præparata. Vallistellina Generali donarium nouem mille aureorum obtulit: cuius ipse bonam partem in Officiales belli distribuit. Dies prima Februarij Deposito faciendo nominata fuerat: sed propter vehementiam ventorum contrariorum Exercitus Ecclesiasticus cum nauibus per quatuor dies Como soluere non potuit. Ego interim, qui Clauennæ commissarius eram, ad Generalem scripsi, quomodo me genere deberem:

qui mihi, per Secretarium Meminum, rescribi curauit, quoniam census iam nominatus sit, non opus esse, vt in officio ibi permaneam. Et idem Rhætico Senatui significaui: qui mihi rescripsit, vt, præmissa solemni protestatione, incolumitati personæ meæ consulerem, & loco cederem. Itaq; coram Alexandro Longæuallo, Vicecomite Vernolio, Gubernatore castri & oppidi Clauennæ, ac aliis Officialibus Gallicis, vocato Francisco Piperello, consule communitatis Clauennæ, cum quo alij ex dicto Comitatu etiam adfuerunt, in omni meliori forma obtestatus sum, Quòd, cùm intelligam, alium militem in comitatum Clauennæ venire debere, pro securitate meæ personæ modò discedere velim: attamen protestans, quòd per hunc meum discessum nullum præiudicium iuribus illustrissimorum Dominorum Rhætorum in perpetuum vllo modo, tempore, via, & ratione inferri; sed ea semper salua esse velim. Et de hac protestatione Doctor Antonius Soldanus, Notarius publicus, Clauennæ rogatus fuit. Die itaque Sabbathi, VI. Februarij, Clauenna discessi: qua eadem die exercitus Ecclesiasticus, sub magistro campi Alexandro Sachetto, septingenti & septuaginta, videlicet, milites, in comitatum Clauennæ venerunt. Centurio maior erat Io. Paulus Gallina, Mediolanensis, Clementinus de Clemẽtinis, signifer cohortis ipsius Magistri campi, quæ ducentis militibus constabat. Capitanei autem, quorum quisque centum milites habebat, erant, Emilius Parisanus, Asculanus; Eques Constantius Gabriellius, Bononiensis; Eques Bonacursus Adimarus, Florentinus; Julius Cæsar Brancorsius, Ariminiensis. Turmæ cataphractorum præerat Lælius Salomonius Alexãdrinus. Capitaneus verò erat Joann. Franciscus Sacchettus. Claudius Aurelius, Ariminiensis, ad ripam Mezolæ, cum cohorte sua, destinatus fuit. Gallicus autem exercitus in proximis pagis supra Clauennam mansit. Die Jouis antè, IV. Februarij, in Vallemtellinam Magister campi Josephus Ginettus cum primis cohortibus exercitus Ecclesiastici venit; illis, inquam, quæ Bormium missæ fuerunt: nempe, quatuor cohortes peditum, & vna equitum. Prima cohors erat ipsius Magistri campi: Capitanei erant, Hippolytus Castagnarus,

gnatus, Bononiensis; Balthassar Riccius, Firmiensis, qui Primadij collocatus fuit; & Raphaël Farfanellus. Cepinæ autem mansit Alexander Lombardus, Mediolanensis, cum ala equitum. Tiranum autem, & ad Plattammalam, venerunt sex cohortes peditum, & duæ turmæ equitum. Centurio maior erat Joannes Baptista Theodolus. Capitanei, Cyrus della Cornea, Perusinus; Cæsar Vanuccius, Romanus; Joannes Franciscus Benedictus de Benedictis, Rauennas; Eques Gregorius Parauicinus, Romanus; Michaël Angelus Sorcius, Romanus; Iulius Mazarinus, Romanus. Ex turmis equitũ vna fuit ipsius Locumtenẽtis Generalis Torquati Conti; altera, Horatij de Maximis. Morbennij autem collocatæ fuerunt duæ cohortes peditum ex legione Sacchetti, videlicet, Leonhardi del Sale, Ariminiensis; & Vincentij Landi, Florentini, & turma equitum Euangelistæ Tosti, Perusini, commissarij generalis equitatus. Generalis Cœuvræus, ad quem etiam, nomine Regis Hispaniæ, Comes Aluisius Trottus, vt executioni assisteret, venit, in pago Villa, propè Tiranum, substitit: Torquatus Contus autem Tirani mansit. Exercitus Gallicus, Trahonæ, & in proximis locis; Venetus autem exercitus, cum Prouisore Georgio, Talamonæ substitit. Commissarij, qui demolitioni assisterẽt, hinc & inde ordinati fuerũt. Generalis Cœuvræus aliquot scloppetta, & alium apparatum bellicum, Rhætis tradidit, quæ in Prægalliam & Engadinam superiorem deportata fuerunt. Cùm Prægalli postea aliquas bombardas, quæ ex Valletellina aduectæ erant, per oppidum Clauennam traducerent, miles gregarius ex legione Sacchetti, vnam arripere voluit, quem Balera Prægalliensis occidit; & Sacchettus nullam molestiam Baleræ dedit. Tria tormenta minora bellica, quibus in obsidione castri Clauennensis nostri vsi fuerant, & quæ Rhætorum erant, in Vallem Rheni ante discessum meum deduci curaui: duo maiora tormenta bellica, quæ Venetorum erant, & per mõtem Berninam, vt diximus, etiam Clauennam in fine obsidionis castri deuecta erant, per ripam Mezolæ in Vallemtellinam deuecta fuerunt. Erat præterea tormentum vnum bellicum, cum insigniis regni Franciæ in castro Clauennæ, quod ab anno

M.D.XII. vſque ad annum M.DC.XXI. quo Clauenna ab Hiſpanis capta fuit, ſemper in manu Rhætorum fuerat. Hoc Generalis Cœuvræus Venetis, vtut Rhæti id, tanquam ſuum, vehemẽter petiiſſent, conſignauit. Habitatores Plantedij, communitatis Squadræ, Morbenienſis, cùm in confiniis Ducatus Mediolanenſis ſint, ſatis audaces, & contumaces contra exercitum Ligæ ſemper fuerunt, nec mandatis parere voluerunt. Cùm itaq; his diebus Mareſchallus campi Feuquerius, qui Trahonæ erat, tres ex ſuis eò mitteret, vt ſibi fænum, prout ordinatum fuit, darent; illi recuſauerunt, & ludibriis exceptos, inanes abegerunt. Itaque mandatum datum fuit Ruinellæ, vt die Lunæ, I. Martij, cum milite eò ſe conferret, ipſoſque, vti inobedientes & contumaces, ferro & flamma puniret. Proinde octo homines maſculi, & mulier vna, occiſi fuerũt. Presbyter etiam, cùm nomen & profeſſionem ſuam non edidiſſet, ſauciatus: ſed ſtatim, vbi ſe Sacerdotem dixit, ſeruatus fuit: aliquot ædes igne abſumptæ fuerunt. Die Veneris, V. Martij, cùm iam annus à capitulatione Monzonienſi effluxiſſet; Generalis Cœuvræus ex Valletellina Peſclauium venit, & die ſequẽti Vallistellina, Bormium, & Clauenna, ab omni milite liberatæ fuerunt. Die Dominica, VII. Martij, cùm legio Normannica per montem Berninam in Engadinam tenderet; quadraginta duo milites frigore perierunt; & multi in manibus & pedibus læſi fuerunt. Sic quoq: in ſuperando mõte Septimo decem ex legionibus Molinæ, & Ruinellæ, frigore diriguerunt. Vulgus tunc dicebat; ipſa hyeme, cùm ad recuperationem Vallistellinæ anno M.DC.XXIV. iuiſſent, elementa ipſa viam ſtrauiſſe: iam, cùm Principi naturali, cui omni iure debetur, non verè reſtituta ſit; ipſa etiam elementa contra militem diſcedentem conſpiraſſe.

Curiam, die Lunæ, VIII. Martij, Generalis appulit: & die Jouis coràm Senatu Rhætico, Jacobum Meminum, vti Legatum, qui in Rhætia, nomine Regis Chriſtianiſſimi reſidere debeat, cum litteris Regiis obtulit: quem omnes honorificè exceperunt. Vota communitatum ſuper petita acceptatione articulorum Monzonianorum collecta fuerunt. Omnes autem communitates in petenda executione tra-

ctatus

ctatus Madrillienſis, & moderatione Monzonianæ capitulationis perſtiterunt: Sola Rhætienſis iuriſdictio, ſi nullus miles in pagis ipſorum collocaretur; itemque Prægalli ſuperiores, ſi talis horum duorum Regum mens eſſet; deniq; Monaſterienſes, cùm in confiniis ſint; ſi vniuerſitas Rhætiæ ita cenſeret; in articulos conſenſerunt. Itaque nec affirmatiuè, nec negatiuè reſponſum fuit: ſed de nouo repetitum à Senatu fuit, Se velle Regem Chriſtianiſſimum de omnibus grauaminibus meliùs per Legatos Rhæticos edocere. Die Sabbathi, XIII. Martij, Generalis Cœuvræus (poſthac nobis Mariſchallus Eſtræus dicendus) ex Rhætia diſceſſit. Rhæticæ legiones in Rhætia; Gallicæ verò in ipſo ingreſſu Franciæ dimiſſæ fuerunt. Die Martis, XVI. Martij, capitaneus Georgius Jenatius, colonellum Jacobum Ruinellam, in duello, extra portam inferiorem oppidi Curiæ, gladio confodit. Fuerat ſtrenuus miles, & bonis litteris ornatus. Die Mercurij, XXIV. Martij, colonelli, Molina, & Gulerus, in Galliam profecti ſunt: colonellus Schauenſteinius, tertius Legatus, iam antea eò iuerat. Inſtructio, & commiſſio eis data fuit, vt, vigore tractatus Madrillienſis, reſtitutionem Vallistellinæ, & comitatuum Bormij, atq; Clauenæ, omni humilitate ſollicitarent: & pro paterna cura, labore, & expenſis, Regi Chriſtianiſſimo gratias maximas agerent, Rhæticam Rempublicam omni meliori forma commendarent: denique ſeruitia, officiaque ſua offerrent. Ad Sereniſſimos, Principem, & Senatum Venetum, & Ducem Sabaudiæ, &c. litteræ, cum gratiarum actione, & Rhæticarum rerum commendatione, exaratæ etiam fuerunt.

Peſclauienſes Catholici, ante feſtum Paſchatis, omnes exteros (vt ita Proteſtantes Volturenos abigere poſſent) inſtinctu, vt dicebatur, Alexandri Scalzi, Capuccini prædicatoris, pœna conſtituta, abire coegerunt: vnde magnæ querelæ exortæ. Legatus Gallicus Meminus, & Senatus Rhæticus, rem compoſuerunt. Lazarus Caſſarinus, Epiſcopus Comenſis, die XXI. Aprilis, epiſtolam ad Catholicos Peſclauienſes, vt Proteſtantes, quos ille hæreticos vocitat, inde expellerent, ſcripſit. A Senatu verò Rhætico lex publicata fuit, vt Proteſtantes Vallistellini, vbique in Rhætia, ſi modò

ſe benè gererent,habitare poſſent. Die XXVII. Martij,Jacobus Robuſtellus, cum aliis Voltureniſ,qui abfuerant, in Volturenam redijt. Litteras à Conſaluo Corduba ad Vallistellinos obtinuit: quibus ipſos exhortatur, vt Magiſtratuum ſuum creent, & perſonam Robuſtelli, vti acceptam ſuo Regi,maximè commendat. Ad Mariſchallum quoque Eſtræum curſorem Curiam vſque miſerat,vt Robuſtellum commendaret: ſed Eſtræus iam diſceſſerat. Legatus Gallicus Meminus Voltureno̊s exhortatus eſt,vt etiam ſuos Deputatos in Galliam mitterent, & ad explicationem vſque tractatus nihil innouarent. Robuſtellus,cùm ſtatim ad gubernationem nō promotus fuiſſet; Domaſium redijt. Conſaluus litteras ſeueras cum Decurione *(caporale)* quodam ex fortalitio Fontæo miſit, quibus eos exhortatus fuit, vt in conſtituendo magiſtratu *(gouerno)* procederent,& refractarios expellerent, omnem fauorem ipſis pollicitus. Idem etiam à comitatu Clauennæ per litteras, & Doctorem Jo. Baptiſtam Caſanouam, & ſigniferum quendam Hiſpanum, bis minis additis, petijt. Magna autem diſſenſio in eo Comitatu eſt. Nam viciniæ, quæ ad oppidum pertinent, niſi etiam vota liberè ferre poſſent,cum oppidanis ſtare noluerunt: oppidani autem ad paritatem eos admittere noluerunt. Itaque proprium Judicem pagani elegerunt,Guilielmum Arzonum. Sic communitates exteriores, & Vallis S. Jacobi,etiam proprios Judices ſuos; hæc,nempe, Joannem Tinum; illæ Thaddæum de Thaddæis, in ciuilibus & criminalibus nominarunt: & potiùs ſub antiquo ſtatu, & gubernatione Rhætorum, Dominorum ſuorum, eſſe ſe velle obteſtatæ ſunt. Clauennates in oppido cōmiſſarium Gaudentium Maurum elegerunt. Senatores verò crearunt;Ludouicum, vti Præſidem *(capo)* Georgium, & Philippum Peſtalozzios; Doctorem Eutychium, Franciſcum & Petrum Antonium Piperellos. Plurienſes,Carolum Frāchum Vertemannum: & Villenſes, Antonium Pollauinum Prætores renuntiarunt. Robuſtellus, ſtipatus aliquibus equitibus ex turma Ioannis Baptiſtæ Panigarolæ, Mediolanenſis,in Vallemtellinam,& Bormium,redijt. In Valle-Monaſterij, Jacobus Fluogius, caſtellanus Furſtenburgi Georgium Hel-

ſium,

ſium, Auſtriacum, nomine Principis Leopoldi, vt aiebat, accerſiuit, &, die XIX. Aprilis, Sanctæ Mariæ populo propoſuit, nullam aliam religionem quàm Catholicam ibi toleratum iri, atque omnes, quòd Miſſam adire vellent, iurare voluit. Inde querelæ ortæ: vti etiam in Engadina inferiori, vbi Proteſtantes ſe templis priuatos eſſe conquerebantur. A Senatu verò Rhætico ordinatum fuit, vt in Rhætia communi beneficio libertatis conſcientiarum, lege ante centum annos & ſupra ſancita, omnes fruerentur: & Engadini inferiores Proteſtantes, à templis, ſine tamen præiudicio iurium partium, vſque ad aduentum Legatorum Rhætorum ex Gallia, pro bono pacis, abſtinerent: in reliquis religionis liberum exercitium haberent. Quibus etiã ſcriptis promiſſum, quòd ſicut alij confœderati Rhæti tractari deberent. Presbyter etiam in Valle Samnuni, quæ ad Engadinam pertinet, incolas inſtigauit, vt ſe Sereniſſimo Archiduci Leopoldo totos dederent, nec litteras fœderales iurarent. Rhæti eò deinde Petrum Leonem, & Bernardum Tiengum, miſerunt: & incolæ, poſt reditum Legatorum ex Gallia, litteras fœderales ſe iurare velle promiſerunt. Eques Rodolphus Planta, cum familia, Cernetium in patriam etiam redijt. Die XXIV. Aprilis, Legati Rhætorum à Christianiſſimo Rege Pariſiis auditi, & benigno vultu excepti fuerunt. Quinque deinde à Rege deputati fuerunt, qui in Rhætorum, & Volturenorum re componenda deſudarent, Mariſchalli, inquam, tres, Baſſompetra, Schombergius, Eſtræus, atque Caſtelnouus, & Herbaultus.

Vallistellini interim articulos vigintiquatuor ſuæ gubernationis, XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Iunij ſancitos, inuulgant: Rhætorum, Dominorum ſuorum naturalium, ne verbo quidem mentionem faciunt: & iura Superioritatis ſibi adſcribunt. In capite conſtitutum, vt dies VI. Martij quotannis cum publica aliqua deuotione celebraretur: cùm ea die arma ex valle exiuerint, & pax patriæ firmata fuerit. In materia religionis ſe ab authoritate Eccleſiæ dependere velle profitentur. Deinde ſtatuunt, vt Senatus Vallis duodecim virorum, & vnius Gubernatoris (cuius officium biennale ſit, & per Tertiaria diſtribuatur) eligatur. Hi authori-

tatem habeant constituendi leges, ordines, & decreta; imponendi datia, & pedagia; decernendi missiones ad Principes, recipiendi & expediendi litteras, & alia his similia peragendi. Quinque deinde Doctores, qui processus criminales iudicent, & quinque Prætores, vti consuetum erat, eligantur. Die deinde quarto Septembris, cùm Robustellus multùm laborasset, vt Gubernator fieri posset, Senatus nominatus fuit. Legatus autem Gallicus Meminus, diuersis litteris ipsos semper, donec explicatio sequeretur, ab his innouationibus dehortatus est. Contrà Consaluus omni opera enixus est huius Senatus constitutionem: vt iam, prouerbio recepto, diceretur, A verberibus, & pugnis, quæ antè in Valle fuerunt, nunc ad chartacea certamina, & verba deuentum esse. Robustellus Gubernator dictus fuit: consiliarij, (Magistratum vocant) Doctor Hippolytus Venosta, Claudius Venosta, Fräciscus Venosta, Actius Besta, Doctor Joannes Jacobus Paribellus, Doctor Joannes Antonius Quadrius Peranda, Joannes Baptista Painus, Ioannes Barachus, Joannes Andreas Schenardus, Iacobus Malaguzinus, Doctor Io. Antonius, & Io. Maria Parauicini. Constitutum, vt functionem exercerent, quando Rhætis pro confirmatione præsentati fuerint. In Galliam Vallistellini tandem etiam duos deputatos, Doctorem Jacobũ Venostam, Claudij filium, & Andream Carboneram, miserunt. Doctor Jo. Franciscus Schenardus, à nemine missus, antea in Galliam, ineunte Iunio, etiam profectus erat. Hi autem x. Iulij, Curia Rhætorum transierunt. Die xii. Augusti, in loco Villeroy, à Rege Christianissimo, adhuc in lecto decumbente, auditi fuerunt: cui gratias egerunt, pro priuilegiis, & beneficiis obtentis, se commendarunt, & seruitia sua obtulerũt. Rex paucis, sed grauibus, verbis ipsis respondisse dicitur, Gratum sibi hoc seruitium fore, si Rhætis Dominis suis obediant, & operam dent, vt benè ipsis cum iisdem Rhætis conueniat: alioquin si extra terminos beneficij concessi egrediantur, indignationem Regiam incursuros. Et die xiv. mensis proximi Septembris, Rex idem in litteris ad Volturenos scriptis, inculcauit. Mense Augusto Julius Cæsar Cicer, Mediolanensis, Curiam venit, & transitum pro septem

turmis

turmis equitũ Octauij Piccolhominæi petijt: litteras etiam ob hanc rem à Carolo Stredelio ad Tria Fœdera directas attulit. Senatus Rhæticus, ſine authoritate cõmunitatum, tranſitum concedere, cùm nullus etiam Princeps pro eo inſtaret, noluit. Nam antea etiam equitatus Caroli ab Auſtria, inſcio Magiſtratu, per Rhætiam ex Ducatu Mediolani tranſiit. Idem iter quinque cohortes Mansfeldianæ, ex Ducatu Mediolani omnes venientes, tenuerunt. Equitatus Piccolhominæi deinde per Vallemtellinam, & Vallem-Monaſterij, tranſiit. Poſtea etiam maior pars legionis Pappenheimianæ, per Rhætiam, & Vallemtellinam, cùm dimiſſa eſſet, tranſiuit. Legatus Gallicus Meminus, hoc abuſu tranſituum Regem ſuum etiam offenſum iri, dicebat.

Alexander Scapius, Nuncius Apoſtolicus, qui antea Epiſcopus Campaniæ, Satriani, Caputaquæ, & Arimini, nunc verò Placentiæ erat, die Lunæ, XVII. Auguſti, Curiam in Rhætiam venit. Die Martis, XXIV. Auguſti, poſt reſignationem Ioannis Flugij, Epiſcopi Curienſis, qui deinde elapſo octiduo, videlicet, die Mercurij, prima Septembris Curiæ obijt, Capitulum Curienſe per maiora Doctorẽ Georgium Theodoricum, electum Decanum Conſtantienſem, canonicum Curienſem, & Sereniſſimi Archiducis Leopoldi cõſiliarium, in Epiſcopum Curienſem eligere voluit: ſed ipſe ſe excuſauit, inquiens, Inconſulto Sereniſſimo Archiduce, ſe hoc munus non velle acceptare. Itaque die Mercurij ſequenti S.S. Theologiæ Doctor Ioſephus Morus, Zernetio ex Engadina inferiori oriundus, canonicus Curienſis, in Epiſcopum Curienſem electus fuit: cuius promotio etiam à Legato Gallico Memino deſiderata fuit. Senatus Trium Fœderum Curiæ congregatus fuit: cumque Aduocatia Epiſcopatus Fœderi Cathedrali competat, & ſemper antea, antequam ad vllum actum electionis ventum eſſet, Fœdus Cathedrale vocatum, & cum ipſo canonici communicarint, nec illud (vt expreſſa verba habent) ſine fauore, notitia, & promiſſione Fœderis Cathedralis facere pouerint: lege etiam ſancita, nullus, niſi confœderatus Cathedralis, aut Rhætus ſit, ad epiſcopatum promoueri poſſit: ideò Cathedrales die Martis, antequam ad electionem deueniſſent,

capitulum Curienſe congregatum adiuerunt, & conſtitutiones de communi conſenſu totius capituli, & Fœderis Cathedralis anno M.D.XLI. & antè etiam factas, ipſis alta voce ex originali, quod eis oſtenſum fuit, prælegerunt: Proteſtantes de nullitate omnium, & quorumcunque, quæ in contrarium, & præiudicium dictarum conſtitutionum, vllo tempore, & actu, in quocunque loco, & à quocunque fierent. Et reliqua duo Fœdera proteſtationi Fœderis Cathedralis etiam ſubſcripſerunt. Adhæc articulos ſex propoſuerunt, quos anno M.D.XLI. Lucius Iterius, anno M.D.XLIX. Thomas à Planta, anno M.D.LXI. Beatus à Porta, anno M.D.LXXXI. Petrus Raſerius in præſentia Jo. Franciſci Bonhomi, Epiſcopi Vercellenſis, Nuncij Apoſtolici, & Jacobi Grangierij Liuerdiſij, Legati Gallici, & anno M.DC.I. Ioannes Flugius, omnes Epiſcopi Curienſes, ſolemni iuramento ſeruare promiſerũt. Tenor autem articulorum hic eſt: Nos Epiſcopus, præpoſitus, Decanus, & commune capitulum Eccleſiæ cathedralis Curienſis, vnanimi conſenſu permiſimus, & permittimus, vt quiſq; electus Epiſcopus Curienſis, Fœdus Cathedrale, & reliqua duo Fœdera, articulis & conſtitutionibus, religione, & ſtatu, prout nunc ante electionem ſunt, eis liberè frui poſſint, permittere debeat, & velit. Quòd Epiſcopus Curienſis omne id, quod Fœdus Cathedrale in abſentia Epiſcopi Curienſis tractauit & concluſit, tam in contractibus, quàm in diſtractibus, liberationibus, & aliis rebus, ratum & firmum habeat, & eſſe permittat; & contrà id nullam innouationem vnquam intentare velit. Quòd Epiſcopus Curienſis, ſine conſenſu capituli, & Fœderis Cathedralis, iura & proprietates Epiſcopatus nec vẽdere, nec alienare debeat, nec poſſit. Caſu, quòd Epiſcopus Curienſis aliquid ageret, per quam actionem capitulum, & Fœdus Cathedrale, grauamen aliquod prætenderent, & adminiſtrationis rerum, & iurium Epiſcopatus, rationem ab ipſo peterent; tunc Epiſcopus, ad inſtantiam capituli, & Fœderis Cathedralis, rationem reddere debet. Epiſcopus Curienſis officia Epiſcopatus per homines Fœderis Cathedralis adminiſtret. Epiſcopus Curienſis nullam authoritatem, munus Epiſcopale reſignandi, permutandi, aut alio

quouis

quouis modo alienandi, sine cõsilio, consensu, & voluntate, capituli, & Fœderis Cathedralis, habere possit, nec debeat. Nuncius Apostolicus Scapius, & capitulum Curiense, ad protestationem, & lectionem hanc responderunt, & inter alia, immunitatem Ecclesiasticam obtendebant, atque electionem, secundùm canones, debere esse liberam asserebant.

In Gallia interim Commissarij Regij in componendis rebus Rhætiæ, & Vallistellinæ, diuersa media proposuerũt. Schenardus, inter alia, proponebat, vt Rhæti Prouisorem generalem, sed Volturenum, nominare possent, & hic etiam cõtrouersias ciuiles inter Rhætos, & Volturenos iudicaret: adhæc, ad præturas, & audiendas appellationes, Voltureni certum numerum ex suis nominarent, & ex his Rhæti prætores, & Iudices appellationis eligerent. Quod gratiam in casibus criminalibus impertiendam attinet; Rhæti eam intra terminum quindecim dierum, à die latæ sententiæ, impertiri possent: denique, vt partem census Rex Galliæ ipse persolueret. Rhætorum Legati, tenorem instructionis secuti, restitutionem in pristinum statum, secundùm tractatum Madrilliensem, vrgebant. Voltureni autem Deputati, scripto exhibito, dicebant, se, tenore capitulationis Monzonianæ, Rhætis, præter tributum, & confirmationem Officialium, nihil debere: reliqua officia, & vtilitates Vallis, ad se spectare. Colonellus Gulerus xi. Octobris Curiam in Rhætia appulit. Colonelli autem, Schauensteinius, & Molina, in Gallia permanserunt. Schenardus, & Carbonera, ex Gallia in Vallemtellinam venerunt; & Doctor Iacobus Venosta, Parisiis permansit; quem tamen Vallistellini inde etiam auocare in consilio Vallis concluserunt. Et in Hispaniam, die xx. Octobris, Actium Bestam, & Doctorem Andream Taurellum, sub prætextu agẽdarum gratiarum, mittere decreuerunt: qui etiam eò profecti sunt. Comitia Curiæ conuocata fuerunt, vbi die xx. Octobris, Legatus Gallicus Meminus comparuit, & de optima voluntate Regis Christianissimi versus Rhætos, confœderatos suos, amplis verbis disseruit, & ad pacem, & concordiam, eos exhortatus est. Litteras etiam regias, sigillo, & manu regia corro-

boratas, obtulit; quarum tenor hic est:

Ludouicus, Dei gratia, Rex Francorum, & Nauarræ, &c. Omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem. Et cùm res sic se habeat, quòd in primo articulo capitulationis, quę anno M.DC.XXVI. V. Martij, Monzoni conclusa fuit, super rebus inter Rhætos, & Volturenos, inter alia, continetur, Quòd omnes tractatus, & capitulationes, quæ ab anno M.DC.XVI. cum Rhætis de quibuscunque rebus, aut quacunque forma, & modo factæ fuerunt, nullæ, & nullius valoris esse debent. Notum proinde facimus, quòd ex illis causis, & aliis bonis considerationibus, animum nostrum ad hoc mouentibus, declarauimus, & per præsentem, nostra propria manu subscriptam declarationem, declaramus, quòd, vigore specificatæ clausulæ in primo articulo tractatus Monzoniani, omnes alij tractatus, qui Lindauiæ, & Curiæ, per charissimum nostrum consanguineum Archiducem Leopoldum, sicuti etiam illi, qui Mediolani cum Tribus Fœderibus, optimis nostris amicis, & confœderatis, conclusi fuerunt, ab anno M.DC.XVII. citra, vsque ad diem, quo Monzoni capitulatio facta fuit, debent esse irriti, annullati, & aboliti: Promittentes per hoc medium, quòd Rhæti, nostri confœderati, frui possint fructibus & effectibus dictæ reuocationis, & annullationis: atq; etiam, si quis Princeps, quisquis ille fuerit, conari vellet, virtute dictorum Lindauiensium, Curiensium, aut Mediolanensium tractatuum, Rhætos molestare, & tribulare, in præiudicium claræ annullationis eorum; spondemus, vigore tractatus Monzoniani, Rhætos defendere, & protegere omnibus licitis, & iustis mediis; imò, ipsis etiam armis, quatenus opus foret. Nihilominus reseruamus iura, quæ de iure ad Comitem Tirolis in Engadina inferiori, & Octo Iurisdictionibus, secundùm veteres conuentiones, spectant, quibus nullo modo derogare intendimus. Et talis est nostra voluntas. In quorum fidem his præsentibus sigillum nostrum appendi curauimus. Datum ad Sanctum Germanum, die XIV. Septembris, anno M.DC.XXVII. Regni nostri XVIII.

LOVYS.

Colo-

Colonellus Gulerus deinde in Senatu retulit, quòd à Rege Chriſtianiſſimo benignè excepti, & clementiſſimè tractati fuerint: quodque ipſi omni ſtudio iura noſtra expoſuerint, calumniaſque contra Rhætiam vbique ſparſas diluerint, atque, cùm iam bonum exitum rerum ſperarent, bellum inter Reges Galliæ, & magnæ Britanniæ, ingruerit: proindeque Commiſſarij deputati Regij rebus iſtis in præſenti operam dare non potuerint. Se itaque, vt de optima Regis voluntate eos certiores redderet, in patriam reuerſum eſſe.

Nuncius Apoſtolicus Scapius, pro executione tractatuũ, anno M.DC.XXIII. initorum, inſtitit, &, inter alia, dixit, Eccleſiaſticos, niſi executio data fuerit, coactos fore, petitionis ſuæ obtinendæ cauſa, authoritatem potentiſſimorum Principum quærere, quorum medio ad intentionem ſuam peruenire poſſint: nec eorum Principum authoritatem, & auxilia illis denegatum iri: ſed in ſcriptis nullam petitionem exhibere voluit. Senatus Rhæticus omnia ad communitates diligenter perſcripſit; & litteras, cum gratiarum actione, & humillima commendatione ad Regem Chriſtianiſſimum miſit. Die XXIV. Octobris Joſephus Morus, Epiſcopus Curienſis, conſecratus fuit. Bullæ ipſius continere dicebantur, vt nec ipſe, nec capitulum, inconſulta Sede Apoſtolica, vlla iura Epiſcopatus nec vendere, nec permutare, nec donare, aut alio modo diſtrahere poſſint. Die Iouis, XXVIII. Octobris, Nuncius Apoſtolicus ex Rhætia diſceſſit. Voltureni interim ea, quæ à Legato Memino, & Conſaluo Corduba perſcripta erant, ad communitates ſuas retulerunt: necdum de Magiſtratu conſtituendo inter ipſos planè conuenit.

Die quinta Nouembris, Io. Maria Quadrius, Vicarius foraneus, in medio Tertiario, Lazari Caſſarini, Epiſcopi Comenſis, mandatum publicat, Ut Catholici conuerſi iam à ſeptem annis ſine licentia ſua ex Valletellina, præſertim ad loca hæreticorum, vt vocat, ne diſcedant: pœnam contrà facientibus, quingentorum aureorum, locis piis applicandorum, imponit: fautoribus, & auxiliatoribus ipſorum, in diſceſſu, pœnam trecentorum aureorum comminatur.

Ooo 2

Item; Ut nullus Catholicus in aliquem locum proficiscatur, vbi Catholicam Religionem liberè exercere non possit; sub eadem pœna. Nemo etiam, sub incursione eiusdem mulctæ, nec publicè, nec priuatim, de Religione tractare audeat. Doctor Io. Iacobus Paribellus, Prætor Tertiarij de medio, (vti ipse se nominat) die VI. Nouembris, publicum mandatum affigi curat, quo, in executione conclusionis in consilio Vallis factæ, omnes Protestantes proscribit, & intra quatriduum abire iubet: & qui nomen suum non fuerit professus, & commeatus publici diploma non obtinuerint, eos impunè occidi posse pronuntiat: prout postea statim Trahonæ Iosephum Malacridam de Caspano, Protestanti Religioni addictum, vti paulò antè Eduardum Parauicinum, ex insidiis occiderunt.

Die VIII. Decembris Consaluus Corduba, apud quem iam ter Frãciscus Ulmus, Vallistellinus, nomine Vallis fuerat, Io. Baptistam Casnedum, de Grabedona, & dictum Ulmum, cum epistola in Vallemtellinam misit. Tenor erat: Ne vllam propositionem, aut practicam (nundinationem) contra tractatum Monzonianum audirent: nec aliquam tractatus interpretationem, nisi ab vtroque Rege promanantem, admitterent. Imò ad dictum tractatum obseruandum, si vel vis adhibenda foret, se eos tueri velle, ait. Admonet deinde eos, vt suos Magistratus eligant, & confirmationem à Grisonibus petant, denique hæreticos ex Valle exire iubeant. Quoad censum, & tributum Grisonibus soluendum; significat, Regem Catholicum eam portionem, quæ conueniens sibi visa fuerit, ex camera Ducali Mediolanẽsi Volturenis dare velle. Denique hortatur, vt efficiant, vt Doctor Io. Franciscus Schenardus à practicis, & machinationibus, contra tractatum desistat: Sin; vti perturbator capitulationis puniatur. In reliquis se refert ad fidelem Casnedi, & Ulmi, relationem. Consilium Vallis deinde diebus XIII. XIV. XV. Decembris, Sondrij habitum fuit; & quidem armata hæc comitia fuere. Nam Albosagiæ plusquàm quinquaginta armati, qui agminatim ex Ducatu Mediolanensi eò venerant, latitabant. Sondrij, vbi consilium habebatur, vltra centum & quinquaginta armati conuentum

stipa-

ſtipabant. Tres cohortes Hiſpanorum Soricum vſque in proxima confinia Vallistellinæ venere: vt omnes, contra Hiſpanizantes ſentientes, terrore percuterentur. In conſilio variæ deliberationes, ad vota Hiſpanorum omnes, factæ fuere: inter alia; Ut noua gubernandi forma executioni mandaretur, & confirmatio Officialium à Griſonibus peteretur, ratificando expeditionem à Deputatis (vid. Dd. Paribello, & Pyrario) ſuper hac re factis. Doctor Schenardus vocatus, vt coram conſilio compareret, atque ſi quid haberet, proponeret; in ſcriptis quædam produxiſſe dicitur; perſonaliter comparere renuit. Decretum deinde fuit, vt contra ipſum ſuper tribus præcipuè criminationibus procederetur: nempe, quòd in Galliam profectus fuerit, contraria tractatui Monzoniano propoſuerit, & in Valle apud communitates nundinationes exercuerit. Satellites, quos Schenardus penes ſe habebat, duobus exceptis, abire iuſſi ſunt. Ipſe iam antea noctu deinde ſe in ditionem Venetam ſubduxit. Ut Doctor Iacobus Venoſta iterum ex Gallia reuocaretur, concluſum fuit. Propoſitum etiam fuit, militiam certam inſtituere, & numerum militum in album referre: idque pro conſeruatione regionis, & pro ſecuritate à periculis, quæ quietem publicam perturbare poſſent. Proindeque mandata Ulmo, & Caſnedo, data, vt apud Conſaluum, arma, & apparatum bellicum neceſſarium, cum comeatu, procurarent. Sex inſuper leges pro beneficio regionis (vt aiebant) & eius ſecuritate, ſtabilitæ fuere: videlicet, Primò, circa religionis aduerſarios ſancitum fuit, eos tenore capitulationis in Valle habitare non poſſe: ſub pœna amiſſionis vitæ, & bonorum, applicandorum Valli. Reſeruatum tamen, quòd pro negotiis ipſorum expediundis à Juſdicentibus ſaluus conductus eis concedi queat, qui tamen ſpatium menſis quolibet anno non excedat. Atque menſe illo, aut tempore, nulla arma geſtare valeant, & fideiubeāt de benè viuendo, nec vllum ſcandalum dent. Relapſi autem, & apoſtatæ, ſint excluſi ab omni beneficio ſalui conductus. Conuerſi, non ſint capaces alicuius officij, nec in Valle, nec in Tertiario, nec in cōmunitate, per ſpatium decennij, & vlteriùs, pro arbitrio Vallis. Decennium autē numerabitur à die

publicatæ legis. Perſonæ, quæ diſpoſitionem ſe conuertendi habent, priuſquàm in Vallem venire ipſis permittatur, teneantur coram Inquiſitore ordinario Vallistellinæ profeſſionem edere, & hoc intra ſpatium ſex menſium. Nullus priuatus plures quàm duos exteros (videlicet, ſatellites) in domo habere debet: adeoque in his obſeruentur conſtitutiones in gubernatione ſtabilitæ. Nemo, ſub pœna vitæ, & amiſſionis bonorum, quocunque modo audeat tractare, nec proponere, priuatim vel publicè, aliquid, quod capitulationi Monçonianæ contrarium ſit. Nec vllus priuatus, directè, vel indirectè, audeat aliquam correſpondentiam habere cum Principibus, aut ipſorum Miniſtris, quoad publica negotia: ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis.

Die Martis, XXVIII. Decembris, comitia Trium Fœderum Curiæ indicta fuere. Griſæi iam antea cõqueſti erant, quòd, cùm plura vota in comitiis generalibus alias haberent, iam in conſilio ſtatus æqualia tantùm, cum reliquis, præſertim Decem Iuriſdictionum fœdere, darent. Itaque, pro bono pacis, & ſine præiudicio iurium cuiuſque Fœderis, Griſæis permiſſum fuit, vt adhuc duos ex ſuis, & Cathedrales vnum, adiungerent. Conſul Gregorius Meierus, qui die XXX. menſis antecedentis in Heluetiam miſſus fuerat, vt Heluetios de toto ſtatu Reipublicæ Rhætorum, & modo procedendi Volturenorum edoceret, ſimul etiam litteras commendatitias pro Rhætis ad Regem Chriſtianiſſimum, tam à Catholicis, quàm Proteſtantibus Heluetiis, obtineret; in Senatu retulit, animos Heluetiorum vtriuſque Religionis optimè erga Rhætos affectos eſſe, ipſoſque libenter Regi Chriſtianiſſimo rem Rhæticam in optima & decenti forma commendare velle.

Voltureni iam antè per maiora (nam multi adhuc conſtitutionem formæ gubernationis differre volebant) deputauerãt Doctores Io. Iacobum Paribellum, & Veſpaſianum Pyrarium, vt videlicet à Rhætis confirmationem Officialium peterent. Tirani namque, Doctorem Stephanum Caſtellum: Sondrij, Doctorem Andream Carboneram: Morbennij, Franciſcum Ulmum: Trahonæ, Doctorem Lælium de Caſtello: Tilij, Io. Antonium Gattum, Prætores elegiſſe dice-

dicebantur. Gubernator,& Consiliarij autem dicebantur illi,quos antè nominauimus,esse. Et Doctores Collegij ferebantur hi: Franciscus Venosta, Andreas Taurellus, Antonius Aristarchi Quadrius, Antonius Maria, & Petrus Martyr,Parauicini. Duo autem illi deputati,Paribellus,& Pysarius,Curiam in Rhætiam venire noluerunt:sed alium, Doctorem Iacobum Venostam,D. Camilli filium,Tiranensem, substituerunt. Hic primùm Veldcurium profectus,inde secum die dicta Martis,XXVIII. Decembris,Curiam duxit Magistrum Artium Hectorem Veltinum, Notarium Cæsareum, & Serenissimi Archiducis Leopoldi in ditione Veldcuriana Scribam.Die sequenti,cum Notario à Legato Gallico in ædes ipsius vocatus,&,cùm nullas litteras à Valle ad dictum Legatum haberet,de itinere, & commissione sua interrogatus fuit. Ipse se venisse respondit,vt præsentaret Officiales in Valletellina electos, & horum confirmationem à Rhætis,vigore tractatus Mõçoniani,peteret. Cui tum Legatus apertè,Se nec debere,nec posse permittere,vt talis præsentatio fiat; minùs etiam, vt Rhæti confirmationem suam impertiant: si non priùs dubia, quæ ex dicto tractatu Monçoniano resultant,debitè soluta fuerint, & partitio census inter Vallistellinos,& comitatum Clauennensem,& Bormiensem,facta, allata fuerit. Idque propter rationes, & considerationes ipsi, Venostæ, fusè indicatas, & commonstratas. Rationum autem,& quæsitorum horum præcipuorum,hæc substantia erat: Nempe,ante omnia Legatus petebat,Sibi communicari formam noui istius Consilij,& Gubernationis,quam in Valle introducere anniterentur: vt videre posset, an sit conformis tractatui Monçoniano. Nam si proiectum,seu,forma illa sit,quæ excusa typis prostat, & præfert nomen articulorum, seu capitulorum, anno M.DC.XXVII. diebus XXV. XXVI. XXVII. Iunij,in Valletellina circa gubernationem stabilitorum (cui publicationi tamen, cùm sibi à Valletellinis copia non missa fuerit, fidem hactenus dare non potuerit) cùm hæc contineat potestatem condendi leges,statuta,imponendi telonia,gabellas,& alia his similia, cõcedendi & impertiendi gratiam & veniam, item litteras status, denique, omnes alias notas

Supremi Dominij: clarè ſanè apparet, quòd Rhæti, Volturenorum Domini, non ſolùm ſe offenſos, & intereſſatos (vt dicitur) in his maximè ſentiant; ſed multò minùs etiam gubernationis iſtam formam approbare poſſint, velintque: cùm hæc directè intētioni, imò, tractatus Monzoniani textui, articulo primo, contraria ſint. Nec minorem conſiderationem etiam hoc meretur, quo dicta forma gubernationis manifeſtè improbari, & abuſus, ac nullitatis condemnari poteſt, quòd, non motu proprio, & de conſenſu populi; ſed ad inſtantiam, ſollicitationem replicatam, & etiam correctionem Conſalui Cordubæ facta eſt: prout videre datur ex ipſius diuerſis epiſtolis ad Vallistellinos miſſis xv. Martij, xx. Maij, iv. Iulij, xvii. Auguſti, & duodecimo Octobris, menſium proximè elapſorum. Adhæc, cùm tractatus permittat, vt Vallistellini in plurali numero eligere poſſint Gubernatores, tanquam Iudices, & Magiſtratus in vnaquaque iuriſdictione, & Tertiario; nempe, ea ſolùm auctoritate inſtructos, quam antea Officiales Rhætorum, in materia iuſtitiæ, & politiæ habebant: iam Vallistellini (inquit) prætendunt vnum ſolum Gubernatorem ſtabilire, cum auctoritate omnino differenti, & quæ excedit illam, quæ committebatur, & dabatur dictis Officialibus: in quorum tamē locũ, & non aliter, nec maiori auctoritate, ſubſtituti & ſubrogati ipſi ſunt. Quæſiuit etiam; quem ordinem in electione Officialium, & Prætorum, obſeruauerint? &, an hoc, per ſuffragia communitatum, prout videtur in omnibus illis locis requiſitum, & ordinatum eſſe; an verò per nouum conſilium, quod hoc ſibi attribuere ſategerit, hoc factum ſit? Id enim ſi ita habeat, quoniam functio non debeat incipere, niſi poſt confirmationem; concludit, conſequenter omnem electionem nullam, & inualidam eſſe. Item: quæ auctoritas ſpectet ad Doctores Collegij? num ea ſolùm intelligatur pro appellationibus primarum ſententiarum, & iudiciorum? quoniam in omni Statu, & Republica, vltimæ & extremæ appellationes ſunt de iure ſupremo. Item; ſub cuius nomine, & auctoritate, iuſtitia tam ciuilis, quàm criminalis, exerceri & adminiſtrari in Valle debeat, ſicut etiã omnes banni, & proclamationes publicæ fieri? Annō intelligant

ligant hæc, ſub nomine Rhætorum, vti ſuorum Dominorum & Superorum, fieri debere, obſeruando ſtatuta & leges anno M.D.XLVIII. publicatas, & prout ſemper in vſu fuit? His omnibus tamen indirectè intentionem gubernationis nouæ Vallistellinorum derogare manifeſtum eſſe, ait. Item; An præſentatio Officialium Iuſtitiæ, & gubernationis Politicæ fieri debeat in perſona, an per Procuratorem? &, Quis Vallistellinis dixerit, aut præſcripſerit, hãc formam, vt nempe ſimpliciter Deputatos mitterent ad hunc effectum procurandum? quoniam in omnibus Statibus, & Rebuſpublicis, moris eſt, vt Capita & præcipui Adminiſtratores iuſtitiæ, & politiæ præſtent iuramentum fidelitatis in manibus ſupremi Principis, aut ipſius commiſſariorum: & Statuta Vallistellinæ in primo articulo notabiliter & expreſſè Officiales ad id obligant. Item: An inter habitatores Vallistellinæ, & comitatuum Clauennæ, & Bormij, facta ſit diuiſio cẽſus vigintiquinque mille aureorum? &, Quam portionem Vallistellini ſoluere teneantur? quoniam hucuſq; Legatus Gallicus, quamuis omni ſollicitudine inſtiterit, vt partitio hæc fieret, ab ipſis tamen hoc nondum, quod ſciat, factum ſit. Item: Quam commiſſionem dicti deputati habeant pro ſolutione facienda portionis cenſus, ab ipſis Vallistellinis requiſiti pro primis ſex menſibus, finitis die V. Septembris proximè elapſi, vi conuentionis ſtabilitæ inter duas Coronas, die XXII. Decembris, anno M.DC.XXVI.? &, An ſecum pecunias adduxerint, vt eas offerrent Dominis Rhætis: cùm præſumatur, quòd nihil à Rhætis petituri ſint, niſi etiam ex parte ſua adimplere velint quod de iure teneantur? Et, cùm iuriſdictio Tilij in conſilio Vallis, die IV. Septembris proximè elapſi habito, ſe à corpore Vallis ſeparauerit, ac ſe gubernare velit, prout ſibi æquum videtur: ſcire cupit Legatus, an ſe poſtea iterùm cum Valle vniuerit? & ſpecialiter; an omnes communitates, & Tertiaria Vallis, concurrant in introductione iſtius gubernationis? Diſcrepantia namque, & diuerſitas opinionum inter ipſos, difficilem & dubiam redderet ipſorum obligationem verſus Rhætos. Multa etiam alia Legatus ediſſeruit: adeoq; contendit, planè explicationem tractatus petendam & exſpe-

ctandam fore. Interim Officiales, qui modo prætoris funguntur, Iustitiam administrare posse, dixit: prout etiam Clauennenses,& Bormienses,faciant. Atque, vt Deputati super his in scriptis declarationem authenticam à communitatibus Vallistellinæ afferrent,monuit: seipsum offerens, si institutionem gubernationis vsque ad explicationem tractatus dilaturi sint, se ipsis affore in iis quæ cum Rhætis tractanda haberent. Horum omnium copiam Venostæ exhibuit. Venosta autem respondit, Se nullam authoritatem ad ista dubia soluenda habere; sed mandata sua exequi, & litteris Doctorum, Paribelli, & Pyrarij, die XVIII. Decembris ad Præsides Rhætorum directas, quarum exemplum Legato dedit, præsentare velle. Hoc cùm Legatus videret, & quòd ipsi hac in re adesse nequiret, perpenderet, Venostam dimisit, iniungens ipsi, ne cum aliquo Rhæto aliquid tractaret. Sed die sequenti Iouis, nempe XXX. Decembris, cùm Legatus in Senatum Rhætorum propter alia negotia iret, Venostam in Curia ante locum conuentus inuenit, & Rhætico Senatui omnia acta exposuit: &, si forsitan Venosta propter negotium hesternum ibi esset, expedire dixit, vt cum Notario in Senatum vocaretur: qui intrare iussi sunt. Legatus denuò coram toto consessu, declarauit, nomine Regis Christianissimi, Domini sui Clementissimi, Quòd videlicet, propter rationes contentas in scripto heri Venostæ exhibito, vsque ad explicationem tractatus, & census partitionem, se opponat omni præsentationi quam facere velit dictus Venosta, vt quæ illegitima & defectuosa sit, prout suprà dictum; simul etiam omni confirmationi, quàm Rhæti impertiri debeant: impediendo tam dictum Venostam, ne præsentet illam epistolam Doctorum Paribelli, & Pyrarij (eam vni ex apparitoribus dederat; sed non reserata ipsi & intacta restituta fuit) quàm Rhætos, ne eam acceptent: quamuis etiam tenor, & titulus, ac inscriptio dictæ epistolæ iustam occasionem eam non acceptandi dent: néve etiam alias scripturas, si quas in hac materia habeat, depromat. Et de omnibus supra scriptus Notarius rogatus fuit.

Die Veneris, vltima Decembris, Episcopus Curiensis, & pater Ignatius Capuccinus, qui se commissarium Pontificis

in Mis-

In Missione Rhætica dicebat, coram Senatu Rhætico comparuerũt, proposueruntque, Templa in Engadina inferiori pleraq; combusta, ex ære Principum Catholicorum, quoad ædificia & ornamenta Ecclesiastica, restaurata esse: proinde Catholicis solis, ex aliis etiam titulis, concedi debere. Contra Protestantes prætenderunt, se libertati pristinæ Ecclesiasticæ & Politicæ restitutos, & templa à maioribus suis ædificata esse, in quorum locum ipsi subrogati sint: nec etiam Catholicis communem templorum vsum se prohibere. Pro bono pacis, & sine præiudicio iurium partium, in præsens ordinatum fuit, vt templa Catholicis (qui tamen exiguo numero ibi sunt, & in aliquibus pagis nullus est) vsq; ad proximum festum Paschatis concederentur: interea Legatus Gallicus, & Rhæticus Senatus, de opportunis remediis conciliandi partes, & controuersias decidendi, prospicerent. Eadem vltima die Decembris Clauennenses in oppido per maiora (nam multi non consensisse dicuntur) de expellendis Protestantibus concluserunt. Die itaque II. Januarij M.DC.XXVIII. instigatu Patris de Martinengo, Capuccini, qui anno præterito in Valletellina etiam contra Protestantes sæuijt, per publicum mandatum, & de facto, vt ipsi ponunt, Protestantes proscribunt, & expellunt: vt, videlicet, nemo ex eis, sub pœna cõfiscationis bonorum, (inhabilibus pœnam corporalem imponunt) in oppido plus quàm per triduum habitare possit: omnésque apud Commissarium nomen profiteri teneantur: atque vt originarij Protestantes Clauennenses per duos menses quotannis, vicibus distinctis, cum licentia magistratus habitare possint. Caupones nomina omnium Clauenna transeuntium singulis diebus Commissario edere teneantur. Communitates exteriores nihil adhuc publicarunt: dicebantur velle super his exspectare explicationem duarum Coronarum. Sed mox, mutata sententia, eos etiam abire iusserunt.

Die Lunæ, IX. Januarij, Carolus Gonzaga, Dux Niuersij, &c. incognitus per ciuitatem Curiensem, & Rhætiam, in Italiam, ad successionem Ducatuum Mantuæ, & Montisferrati, iter tenuit. Doctor Jacobus Venosta, Camilli f. cùm in consilio Vallistellinæ, quæ Curiæ Rhætorum acta essent,

retuliſſet, concluſum fuit, vt ſtatim Mediolanum mitteretur, & de omnibus Cõſaluum edoceret: prout fecit. Poſteà etiam eò Franciſcus Ulmus profectus eſt. Menſe dein Februario, Conſaluus Conſilium ſecretum, & quatuor Doctores Senatores, conuocaſſe dicitur: quorum conſilio ſtatuit, vt Vallistellini in Magiſtratu conſtituendo pergerent, atque ad eos litteras ſuper eo negotio ſcripſit, nullam planè faciens mentionem oppoſitionum à Legato Gallico factarum.

Cùm Clauennenſes quaſdam litteras Iacobi Curtabatti iunioris, Prægalli, quas ad ſororios ſuos ſcripſiſſe dicebatur, intercepiſſent: in quibus, inter alia, mentio fieri dicebatur, Clauennenſes, expuliſſe quidem Proteſtantes, ſed breui tempore noua auditum iri: menſe Januario, in oppido Clauenna, cùm familiarium negotiorum cauſa ibi fortè eſſet, captus fuit. Triplex capitis crimen ipſi intentabant; Quòd arma prohibita geſtauerit, libellum famoſum contra aliquos Clauennenſes apud ipſum inuenerint, &, quòd litteras à Carolo Stampa ſcriptas, ab ipſo Curtabatto ſubſcriptas, ad Colonellum Ulyſſem à Salis directas, in caligis penes ſe habuerit. Harum argumentum eſſe dicebatur, Quòd aliqui proditores Clauennenſes peſſimo animo cõtra Rhætos ſint, & præcipuè contra domum Salicæam, & Proteſtantes, prout in multis occaſionibus demonſtrauerint, & nouo edicto confirmauerint. Pecunias itaque ab ipſo colonello Ulyſſe petebant, vt vigintiquinque, vel triginta animoſos viros ducere poſſent, quorum auxilio, decem vel duodecim proditores Clauennenſes è medio tollerent: quibus ſublatis (quoniam eorum opera patria, patrimonio, & religione pulſi eſſent) res pro Rhætis, & religione, meliùs conſtitutum iri pollicebantur, cùm vniuerſitas populi non malè erga Rhætos, & Proteſtantes affecta ſit. Orant, vt hæc cum aliis, quorum interſit, communicet: ſique è re eſſe iudicauerit, alterutrum ad ipſum venturum, vt de rei peragendæ ordine accuratiùs deliberare cum ipſo poſſent. Gratulantur deinde ipſi de cohorte, quam in Galliam, auſpiciis Regis Chriſtianiſſimi, ducere debeat. Curtabattus ter, interpolatis vicibus, ſuper complicitate tortus fuit: ſed neminem,

minem, præter Carolum Stampam, consensisse dixit. Legatus Gallicus Meminus, intercedens pro eo, ad Clauennenses scripsit, & etiam interpretem Regium Ioannem Paulum eò misit, vt in eius gratiam, sub cautione de non offendendo, & eum procul ablegando, dimitteretur. Deputati Clauennenses ad vniuersum populum hæcce retulerunt: qui die Dominica, VI. Februarij, congregatus fuit, & vt iustitia cursum suum haberet, conclusit. Doctor Maurus, qui se Commissarium Clauennæ nominabat, Mediolanum ad Consaluum, vt eum super hac re consuleret, profectus est. Deinde Curtabattum in fortalitium Fontanum, securioris, vt aiebant, custodiæ causa, Clauennenses miserunt: ea tamen conditione, vt ipsum iterum, quando vellent, retrahere possent. Die deinde Veneris, XII. Maij, Vicarius Inquisitionis Comi, cum decem Comensibus satellitibus, Clauennam venit, sibiq; virtute litterarum die VIII. April. Roma, à Congregatione de propaganda fide, emanatarum, captiuum tradi petiit; qui proin die Mercurij XXIV. eiusdem mensis Maij à Doctore Mauro Grabedonæ Inquisitioni deditus, Comumque deductus fuit.

Die XIX. Febr. Voltureni, vt planè declararent, se omnem auctoritatem Rhætorum flocci pendere, circa monetas, vt viliori pretio exponerentur quàm ante, sub titulo Iacobi Robustelli Gubernatoris mandatum publicarunt. Die deinde XXVII. eiusdem mensis, Magistratum suum, vt vocant, in possessionem miserunt. Franciscus Vlmus, Mediolano rediens, quingentas moschettas, cum requisito apparatu sibi à Consaluo donatas, Dalebium, in Vallemtellinam deduxit, quæ postea distributæ fuerunt. Cùm magnus numerus equitatus Imperialis in vicinam Sueuiam venisset, pars turmæ equitum Alexandri Ciconiæ in Vallem Dulcem, ad fines Rhætorum, venit. Deinde XII. Martij Comitia Badenæ in Heluetiis, propter vicinitatem militis Imperialis, celebrata fuerunt: quò à Rhætis Consul Gregorius Meyerus missus fuit. Mira omnium Heluetiorum, & sociorum, alacritas pro defensione patriæ apparuit. In Rhætia sex mille delecti, & ad Regem Christianissimum super his rebus die XXX. Martij à Rhætis litteræ scriptæ fuêre. In lo-

cum equitum Alexandri Ciconiæ venit deinde media cohors peditum; qui postea, die XII. Maij, inde discesserunt.

Doctor Iacobus Schmidt à Grueneck iam à multis annis cum Ioanne Maria Vertemanno, Pluriensi, incolæ Genuẽsi, amicitiam coluerat. Hi sæpiùs de rebus Rhæticis, & Volturenensibus, litteras vltro citroque scripserant. Vertemanno etiam liber aditus ad Marchionem Castaneti, Legatum Hispanicum Genuæ, patebat; quem de iuribus Rhæticis, vt ea in aula Hispanica referre posset, edoceri cupere dicebant. Hæcce Senatui Rhætico cùm significata essent, mense Martio, Doctor Schmidius, sub prætextu negotiorum suorum priuatorum, cum mercatoribus Crololanzis (vti negotia cum ipsis expediũda etiam habebat) Genuam profectus est. Summa instructionis fuisse dicitur, Ut Ministros Hispanicos, cum quibus conferre posset, de iuribus Rhætorum edoceret, & calumnias, ac criminosas obiectiones Volturenorum refutaret, quò commune patriæ bonum promoueretur: reuera autem, vt restitutionem subditarum terrarum sollicitaret. In reditu dein Papiæ Consaluum, qui modò Gubernator Mediolani creatus fuerat, & cui deinde Senatus Rhæticus honorem congratulatus est, conuenit: à quo, vt & Mediolani à magno Cancellario Petro Ferrario, & Joanne Comite Serbellono, bona verba retulit. Interim pro legione Schavenburgica, permissu Senatus Rhætici, sexaginta arcæ moschettis plenæ, in Ducatum Mediolani per Rhætiam ductæ fuere. Die Lunæ, XVII. Aprilis, Bernardus Mazonus, Bormiensis, cum Magistro Hectore Veltlino, Notario, Curiam cùm venisset, litteras Senatui Rhætico obtulit, quæ à Bormiensibus scriptæ erant circa electionem Prætoris. Sed, cùm in inscriptione titulus *(Patroni)* non appositus esset, & aliis idoneis de causis, non resignatæ ipsi restitutæ fuerunt. Idem Mazonus litteras alias Legato Gallico dedit. Hic deinde die XVIII. sequenti ipsis rescripsit, & quatuor ista ab ipsis scire petijt: Primò, Sub cuius nomine, & authoritate, iustitiam ciuilem, & criminalem, cum politia administranda, & consequenter Bannos, Decreta, & Edicta publicanda dicant? annon hæc sub nomine Rhætorum, obseruando leges, & statuta anti-

antiqua, facere velint? Secundò; An præsentatio Prætoris, & Officialium, personaliter, vel, per Procuratorem fieri debeat? quoniam moris vbique est, vt Administrator Iustitiæ iuramentum in manibus Supremi, aut ipsius Commissariorum, præstet. Tertiò; An diuisio census inter Volturenos, Bormienses, & Clauennates, facta sit? cùm id hactenus nunquam rescire potuerit. Quartò; Quodnam mandatum de numerando censu iam decurso habeat? Multa præterea argumenta adduxit, suadens ipsis, vt in officiis, sicut iam per annum vnum fecerint, continuarent. Cæterùm præsentationem, his, & aliis de causis, approbare noluit. Prætorem autem Bormienses, Jasonem Folianum, elegerunt.

Circa initium mensis Maij Consilium Vallistellinæ Tirani habitum fuit: quò tamen Deputati Ditionis Sondriensis non omnes proficisci voluerunt. Doctor Jacobus Venosta, Claudij filius, ex Gallia in Vallemtellinam iam antè redierat, & torquem aureum cum promissione annuæ pensionis habuisse dicebatur. Hic modò quid expedierit, retulit. Dona, quæ receperat, sine inspectione, ipsi relicta, & scripta quæ attulit, sigillo obsignata fuerunt. Ulmus, cum litteris Gubernatoris fortalitij Fontæi, comparuit. Harum tenor esse dicebatur, nisi Vallistellini omnem transitum militi contra Regem Hispaniæ in militiam proficiscenti occluderent, se huic negotio prouisurum. Et verò ad Ripam Mezolæ venit, ibique aliquos Germanos in Dominium Venetum proficisci volentes redire coegit: nautis etiam, ne quem militem per lacum ducerent, prohibuit. Voltureni diu super his petitionibus deliberasse, & viginti sex capita, cur transitus occludere sibi non expediat, scripto, per Franciscum Ulmum, ac Bernardum Parauicinum, ad Consaluum, qui in obsidione Casalensi erat, misisse dicuntur. Mense Maio, Episcopus Comensis in comitatum Clauennæ venit, vbi aliquamdiu substitit, omniaque feuda mensæ Episcopalis (multa verò inclusisse dicitur, quæ in antiquis feudis non erant) quæ à Protestantibus possidebantur, vtut censum persoluissent, ab eis, vti inhabilibus, vt aiebat, in alias personas transtulit. Nec hac ratione à proposito quicquam deflecti potuit, quòd

anno M. D. LI. X. Decembris, Colonellus Hercules à Salis, & alij Proteſtantes, ab Epiſcopo Comenſi de aliquibus feudis inueſtiti fuerint. Prædia etiam Triuultiana, quæ Rhætorum Trium Fœderum ſunt, vti etiam ius piſcandi in lacu Mezolæ menſæ Epiſcopali addicere voluit: prouti Cæſar Adda, ceu Syndicus, die XVI. Junij, præceptum Conſulibus comitatus Clauennenſis miſit, vt ſe, ſub pœna quingentorum aureorum, & excommunicationis in ſubſidium, de prædictis bonis inueſtirent: qui tamen illud facere recuſarunt. Exeunte menſe Maio, Colonellus Ulyſſes à Salis cohortem vnam ducentorum Rhætorum, auſpiciis Regis Chriſtianiſſimi, ex Rhætia in Galliam duxit.

Hiſpanizantes Voltureni, quod aliquandiu apud Conſaluum ſollicitauerant, iam obtinuerunt; videlicet, vt Calend. Junij duodecim ſatellites equites in Vallemtellinam mitterentur, quibus aiebant ſe vti velle ad tutandam authoritatem Magiſtratus: reuera autem conducti erant, vt militem à tranſitu in Venetam, & Mantuanam ditionem proficiſcentem abſterrerent. Sexcentos aureos pro ſuſtentatione ipſorum Conſaluum numeraſſe ferunt. Die Dominica, XI. Junij, Marchio Lenoncourtius, Gallus, cum duobus nobilibus, & famulo, per Vallemtellinam tranſiens, propè Stazzonam in hoſce ſatellites incidit; Hi, cùm ipſum aggrederentur, & vellent vt Tirani ſe ſiſteret; ipſe manus cum eis conſeruit. Jo. Petrus Camparinus, vnus ex ſatellitibus, occiſus; Melchior Caſatus, eius ſocius, lethaliter vulneratus fuit, vt paucis poſt diebus diem obiuerit. Famulus Lenoncourtij in crure vulneratus, captus fuit, quem tamen poſtea, cum pecuniis heri ſui, etiam liberum dimiſerunt. Quidam ex ſociis Lenoncourtij, cùm equo conductitio Peſclauienſis cuiuſdam admodum ſegne vſus fuiſſet, vnum ex horum ſatellitum equis conſcendit: quem tamen ex ditione Veneta iterum remiſit. Die poſtera ſatellites reliqui ex Valletellina diſceſſerunt. Cùm per Rhætiam non exiguus numerus militum quotidie, inconſulto Magiſtratu, tranſiret, nonnulli etiam ſub Aluiſio Turrio, Modœtienſi, Genuenſibus, & aliis, per Vallem-Monaſterij, & Vallemtellinam, iter tenerent: adhæc alij in

Helue-

Heluetia,& Rhætia, militem conſcriberent; Senatus Rhæticus edictum, anno præterito ſancitum, repetere decreuit, Ne videlicet quis, ſub grauiſſima pœna, militem ſcriberet,aut tranſitum,& hoſpitium, militi tranſeunti daret. De hoc edicto, antequam publicaretur, die Jouis, xv. Junij, Legatum Gallicum adiuerunt, & de hac re cum ipſo contulerunt: qui expreſſè voluit, Ut Veneti, & Dux Mantuæ,exciperentur. His tamen non obſtantibus, die Veneris ſequenti, xvi. Junij,edictum in genere, nulla reſeruatione facta,publicatum fuit. Quare Legatus non leuiter offenſus fuit,petiitque,vt res coram comitiis proponeretur. Senatus contrà, ſeu Conſilium ſtatus, aiebat,hæc à Communitatibus dependere,quibus ea propoſiturus ſit. Die Sabbathi ſequenti xvii. Junij, ab Hieronymo Cauazza, qui Venetorum Tiguri Legatum agebat,Reſidentiam vocant, litteræ,die Iouis antè ſcriptæ,in Senatu Rhætico lectæ fuerunt:quibus tranſitum pro mille ducentis viris,duce Colonello Joanne Petro Eſchero, per Rhætiam petijt. Cauazzæ reſponſum fuit, Hoc non à Senatus, ſed à Communitatum ſuffragiis pendere. Capitaneus Stephanus Thiſius etiam ſexcentos milites pro Carolo Duce Mantuæ conſcribere debebat, & bonam partem ipſe, & Dauid Tſcharnerus, eò duxerunt. Jacobus Viezelius,Joannes Hœſlius, Joannes Petrus Saccus, Jo.Baptiſta Tanzius, Raphael Saccus,Rhæti; & Io.Baptiſta Subuia, Volturenus,cohortes pro Venetis etiam conſcripſerunt. Proinde die Lunæ, xxvi. Junij, interdictum per præconem, Curiæ Rhætorum, vbi Senatus congregatus erat, iterùm editum fuit; cuſtodes etiam ad viarum tranſitus poſiti: & die Veneris, xiv. Julij, (cùm iam edictum à Communitatibus confirmatum fuiſſet, data Senatui libera poteſtate tranſgreſſores puniendi) quinquaginta milites ex legione Jo. Petri Eſcheri capti in monte Gonckelio, Curiæ coram Senatu Rhætico in iudicium vocati, ordinatumque fuit, vt decimarentur, decimus, nempe ſorte ductus, penſilis trochleæ, (ſtrapatam vocant) pœnam ferrent. His tamen gratia facta fuit. Poſtea etiam in aliis locis capti,& relegati fuere. Sancitum etiam fuit, vt omnes, qui contra edicta Magiſtratus in bellum

profecti erant, intra mensem in patriam reuerterentur: secùs, pœna proscriptionis perpetuæ tenerentur. Inter alia Rhætos malè habebat, quòd ipsorum subditi rebelles, & à Gallis, & à Venetis, muneribus, & pensionibus donari dicerentur. Quibus pro Gallis, & Venetis, respondebatur, Eos nolentes volentes, vt transitum apertum pro nobilibus, & cursoribus, habere possint, bona verba his hominibus dare teneri. Ante, die XXII. Junij, Synodus Pastorum Protestantium Scharansij in Tomiliasca habita fuit. Ubi diutinum illud inter Euangelij Ministros nonnullos dissidium, circa exortos tumultus, & contentiones politicas, anni M.DC.XVII. & sequentium, hac tandem ratione sopitum: Si qui fuissent ex illorum numero, qui, præter Decretum Synodi Bergunianæ, concitassent populum, aliaque sacro Ministerio indigna tentassent, & perpetrassent; hos iudicat veneranda Synodus grauiter peccasse, adeoque digna pœna afficiendos esse. Qui ex pastoribus olim interfuerunt Judicio censorio Tusanensi, quantumuis id fecerint præter voluntatem, & Decretum Synodi, habentur tamen excusati, eò quòd nutu, mandatoque supremi Magistratus, id se fecisse palàm fecerint coràm Synodo Malantiana, cuius acta hac in parte confirmantur. Si quæ olim dicta, facta, aut etiam decreta essent in præiudicium honoris, & existimationis DD. Stephani Gabrielis, Georgj Salutij, Jacobi Antonij Vulpij, aliorumque membrorum Synodalium, statuit V. Synodus, ista omnia sancta amnestia sepelienda: Dn. Saluzium, vt constantem & fidelem Jesu Christi seruum semper se præstitit, ita pro eodem habendum ab omnibus, omniaque decreta, huic aduersa, irrita & rescissa esse debere. Adhæc leges Synodales renouatæ, atque constitutum, Ne quis Ministrorum Verbi rebus ad vocationem Ecclesiasticam non pertinentibus, & seditiones importunosque motus causantibus, sese immisceat; sed intra terminos vocationis suæ sobriè se contineat, sub pœna exclusionis perpetuæ; vtque transgressor ad Magistratum Politicum deferatur. Colonellus Joannes Gulerus à Veineck, & Præses Iurisdictionis Furstenouianæ, Fortunatus à Juualta, à Magistratu Politico, vt Synodo assisterent,

rent, eò miſſi fuerunt. Menſe Julio, Voltureni, Doctorem Joannem Jacobum Paribellum ad Gubernatorem Mediolani miſerunt, ſollicitatum præcipuè, ne Hiſpani aliquid cum Rhætis in præiudicium Vallistellinæ tractarent.

Die deinde XVI. eiuſdem menſis Julij, Sondrij iterùm Comitia armata habita fuere. Robuſtellus, cum manipulo armatorum ex Tertiario ſuperiori, & Tilio; Ioannes Maria Parauicinus, Ardennenſis, ex Squadra Trahonæ, cùm aliis, appulere. Ioannes Baptiſta, & D. Syluius Schenardi, ex Valletellina in ditionem Venetam ocyùs abiere. Alexander Parauicinus, Sondrij captus, Tiranum deductus fuit. Doctor Veſpaſianus Pyrarius, Sondrij, pòſt etiam detentus fuit. Cauſa autem horum motuum inter alias hæc fuit. Syluius, nuncium cum litteris præterito menſe Maio in Venetam ditionem mittere voluit, quem, vt per Vallem Madre, iter teneret, iuſſerat. Sed cùm niue fortè impediretur, verſus Colicum Mediolanenſis ditionis profectus eſt, & epiſtolæ quinque, quæ VIII. & IX. Maij ſcriptæ erant, interceptæ fuerunt. Una Joannis Baptiſtæ Schenardi ad fratrem Doctorem Joannem Franciſcum, qui Romæ verſabatur, directa erat, qua fratri refert, quòd ad inſtantiam Gubernatoris fortalitij Fontæi de impediendo tranſitu in præiudicium Principum Ligæ actum ſit, quodque quingenta ſcloppetta Communitatibus diſtribuere Hiſpanizantes velint, prætendentes, Rhætos etiam ſe armare. Medium autem & inferius Tertiarium nolint ea recipere: quòd item ad Conſaluum Cordubam duo miſſi ſint, vt de tranſitu inhibendo Vallem excuſent: quod Doctor Syluius (hic filius Doctoris Joannis Franciſci eſt; ſed inter patrem & filium quædam diſſidia, propter rei familiaris adminiſtrationem erant, ita vt ſibi inuicem non ſcriberent) velit habere reſponſum abſolutum, nec ſemper in dubio eſſe, ſuper (hîc Ziffræ interiectæ erant; quarum tamen hanc fuiſſe ſententiam, pòſt cognitum fuit) petitione Schenardi patris Venetiis facta: neruum enim aliquem pecuniæ petiiſſe dicitur, vt ſatellitum iuſtum numerum conducere poſſet; id quod in Galliis etiam flagitaſſe dicitur; item aliquem commeatum frumenti ad demulcendum populum (cùm

Hiſpani mille ſalmarum frumenti commeatum Ulmo pro Valle conceſſiſſe dicerentur) & præterea, vt certum numerum ſtudioſorum Vallistellinenſium Patauij alerent, prout Bormienſibus indultum fuit: Quòd denique Epiſcopus Comenſis in Comitatum Clauennæ profectus ſit, & in Vallemtellinam etiam venturus, ibique fortè Hiſpanicas practicas promoturus ſit; proinde Romæ frater procuret, vt Epiſcopo iniungatur, vt tantùm ea, quæ animam concernunt, tractet. Syluij dein quod attinet epiſtolam, quoniam malè pingit, conſobrino Doctore Veſpaſiano Pyrario ſcriptore vſus eſt. Prima ad Angelum Contarenum, Legatum Venetum Romæ; altera, ad Dominicum Ruzzinum, Prætorem Brixiæ; tertia, ad Auguſtinum Duodum, Capitaneum Bergami, data fuit. Argumento vix quicquam abludebant ab eis, quas Joannes Baptiſta fratri ſcripſerat. Addit in illis ad Contarenum, & Ruzzinum, Quòd aduerſariorum tentamenta vana ſint futura, ſi negotia per Doctorem Schenardum cum Serenitate Veneta tractata promptè executioni dentur. Se & ſocios talem velle facere catenam, vt aduerſariis facilè reſiſtere poſſint. In epiſtola ad Duodum ſcire petit, num mandatum habeat ſibi aſſiſtendi, & qua ratione? In omnibus verò epiſtolis de prætenſa Volturenorum libertate ſuſpenſè & cautè loquuntur. Alexander Parauicinus, Dominico Ruzzino Prætori Brixiæ ſcripſerat, mentionemque aliarùm epiſtolarum ſcriptarum & acceptarum fecerat. Propter aduerſam valetudinem, quòd breuior ſit, ſe excuſat, referens ſe ad id, quod Doctor Syluius ſcripturus ſit. Syluius, & Ioannes Baptiſta, Schenardi, cum publicatione bonorum, poſtea proſcripti fuerunt. Pyrarius per triennium in Ducatum Mediolani, Alexander per totidem annos Damalium, in ditionem Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, relegati fuerunt. Robuſtellus, & qui ſe Magiſtratum Vallistellinæ vocant, die 11. Octobris, inquiſitionem contra Schenardum ſeniorem publicant huiuſcemodi: Quòd ſub Rhætico regimine, praua ambitione, auaritia, & petulantia vbique infamis fuerit, vſque adeò, vt nomen inimici patriæ nactus ſit, atque, excuſſo iam hæreticorum regimine, Volturenaque priſtinæ Catholicæ li-

bertati

bertati reſtituta,huius hominis infamia ſubinde accreſcat, vt qui,& filium,& fratrem ſeduxerit,&,cùm Vallis Oratores in Galliam mittere decreuiſſet, per emendicata ſuffragia vt ipſe eligeretur omni modo tentarit; cumque hoc fruſtrà fieret, nihiloſecius ſe legationi ingerere, & executionem articulorum Monzonianorum in Valle impedire voluerit, præſertim regimini Vallis omne impedimentum ponens, aliis releuationem cenſus, aliis reditum exercitus Gallici, aliis indemnitatem promittens, eos ſeducere voluerit. Adhæc, cùm in articulo Monzoniano ſexto etiam Principibus ſe paci illi opponere prohibitum ſit, ipſum tamen per filium, & fratrem, contrarium egiſſe; cum Duce Venetiarum, & eius Miniſtris, nouos tractatus ſuper rebus publicis mouere auſum eſſe, idque ex epiſtolis interceptis ſatis conſtare: per facinoroſos homines ipſum ſuæ ſectæ contrarios è medio tollere conatum, & proinde cum Republica Veneta egiſſe, vt homines armati, & gladiatores in Vallemtellinam mitterentur, quibus ſtipatus Syluius, in conſiliis Vallis, vi, & metu populorum, ſuffragia ſibi acquireret, & aduerſarios obrueret, conqueſti ſunt. Præterea, cùm ſæpiùs pecunias in Valle elargiretur, aiunt eum affirmare auſum, eas ſibi à Summo Pontifice ſuppeditatas fuiſſe, vt diſſenſionum germen in Vallem immitteret: quin etiam authoritatem ſibi fuiſſe collatam, beneficia Eccleſiaſtica, & annuas penſiones conferendi, iactaſſe dicunt. Terminum comparendi ſexaginta dierum ipſi ſtatuerunt. Venit deinde in Vallemtellinam Pater Ignatius Capuccinus, litteris à congregatione Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ Romæ inſtructus, qui Volturenos, vt proceſſum ſuſpenderent, exhortatus eſt: Schenardum enim ſeniorem iam ſacris eſſe initiatum affirmabat. Cùm in Comitiis Badenſibus Heluetiorum, præterito menſe Iunio, Interpres Regis Chriſtianiſſimi tranſitum pro aliquo numero militum Gallorum (de legione Marchionis Pralæi ſermo erat) vt Duci Mantuano ſeruirent, petiiſſent: Conſaluus Corduba ad Marchionem Doliani, Legatum Regis Hiſpaniæ in Heluetia, die XXIX. Julij, epiſtolam ſcripſit, ipſumque inter alia exhortatus eſt, apud Heluetios perficeret, vt huic militi,

contra Imperatorem Romanum eunti transitum impedirent: secusque si facerent, etiam minas quasdam addidit. Die deinde XVIII. Augusti, Dolianus Lucernæ, in Comitiis Catholicorum comparens, rem acribus verbis vrsit, dicens, Posse fieri, si tale quid cõcederent, vt bellum in suam ipsorum regionem traherent, aut sanè si in ipsorum regione bellum non sit, fore tamen, vt Cæsariani transitum ad cliuum S. Lucij *(Steig)* & pontem Rheni in Rhætia occupent, & ita Heluetij in regione sua conclusos milites Gallos grassantes habere cogantur.

Die Lunæ, VII. mensis Augusti, Colonellus Antonius à Molina, Curiam ex Gallia appulit: & ea de causa comitia generalia conuocata fuere. Die Veneris, XVIII. Augusti, ipse Colonellus Molina prolixè acta suæ legationis exposuit, vti diligenter etiam antea subinde ad Senatum Rhæticum de omni re scripserat. Optimam Regis voluntatem, paternam curam, & affectum erga Rhætos, confœderatos suos, amplis verbis asseruit, & quòd se honore equitis aurati, gladio, & baltheo, quem aliquando gestauerat, & torque aureo donauerit, retulit. Regem intentionem suam Legato suo in Rhætia transmisisse significauit, ipseque etiam duas epistolas Regias ad Rhætos directas eis tradidit. Prior epistola data erat in pago *Aitré*, in castris ad Rupellam, die XII. Maij; vbi Rex beneuolis verbis, Se indesinenter omne studium & operam contulisse, in iis locis, vbi conueniens erat (per Marchionem Rambouilletum, & Comitem de Fargis Rochepotum, Legatos suos, apud Regem Hispaniæ, pro explicatione articulorum Monzonianorum institerat) vt consentienter declararentur dubia, & difficultates, quæ inter Rhætos, & Volturenos, circa sensum germanum dictorum articulorum resultare inuentæ sunt: sed cùm hoc eo modo quo desiderarit, obtinere non potuerit, iccircò constitutum sibi esse ex se ipso, bona fide, & omni sinceritate, verum sensum, & tenorem capitulationis Monzonianæ, declarare, & per Legatum suum Meminum suas sinceras intentiones circa negotium, quod Vallistellinam concernit, Rhætis communicare, planeque sibi persuasum esse, Rhætis ea declaratione satisfactum iri. Cæterùm,

terùm, si quod periculum à milite vicino immineat (vtut non credat, hunc hostile aliquid tentaturum esse) admonet eos, vigilent, & cum consilio Legati sui agant, promittitque auxilia, tenore fœderis requisita: adeoque clementer voluntatem suam Regiam declarat. Altera, ex eodem loco, die Junij x. scripta erat, qua, quæ in præcedentibus litteris scripserat, confirmans, innuit fore, vt, quando hæc per Legatum Rhætorum Molinam tradatur, eodem tempore Legatus Regius Meminus significaturus sit, quæ sit intentio regia super negotio Vallistellinæ, speratque Rhætos contentos fore, prout expeditio, quam Legato suo misit, mereatur. Solutionem pensionum mox promptam fore promittit, & beneuolentiam suam benignis verbis adscribit. Eadem die deinde, Legatus Meminus in Comitiis comparuit, & amplis verbis, scripto etiam comprehensis, de optima voluntate, & affectu Regis, qui officium Restauratoris, & Protectoris Rhætiæ egerit, & agat, disseruit. Conquestus deinde est, de impedimentis datis militi transeunti, tam nomine Venetorum, quàm Ducis Mantuæ, amicorum Regis sui, cùm die xv. Junij, proximè præteriti, ante prohibitionem, apertis verbis hæc Deputatis aliquibus Consilij Status significarit, & pro ipsis transitum, & militis conscriptionem liberam, petierit. Atque, se sui Regis intentionem super rebus concernentibus Vallemtellinam nec aperire, nec dare posse (quãuis à Comitiis ad declarandam intentionem interpellatus fuerit) palàm asseruit, nisi priùs ad tria ista sequentia commodum responsum ab ipsis acceperit. Primò, Vigore fœderis cum Rege Christianissimo, in quo, inter cætera, Regi, & amicis ipsius, transitus promissus, Serenissimis, Reipublicæ Venetæ, & Duci Mantuæ, pro milite ducendo, liberum transitum postulauit, & hanc propositionem modò factam non secùs æstimari cupiuit, quàm si, tenore litterarum Reuersalium, Communitates sufficienter conuentæ essent. Secundò, In honorem, & considerationem Regis Christianissimi, Duci Mantuano conscribendi militis, si is id vellet, copiam fieri, & conscriptionem iam per aliquos priuatos Rhætos factam ratam haberi petijt, à die nempe xv. Junij inchoatam, qua

die Legatus ſe, & circa conſcriptionem militis, & circa tranſitum, declarauit. Tertiò, Reuocari voluit, & abrogari omnes nundinationes, (practicas) & negotiationes exercitas ab aliquibus ſingularibus perſonis Rhætiæ, & præcipuè à Doctore Schmidio, in præiudicium confœderationis cum Corona Christianiſſima, & pactorum Monzonianorum, quæ à duabus Coronis, Gallica & Hiſpanica, ſuper negotio Vallistellinæ ſancita fuere. Diffuſè ad querimonias Legati, Conſiliarij Status reſponderunt, & ſe purgauerunt: breuemq; deinde informationem Communitatibus ſuper his rebus Conſiliarij dederũt, videlicet: Quod litteras Reuerſales, à Rege Chriſtianiſſimo Rhætis in materia tranſituum datas, concernit, ita eas ſonare aiunt; *Quòd ſi alij Principes, & Domini, vti amici Regis, his tranſitibus vti vellent, hoc fieri non poſſe, niſi priùs Rhæti de eo rogati, & conuenti fuerint, vt ipſi ſuper eo negotio, in ea forma, & modo, deliberare poſſint, prout crediderint hoc ipſorum communi patriæ expedire.* Quòd attinet illud, quòd fidelis ciuis Doctor Schmidius, vel alij, tractaſſe dicuntur, dolere ſe aiunt, Legatum ita ſiniſtrè edoctum eſſe, remque ita ſe habere dicunt: Cùm Doctor Schmidius, ſuorum negotiorum cauſa, Italiam peteret, iniunctum ipſi fuit, vt, Vbi occaſio ſeſe offerret cum Miniſtris Catholicæ Maieſtatis colloquendi, eos de iuſta cauſa Rhætorum, & perfidia Volturenenſium, ſubditorum, edoceret, & calumnias, quas rebelles in aulis omnium Principum totius Europæ ſparſerunt, veris & ſolidis argumentis refelleret: quod ipſe Doctor, quantum occaſio permiſit, diligenter, & fideliter præſtitit. Et hoc licitè & meritò facere potuit: cùm omnem fidelem ciuem deceat patriæ ſuæ cauſam, & bonum, pro viribus ſuis promouere. Nec propterea quicquam contra fœdus Gallicum, aut aliquid noui, vllo modo tractatum fuit: & proinde, nihil etiam eſt quod reuocari debeat. Interim etiam aiunt, ſe cuſtodias ſolitas ad tranſitus habere, & conſcriptionem omnem militis inhibere: prout à Communitatibus anteà concluſum fuerit. Et, cùm hactenus aſſecuratio illa, quæ Rhætis à Rege Chriſtianiſſimo propter Sereniſſimum Principem Leopoldum, & totam auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, data eſt,

à di-

à dictis Principibus rata haberi non potuerit, petunt, vt Communitates deliberent, An expediens etiam iudicent, & permittere velint, vt media exquiri poſſint, per quæ vetus fœdus hæreditarium renouetur, & ad ſecuritatem patriæ, prout neceſſe fuerit, confirmetur: vtque de his omnibus die v. Septembris quælibet Communitas ſuffragium & intentionem ſuam Præſidi Fœderis ſui tranſmittat, hortantur.

In Comitiis Vallis-Monaſterienſium, Proteſtantium cauſa ventilata fuit. Aliqui enim ex ipſis, libertatis, & conſcientiæ, religioniſque in tota Rhætia ductu, in Engadinam inferiorem ad conciones Proteſtantium iuerant. Die autem Dominica, XVI. Julij, Caſparus à Præpoſitis, qui ſe Vice-capitaneum Furſtenburgij, pro Reuerendiſſimo Epiſcopo Curienſi profitebatur, edictum ad valuas templi in pago S. Mariæ publicauit, quo eis conciones Proteſtantium adire, ſub pœna grauiſſima, confiſcationis bonorum, & relegationis, prohibuit. Vallis-Monaſterienſes ea de cauſa Curiam venerunt, & Senatui Rhætico hac de re conqueſti ſunt: qui apud Epiſcopum perfecit, vt rigor Decreti mitigaretur: Legato quoque Gallico mediatorem pacificandi negotij agente. Illi libertatem religionis, qua alij Rhæti confœderati gaudent, petebant. Epiſcopus contrà inter alia allegabat, anno præterito, die XVI. Maij, inter Epiſcopum prædeceſſorem ſuum, & eos, tranſactum fuiſſe. Ad quod replicabant, pacta illa ad tempus tantùm, nempe vſque ad reditum Legatorum Rhætorum ex Gallia, facta: prout in rei veritate erat. Conſtitutum ergo fuit, vt & ipſi, cùm Rhæti confœderati ſint, in libertate conſcientiæ non impedirentur, eoſque iure fœderis defendere promiſſum. A pœnis à Vicecapitaneo impoſitis, de conſenſu etiam Epiſcopi, cui interim iura ipſius integra manent, liberati fuerunt. Attamen dignis de cauſis, vt his temporibus, nihil ſine conſenſu Rhæticæ Reipublicæ innouarent, eis iniunctum fuit.

Die XXIV. Auguſti populus oppidi Clauennenſis, & Viciniarum, Betti, Planazolæ, Dragoneræ, Crotti, & Mairæ, cùm antea ſuffragiis diſſiderent, & proprios iudices elegiſ-

ſent, abſente Doctore Gaudentio Mauro, quem Commiſſarium Clauennæ antè, vt diximus, nominauerant, conuenerunt, & Eutychium Piperellum, potioribus ſuffragiis, Commiſſarium nominarunt; Locumtenentem, & Fiſcalem, Guilhelmum Arzonum ſalutarunt; prætereáque octo Judices Appellationum crearunt: quatuor ex oppido, & totidem ex viciniis: denique Commiſſario certum numerum ſtipatorum armatorum adiunxerunt. Ludouicus, & Georgius Peſtalozzij, ſocer, & gener, qui ex numero Judicum Appellationum, & hic etiam Conſul, erant, ad Eccleſias confugerunt, aliqui ſub Mauro proſcripti, iam liberati fuerunt: & cùm iam Peſtalozzij illi duo domum rediiſſent, die Veneris, XXII. Septembris, Georgius, captus, & compedibus vinctus fuit. Criminatio hæc præcipua: Cùm Eutychius nuncium in Vallemtellinam ad Robuſtellum miſiſſet, huic Doctor Annibal Philipponus, gener Doctoris Schenardi, in reditu Morbennij epiſtolam quandam, ad Georgium Peſtalozzium directam, tradidit, enixè iniungens, vt eam Peſtalozzio ipſi in manus daret. Nuncius autem eam Eutychio tradidit, & in ea epiſtola litteræ, volanti ſigillo, vt dicitur, incluſæ erant, quæ ad Legatum Gallicum Curiam mitti debebant. In his proponi dicebatur, vt Legatus vigintiquinque mille aureos ſuppeditaret, quò res in Valletellina immutari poſſent. Die deinde Martis XXVI. in fortalitium Fontæum ille Peſtalozzius deductus fuit, tandémque oppidum Domaſium pro carcere obtinuit. Doctor etiam Maurus in ædibus ſuis detentus, & tandem, fideiuſſione præſtita, dimiſſus fuit.

Exeunte menſe hoc Auguſto, Præfectus Oenotrianus (*Naudersberg*) nomine Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, ad iuſiurandum præſtandum Miniſtralem (*Anvaldt*) Samnunenſem, Engadinæ inferioris, adegit. Die VII. Septembris, Conſilium Status congregatum fuit, & ſuffragia Communitatum ſuper petitis à Legato Gallico collegit: quæ ferè vnanimiter, prout ſequitur, concluſerunt.

Quod ad tranſitum, & conſcriptionem militis, pro Sereniſſimis Venetis, & Duce Mantuæ, amicis Regis Chriſtianiſſimi; Communitates nec volunt, nec poſſunt, hoc tem-

tempore, assentiri petitionibus Legati: quoniam hucusque regia resolutio, super diuturna legatione Rhætica in Galliis, ab ipso haberi non potest, vtut & regiæ litteræ, & relatio ab equite Molina facta, eam promiserint. Ubi verò Legatus dederit, & declarauerit intentiones Regis (quæ denuò ab ipso peti debent) atque hæ Communitatum spei ita satisfecerint, vt eis Rex se offerat omnia ea se præstiturum, quæ fœdus continet, & quæ Ministri eius iteratò promiserunt circa restitutionem omnium Rhæticæ Reipublicæ subditarum terrarum indebitè occupatarum, & vsurpatarum: tunc, & in eo casu reseruant sibi Communitates dare Legato super ipsius petitionibus responsum æquum, & conueniens fœderi, & codicillis Reuersalibus. Interim tamen volunt, vt transitus clausi, & custoditi sint, omnísque militis in Rhætia conscriptio vetita maneat; vtque deliberetur de mediis opportunis, quò diligentiùs posthæc, quàm hactenus factum, sanctio ista obseruetur, donec aliud à Communitatibus deliberetur. Quod attinet reuocationem negotiationum Doctoris Schmidij, & aliorum, in præiudicium fœderis Gallici, & pactorum Monzonianorum, & eorum, quæ inter duas Coronas circa Vallemtellinam conclusa fuerunt; resolutio ipsa à Communitatibus, vt antè dictum, emanauit, nec constat, per Doctorem Schmidium, aut alios, aliquid in præiudicium fœderis Gallici tractatum fuisse; sed tantùm, ipsum veris fundamentis calumnias infidelium rebellium Rhætiæ refutasse, & iura Rhæticæ Reipublicæ asseruisse. Ad hoc Communitatum Decretum, die nono Septembris, Legatus Gallicus diffusè respondit, quorum substantia hæc est: Quod ad transitum, & conscriptionem militis attinet, Regi, quid ad hoc dicturus sit, censendum relinquit. Quod ad negotiationes & practicas Doctoris Schmidij, & aliorum, in præiudicium fœderis Gallici, & pactorum Monzonianorum, de quibus difficultatem moueant, ait Legatus, Quòd, cùm eques Molina circa negotia Vallistellinæ, & Comitatuum Clauennæ, & Bormij, sollicitè procurarit abrogationem omnium conuentorum, in præiudicium libertatis Rhæticæ pactorum, non possit nunc, stantibus rebus prout stant, procede-

re ad expositionem intentionum, & consignationem declarationum Regiarum, quarum fit mentio in litteris decimo Junij exaratis: nisi priùs à Communitatibus expressum mandatum Consilium Status ostenderit, quòd auctoritatem habeat attendendi acceptationi, & ratificationi articulorum Monzonianorum. Dehortatur ipsos à prensationibus, corruptelis, & nundinationibus, quæ statum Reipubl. euertere possint: Regemque breui temporis spatio pecunias in Rhætiam missurum spe facta, paterna Regia consilia vt sequantur, exhortatur. Die sequenti, Consilium Status respondet, Se intelligere, Legatum, quoad noua mandata à Rege suo habuerit, petitam intentionem Regiam depromere nolle: itaque hoc se patienter ferre. Quòd verò Legatus ægrè ferat, quò minùs tractata per Doctorem Schmidium, & alios contrà fœdus Gallicum, & pacta Monzoniana, reuocare voluerint; attonitos totos se aiunt, cùm reuocatio præsupponat tractatum, nec tamen de tractatu contra fœdus Gallicum ipsi quicquam sciant, nec Legatus hactenus hoc demonstrare potuerit, nec denique intentio ipsorum vnquam fuerit, aut futura sit, præiudicare fœderi Gallico; dummodò versus Rhætos idem fœdus obseruetur. Et quamuis præteritis temporibus ab aliis Principibus, de fœderibus pangendis, propositis bonis conditionibus, interpellati fuerint, & eo modo res Rhæticas tutas reddere potuerint; tamen cùm ministri Regis Christianissimi se opponerent, Rhæti, ne eos offenderent, omnes conditiones respuerunt, & Regi soli adhæserunt, atque ab illo solo dependentes, Principes vicinos à se alienarunt; nataque est rebellio subditorum, qui deinde aliorum protectione freti sunt: indeque Rhæti bellis exhausti, & absumpti sunt. Cùm Rex posteà exercitum conscripsisset, vt Rhætiam in pristinum statum restitueret, & res fœliciter in recuperatione cessisset, iamque spes certa affulgeret, fore, vt in possessionem subditarum terrarum, iuxta toties repetita promissa, Rhæti mitterentur; ecce subditi rebelles gaudent fructibus victoriæ Regiæ, & Rhætia Dominio suo priuata iacet. Cumque postea fauoris Regij spes data esset; Legatos suos in Galliam miserunt, qui sexdecimi

cim menses ibi manserunt, iamque, cùm intentionem Regiam audire deberent, dilatio noua hæc interponitur. Atque hæc patienti adhuc ferunt animo. Itaque sine causa petitur reuocatio tractatus nunquam facti; & si reuocarent, culpabiles se dicerent tractasse contra fœdus Gallicum; quod nunquam apparebit. Quòd contra capitulationem Monzonianam tractarint, hoc non negant; & propterea etiam Legatos Rhæticos in Galliam miserunt, vt huic capitulationi se opponerent, vt quæ super Dominiis, & rebus Rhætorum propriis, sine participatione, interuentu, aut consensu eorum, facta est; nec vnquam illam acceptarunt, vtpote quæ conclusa, vbi ipsi non auditi, nec iura Rhætorum adducta fuerunt. Quod attinet illud, quòd Legatus cum Consiliariis Status, noua auctoritate non priùs instructis, tractare recusat, hoc solùm respondent, Quòd si cum eis tractauerit, cum viris probis, & qui bonum publicum pro viribus curant, se tractare compertu-rus sit. Si ea petat ab eis, quæ in ipsorum potestate sint, id se operam daturos, vt ei pari voluntate respondeant. Si verò petat ea, quæ à Communitatibus dependent, ea ad ipsas Communitates remittentur. Sicque se excusatos fore confidunt, quum nihil eorum omiserint, quæ erga Regem Christianissimum tenentur præstare. Significarunt denique, vt etiam anteà factum, transitum per Rhætiam pro nobilibus Gallis, & cursoribus, qui in Italiam, aut Galliam, pro seruitio Regis proficiscuntur, fore, & esse apertum. In his Comitiis populo etiam aliqui articuli circa Disciplinam Ecclesiasticam, & seriam pœnitentiam agendam, præscripti, isque ad Pietatem, Justitiam, & Temperantiam diligenter incitatus fuit. Circa fœdus antiquum hæreditarium renouandum, omnes Communitates concurrerunt in eam sententiam. Occasio autem huius rei tractandæ inde nata est: pro Cæsarea Maiestate in Galliis residentem agit Matthias Vertemannus, cuius pater Carolus Pluriensis fuit. Hic subinde cum Legatis Rhætorum de rebus patriæ sermones miscuit. Cum equite à Molina deinde hanc rem mouit, vtile maximè fore si fœdus hæreditarium renouaretur. Molina respondit, Si in puris &

ſimplicibus terminis id fiat,ſe credere, Rempublicam Rhæticam etiam illud valdè expetere. Vertemannus deinde Pragam ad Imperatorem profectus eſt,& inde ad Tria Fœdera litteris amiciſſimis ſignificauit, Se cum fidis ciuibus in Galliis, de renouando fœdere hæreditario collocutum, & modò in ipſo Imperatore, & Conſiliariis, clementiſſimam & optimam voluntatem videre; decretumque eſſe in Conſilio Sacræ Cæſareæ Maieſtatis ſub VIII. Julij, ſi quid Rhæti Trium Fœderum petant,ſuos Legatos in aulam Imperialem mittant, eos clementer & benignè auditum iri. Promiſitque Vertemannus,hoc Decretum,cùm Gallias repetiturus ſit, ſi aliquem Lindauium vſque ad ſe mittant,ſe in authentica forma ei in manus traditurum. Cùm autem fama certa eſſet, in diuiſione Dominiorum, Sereniſſimo Archiduci Leopoldo, Comitatum Tirolis,& quatuor Dominia cis montem Arelam, ad lacum Botamicum, quæ in fœdere hæreditario comprehenſa ſunt, inter alia, obueniſſe: ſtatuit Senatus Rhæticus (vt de re tota edoceretur) Oenipontum, ad Sereniſſimum Principem, Fortunatum à Juualta mittere: qui ſimul etiam inquireret; Num Octo Juriſdictiones, & Engadinam inferiorem, excludere, aut aliquas innouationes prætendere vellent. Firmiter enim apud Tria Fœdera ſtatutum erat, ſe vnita, & indiſſolubilia,Deo fauente,viuere & mori velle. Cùm Juualta menſe Septembri Oenipontum veniſſet, Sereniſſimus Archidux Leopoldus Saliſburgi,& Lintnerus,Cancellarius Aulicus, Viennæ erant. Cum Barone itaque à Bemmelberg,cui cura præcipua demandata erat, & aliis Conſiliariis, contulit. Bemmelbergius rotundè dixit, Sereniſſimum Leopoldum abſolutum Principem Comitatus Tirolis, & quatuor Dominiorum cis montem Arelam, eſſe; nec opus eſſe,vt cum aliis tractent: adeoque Juualta nec animaduertere, nec odorari potuit aliquam ſegregationem, aut excluſionem ex Tribus Fœderibus, aut aliquas innouationes quæri.

Dum Juualta Oeniponti erat, Voltureni Doctorem Hippolytum Venoſtam eò miſerunt, ne videlicet quid in ipſorum præiudicium deliberaretur. Eodem menſe Septembri Doctorem Jacobum Schmidium,Senatus Rhæticus, etiam ad Gu-

ad Gubernatorem Mediolani, qui in obsidione Casalensi erat, miserunt; cui se deinde socium itineris Mediolani adiunxit Benedictus Curtus, Franzinus dictus, Grabedonensis, quo parario Comes Serbellonus in hac negotiatione vtebatur, quique sæpiùs proinde in Rhætiam, Mediolanum, ac in castra commeauit. Cæterùm negotium iterùm in Hispaniam remissum dicebatur: adeóque præter bona verba nil retulit. Inter vulgus fama erat, dominia occupata aliquibus conditionibus restitutum iri, Regémque Hispaniæ compositorem controuersiarum inter Rhætos, & Volturenos, futurum, & pro exantlatis laboribus transitum sibi vindicaturum. Ferebatur etiam F. Reginaldum de Curia Dominicanum (alias Martinus Gantnerus, Curiensis, Rhætus, vocatur) in Hispania persuadere Consiliariis Regiis, vt fœdus Rex Hispaniarum cum Rhætis feriat; & hoc præcipuè ob transituum facilitatem, & commoditatem, quales Rhæti plures tritos habeant, nempe, per Vallem-Monasterij, & montem Branlium, Bormium versus: item, per Engadinam, indéque tum per montem Berninam in Vallemtellinam: tùm per Malogium montem, Clauennam: adhæc, per vrbem Curiam, vnde sextuplex in Italiam via ducit; vna per montem Septimum; altera, per Speluncensem, Clauennam; tertia, per Auiculam montem in Vallem Misaucinam, & Bellinzonam; quarta, per montem Sancti Jorij Grabedonam; quinta, per Lucumonem (hodie Sanctæ Mariæ) ex Disertinensi iurisdictione: & sexta, ex Valle Leguntina, per Crenam montem in vallem Brenniam, & inde Bellinzonam. Ex Valletellina deinde, & Comitatibus Clauennæ, & Bormij, sex præcipuè frequentati transitus in Italiam sunt, per montem Gabiam, Mortirolum, Apricam, Vallem Madre, Vallem Bitti, & lacum Larium, seu Comacenum. Contrà, Heluetios, (excipio Valesianos, qui aliqua, sed satis inuia habent) vnicum tantùm transitum tritum, per montem Sancti Gotthardi, habere; adeóque tempore pestis, & cùm etiam diuersis itineribus opus sit, Rhæticos transitus longè præferendos esse, inquit. Capitaneus maior Georgius Jenathius interim legionem mille ducentorum virorum, auspiciis Serenissimæ Reipubl.

Venetæ, ſub titulo Colonelli, ſecretò conſcribit, iamque numerum non exiguum in ditionem Venetam deduxit. Sic antè quoque Capitaneus Tobias Finerus, cohortem vnam ſub legione Ludouici Friderici Canoffskij, conſcripſit.

Actius Beſta, ex Hiſpania in Vallemtellinam reuerſus eſt. Doctor Taurellus adhuc in Hiſpania manſit. Ille die Martis, XXIV. Octobris, in Conſilio Vallis de itinere & negotiatione ſua retulit. Inter alia ait, Comitem Ducem Oliuarem, qui in flagrantiſſima gratia Regis Hiſpaniarum eſt, ſibi die XXXI. Decembris anni elapſi dixiſſe, Rhætis, præter cenſum, & confirmationem Officialium petitam, & non obtentam (his verbis vtitur) nihil deberi, tranſitúſque etiam Volturenorum eſſe, & intentionem Legati Gallici de Fargis non aliam in capitulatione fuiſſe; illumque hæc ipſi poſtea etiam repetiiſſe, nec eum inficias ire potuiſſe. Et die XI. Auguſti proximè elapſi eundem Oliuarem, cùm ipſi dicerent, Rhætos explicationem capitulationis Monzonianæ ſollicitaturos, repetiiſſe, Capitulationem claram eſſe, nec vlla interpretatione indigere, & bis claris verbis enunciaſſe, Tranſitus veſter eſt. Conſaluum Cordubam etiam, quem in obſidione Caſalenſi adiuerit, ipſi dixiſſe, Nihil in præiudicium capitulationis Monzonianæ cum Rhætis tractatum iri: litteraſque ad Vallem Conſalui Beſta reddidit. Tradidit deinde Valli litteras Regis Hiſpaniarum, die II. Auguſti, Madriti exaratas: quarum tenor hic eſt. Reſpondet litteris Volturenorum, die XI. Octobris anni proximè elapſi ad ſe datis, & fiduciariis Deputatorum: laudat ipſos, quòd ſe iuſtæ ſuæ defenſioni, & protectioni committentes, zelo ferueant res ſuas ad maius ſeruitium Dei, & ſalutem populi diſponendi, ſibique hunc ſcopum præfixum ſemper fuiſſe prædicat; nempe, Securitatem, Conſolationem, & Satisfactionem Volturenorum: adeóque, vt eis quæ iuſta ſunt in rebus petitis præſtaret, mandaſſe ſe ait, vt in ſequentem modum reſponderetur. Circa cõtrouerſiam inter Vallem, & Rhætos, quæ concernit religionem, & libertatem Volturenorum, iam antè reſolutio facta eſt in capitulis Monzonianis, qui, vti contractus celebratus inter me &, Regem

Regem Christianissimum, fratrem meum, inuiolabiliter obseruari debent: ita, vt nulla partium sola, nec in parte, nec in toto, contrauenire possit. Proinde, non opus est nunc aliud super eo dicere. Circa exhibitionem, quam denuò Vallis, & Comitatus mihi fecere: accepto, ac recipio eos (prout receptos habeo) in protectionem meam, vt compleam planè, quod in dictis Capitulis stabilitum est, eo modo & forma, vt mihi incumbit eos custodire, conseruare, & defendere; non permissurus alterationes, mutationes, vel alia præiudicia, cõtra Vallem & Comitatus, qualiacunque. Et Voluntas mea est, vt gaudeant punctualiter, & perpetuò, beneficio tractatus Monzoniani: pro cuius complemento, & defensione impendam vires, & arma mea: adeoque assistam ipsorum defensioni, vti commissorum meæ protectioni. Et in hunc finem mandata dedi, & dabo denuò Gubernatori, qui est, & erit Mediolani, vt impleat quæ his conformia erunt, vtque permittat Valli, & Comitatibus, extractionem frumenti, saccorum ter mille quotannis, liberè, sine telonio. Hocque est, quòd vltimò petitum fuit. In continuationem amoris, quo prosequor Vallem, & Comitatus, & desiderij quietis vestræ, expediens iudicaui, vt pro mea parte vobis succurreretur, subministrata quantitate census annui, quem Rhætis tenemini exhibere in conformitate eius, quod vltimò in capitulis Monzonianis stabilitum fuit. Et hoc intelligitur de omni illo tempore, quo Vallis, & Comitatus, obligati erunt illum soluere. Quò in Valletellina, & Comitatu Clauennæ, habitatio hæreticorum tollatur, iuxta sententiam Capitulorum Monzonianorum à Sanctitate sua transactorum; expeditionem, & vt, in casu contrauentionis, prospiceret de remedio opportuno, petere iussi. Postea verò intellexi, Comitatum Clauennæ per edictum publicum se liberasse ab hæreticis. Petitum fuit, vt Gubernatori Mediolani mandatum daretur, vt eis adesset circa Inquisitionis introductionem, quæ est remedium efficax obseruandi Religionem Catholicam. Huic rei, vt Legatus meus Romæ omni cura inuigilaret, decreui, vtque attenderet eis, quæ in hoc casu, nomine Vallis, & Comitatuum, occurrere fortè possent, ne quâ exoriantur nouita-

tes, quæ quidem perturbare possint: quoniam Ordinarius (Episcopus) tenet suam iurisdictionem, & Inquisitio etiam. Atque ita in eo negotio procedetur. Quantum ad ordines generales, quodq; petierunt Deputati, vt mitterentur Gubernatoribus Mediolani, vt hi assisterent Magistratui Vallis, & Comitatuum, ad exequendum bonum regimen; iussi vt ita fieret. Spero quoque fore, vt Vallis, & Comitatus, in hoc procedant, eo temperamento, quod iustum fuerit, nec cõtrauenient directè, aut indirectè Capitulis Monzonianis. Et ita iubeo. Intentio enim mea est, vt omni punctualitate obseruentur. Et hæc omnia feci magna cum voluptate, prout hoc intelligetis particularius ex Actio Besta, & Andrea Taurello: qui prudenter, & diligenter se hîc gesserunt, & merentur vt ipsorum digna ratio habeatur, sicuti quoque desidero, vt de ipsis sentiatis: atque hoc intelligere cupio. Estote certi, quòd semper rerum vestrarum curam geram, prout æquum erit.

Voltureni, iam ante aliquod tempus, telonium vino, quod è Valle educitur, imposuere. Idem Clauennenses, de qualibet salma vini tres bazenos exigentes, fecere. Die XXIX. Octobr. Clauennenses mercibus telonium, vti tempore Marchionis Balnei fecerant, imposuere. Cal. Januarij, anno M. DC. XXIX. telonium Clauennæ pro quinque mille aureis annuis Ioanni Paulo Beccariæ locatum fuit. Mense eodem Octobri, Voltureni, in Sessionibus suis, vt vocant, aliqua decreta anteà publicata confirmarunt; & statuerũt, vt Protestantes termino biennij omnia sua bona stabilia in Volturena vendant, secus, ea fisco addicunt. Relapsorum, vt nominant, bona ex nunc publicarunt. Die III. Februar. anno M. DC. XXIX. omnes saluos conductus Protestantibus concessos reuocarunt, & vt quisque eos impunè occidere possit, publicarunt. Frequentes interim cædes, & latrocinia, in Volturena præsertim, in Squadra Trahonæ, & Comitatu Clauennæ, fuere. Contra delinquentes, etsi plusquàm noti erant, processus nulli formati sunt.

Die decimo Nouembris, Comitia Trium Fœderum Curiæ congregata fuere: & eadem die Colonellus Rodolphus à Schauenstein Lugduno ex Gallia Curiam Rhætorum venit,

nit, cùm antè pro filio suo Thoma cohortem tercentorum Rhætorum præsidij Lugdunensis à Rege Christianissimo obtinuisset. Et postea die XV. Januarij, M.DC.XXIX. Colonellus Andreas Bruckerus, itidem ex Gallia in Rhætiam aduenit: cui etiam mandatum datum fuerat, vt rerum Rhæticarum in Galliis sollicitam curam gereret: id quod diligenter quoque præstitit. Rex Christianissimus eum equitem auratum creauit. Die XI. Nouembris, Daniel Pestalozzius, Peregrinus dictus; & Vincentius Pinus, ac Gabriel Scuchettus, nomine Pluriensium, Magistratus sui, vt vocabant, confirmationem petierunt. Sed cùm inscriptio *Patroni* titulum non haberet, & aliis de causis, litteræ non fuerunt resignatæ. Clauennenses, vt diximus, Eutychium Piperellum Commissarium; Plurienses, in locum Caroli Vertemanni, Petrum Foicum, Prætores elegerant. Eadem die recessus à Comitiis huiusmodi formatus fuit. Cùm Communitatum suffragia ferme consentientia fuerint, vt modus & media legitima dispiciantur, quò securitati communis patriæ cum vicinis Principibus consulatur: itaque ad Serenissimum Archiducem Leopoldum misimus, confirmationem fœderis hæreditarij sollicitatum. Misimus etiam ad Gubernatorem Ducatus Mediolani, qui ad Regem suum omnia scripsit: vnde responsum exspectatur. Serenissimus Archidux consensit, vt dies amicæ collationis inter Commissarios vtrinque deputandos institueretur, diésque III. Decembris, Oeniponti, dicta fuit. Eò mittere constituimus Judicem Prouincialem, Lucium à Monte, iurisdictionis Furstenouianæ; Fortunatum à Juualta, & Commissarium Andream Sprecherum. Quia verò nobis innotuit, illos, qui hasce negotiationes impedire, & subuertere cupiunt, & contra generalitatem, & contra particulares personas, machinari; proinde Senatus denuò interpellat Communitates, vt clarè suam opinionem aperiant, an velint & desiderent, vt negotiationes illæ duæ inceptæ pro bono patriæ continuentur? vtque rotundè declarent, si quis hasce impedire velit, num constantes in eo, quod ad bonam vicinitatem, & commune patriæ bonum tractandum sit, esse velint? Nam si aliquid tractetur, in quo

deinde constantia desideretur, Principes illi, cum quibus agitur, indignationem, procul dubio, concepturos. Adhæc, Communitates declarabunt, si fortè (quod tamen non creditur) aliqui, iis, qui in his rebus patriæ seruiunt, sinistri aliquid tentauerint, an tàm Senatum in genere, quàm particulares personas, requisitis viribus, vt decet & æquum est, defendere velint? Decreta, prohibitionem conscriptionis militum, & transituum abusum, spectantia, confirmata, & Comitia proxima die XXII. Nouembris, in oppido Ilantij indicta fuere. Nam Curiæ Rhætorum in aula Episcopali, & ad portam inferiorem peste circa sexaginta personæ, & Sexamni ducentæ absumptæ fuere. Sed mense Januario, laus Deo, pestifera lues desijt. Die condicta Ilantij conuenerunt. Legatio Oenipontana, propter suspicionem pestis, per aliquot dies dilata fuit. Illis, qui contra decreta in militiam profecti erant, terminus peremptorius, dies XVIII. Januar. data, qua personaliter, aut per legitimos procuratores, comparerent, & parerent: secus, cum publicatione bonorum proscriberentur. Ex his Comitiis ad Legatum Gallicum, qui Furstenouij in Tomiliasca erat, missi fuere Rodolphus à Schauenstein, Fortunatus à Juualta, & Joannes Gulerus, vt tria ipsi proponerent, nempe 1. fœderis hæreditarij renouationem. Ad quod ille; Si in puris & simplicibus terminis renouetur, credere se, Regem suum se non oppositurum; secus, ex nunc se contradicere, & protestari de nullitate, vti etiam antea Curiæ, die XI. Nouembris, fecerat. 2. Rhætos scire velle vltimum & certum respõsum à Gubernatore Mediolani. Ad hoc respõdisse dicitur, Ipsum credere, quòd tantùm delusi fuerint: interim necessarium esse, vt se de his Mediolanensibus negotiationibus purgent. 3. Ut attentata Volturenensium, in teloniis imponendis, & aliis enormitatibus perpetrandis, reprimerentur. Legatus ad hoc dixisse fertur: Rhæti se dignos amicitia & beneficiis Regis ostendant, Regemque facturum quod æquum & iustum fuerit: seque modò per Cursorem de omnibus rebus diligenter Regiam Maiestatem erudíturum.

Voltureni frequenter interim instant apud Gubernatorem Mediolani, vt eum numerum militum, quantum habere pos-

re poſſit, ad fines Vallistellinæ mittat. Menſe Decembri, eam ob cauſam, Doctorem Paribellum ad eum miſerunt. Die XXVI. Decembris, Communitates exteriores Comitatus Clauennæ Gordona, Meſe, & Prada, in armis contra Clauennenſes ſteterunt. Occaſio talis. Cùm Thaddæus de Thaddæis, ipſorum Prætor; & Antonius Paladinus, Locumtenens, vnà cum Conſulibus, litteris fictitiis, vt aiebant, quaſi à Gubernatore fortalitij Fontæi ſcriptis, vocati ad ipſum profecti eſſent, ſub prætextu, vt eos cum Clauennenſibus, qui etiam aduenturi erant, in concordiam reuocaret, ipſique fruſtrà per biduum exſpectaſſent, diſceſſerunt; cumque Soricum veniſſent, de inſidiis admoniti, per montem pedeſtri itinere verſus Archettum iuerunt, famulum, & equum Prætoris in naui reliquerunt: quæ nauis vbi ad locum, Pozzo Madrone dictum, venit, comparuerunt in alia naui ſeptemdecim viri armati, qui nauem inſpexerunt. Doctor verò Franciſcus Piperellus, frater Eutychij, cum aliis naui alia vectus, Nouato venit; cumque videret, Prætorem cum ſociis non adeſſe, ſimulatè, non velle ſe, dixit, vt cuiquam in loco libero iniuria fiat, & famulum iter ſuum perſequi iuſſit. Communitates autem exteriores mox in armis fuere, & pars ad pontem Liri, pars ab alia parte fluminis Mairæ, ſteterunt. Clauennenſes, cum aliquibus conductis exteris, etiam oppido armati egreſſi ſunt. Multi bombi ſcloppettorum hinc inde reſonuerunt. Clauennenſis quidam in digito tantùm læſus fuit. Doctor Franciſcus Piperellus interim tranſitum ad Ripam Mezolæ, cum numero exterorum, & aliquibus Nouatenſibus, tenebat. Gordonenſes Decurionem *(caporale)* Hiſpanum, cum ſocio, qui pulucrem & funes tormentarios Clauennenſibus aduehebat, detinuerunt, & ad Gubernatorem fortalitij Fontæi ſcripſerunt, ſcire petentes, Num hæ res bellicæ eius iuſſu tranſmiſſæ eſſent? quòd ſi ita ſit, eas ſe libenter dimittere velle. Ipſe autem omnium notitiam diſſimulaſſe dicitur. Jeſuitæ, & Deputati Vallis Sancti Jacobi, Plurienſiumque, pacificatores inter partes fuere. Clauennenſes petebant, vt Communitates exteriores Doctorem Maurum, qui ſe Gordonæ continebat, ablegarent, túmque ſe etiam conductos

gladiatores exteros dimissuros. Ita Maurus discessit. Interuentu deinde Doctoris Joannis Baptistæ Casanouæ, Magatti dicti, Grabedonensis, omnis controuersia de iure, de facto, & amicæ definitioni, ac conscientiæ Comitis Joannis Serbelloni remissa fuisse dicitur. Sed iam inter oppidanos, & vicinias, æmulatio orta est. Illi enim Commissarium Eutychium, eiúsque fratrem Franciscum, auram popularem sequi, & viciniis plus æquo fauere aiebant.

Et sic anni quidem decurrentis, sed dissensionum, non-DVM CernItVr fVtVrVs fInIs.

Inmoq: quadrio de Burnasio

Deo Opt. Max. Trino & Vno sit laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.